Digitized by Google

DEP

Nº- 13950

ACTA ERUDITORUM

ANNO

M DC XCV

publicata.



Cum S. Cæsareæ Majestatis & Potentissimi Electoris Saxoniæ privilegiis.

LIPSIÆ.

Prostant apud JOH. GROSSII Hæredes & JOH. THOM. FRITSCHIUM.

Typis JOHANNIS GEORGI.
A. M DC XCV.

ACTA ERUDITORUM
publicata Lipsiæ

Calendis Januarii, Anno M DC XCV.

FUNDAMENTUM THEOLOGIÆ MORALIS, HOC EST, Tractatus Theologicus de recto usu opinionum probabilium. Authore P. Thyrso Gonzalez, Theologiæ Professore Salmanticensi, nunc Præposito Generali Societatis JESU.

Juxta exemplar Romanum, Antverpiæ. Prostat in typographia Knobbariana, apud Franciscum Muller, A. 1694. in 4. 2. Alphab. plag. 7½.

NOta admodum est ac frequentata in scholis Romanensium sententia, quod licitum sit cuilibet, sequi sententiam probabilem, affirmantem aliquam actionẽ esse honestam, vel saltim licitam, quamvis ipse agnoscat, quod opposita istud negans, & talem actionem in se intrinsece malam ac prohibitam esse docens, adhuc sit probabilior. Noster certe Auctor celeberrimus eam sub finem seculi superioris jam tum traditam fuisse, in Lectoris Introductione ad suas hasce Dissertationes profitetur, variisque librorum tunc editorum testimoniis id comprobat, prout & mirum plurimorum assensum, quem ea subsequentibus temporibus obtinuerit, haudquaquam reticet. Falso autem hanc doctrinam benigniorem, de usu licito opinionis minus probabilis ac minus tutæ, in occursu probabilioris & tutioris, appellari refert sententiam Jesuitarum & Casuistarum, quasi hi solum eandẽ amplecti soleant; cum ex omni religiosa familia & totius Christiani orbis universitate auctores gravissimi suum ei calculum adjecerint, tantumque absit, ut e Societate Jesu primum prodierit, ut potius ex ea primos illius impugnatores nominare liceat. Quam in rem allegat effata *Ferdinandi Rebelli* A. 1608, *Pauli Comitoli* A. 1609. adversus istam edita. Imprimis vero notat, quomodo *Bellarminus* e-

am impugnaverit in admonitione ad Episcopum Theanensem, nepotem suum, quæ ipso quidem inscio Parisiis A. 1618. edita, sed post ad ejus revisionem & locupletationem Venetiis A. 1622. recusa fuerit; quomodo item e *Ludovici Molinæ* scriptis intelligatur, hanc ipsi mentem placuisse, quod nemo queat sequi sententiã faventem libertati adversus legem, quin prius de ipsius veritate moraliter reddatur certus. Primam interim illam communiter obtinuisse ait usque ad tempora Alexandri VII. Pontificis, ad annum nempe 1655 & 1656, ubi ille quinque supra quadraginta opiniones tanquam scandalosas & in praxi perniciosas, interque cæteras & hanc, proscripserit. Mox enim temperatum tunc fuisse probabilitatis usum asserit, tametsi non omnes una eademque via incessisse deprehendantur. Quosdam videlicet adversus istam sententiam adeo exarsisse, ut absolute, universim, atque indistincte docuerint, nemini licere sequi sententiam probabilem minus tutam, probabiliori ac tutiori temere posthabita: id quod familia Prædicatorum maxime præstiterit, e qua *Julium Mercorum*, *Joh. Martinez de Prado*, *Jo. Baptistam Gonet*, ac *Vincentium Contenson* nominat, Jurisperitos item, *Antonium Merendam*, *Prosperum Fagnanum*, & e Societate JESU P. *Ludovicumde Scildere* iis adstipulari memorat. Quosdam vicissim intra certos terminos ac limites principium supra dictum coercuisse, quemadmodum *Jo. Pollenter*, e Sociis JESU, satis id evicerit in opere, quo sexaginta quinque propositiones, ab Innocentio XI. proscriptas, a Societatis suæ Theologis diu ante istud decretum communissimo consensu rejectas fuisse demonstrarit; quæ enim in prima illa, secunda, & tertia propositione adversus laxiorem probabilitatis usum afferantur in medium, jampridem a Jesuitis reprobata ostendi, & alias manifesto satis posse colligi, eos Societatis Doctores, qui amplexi fuerint sententiam benignam sub his terminis conceptam, quod per se loquendo licitum sit opinionem probabilem sequi, relicta probabiliori, nihilominus constanter asseruisse, illam doctrinam non habere locum in Judice, qui rem debeat adjudicare parti habenti pro se opinionem probabiliorem, nec in Medico, qui in applicandis medicinis partem probabiliorem sequi omnino debeat, solumque illam admisisse in materia conscientiæ, quando disputetur, an aliqua actio sit honesta licitaque, vel minus? ubi doctrinam illam restrinxerint ad opinionem certo probabilem. Quinimo post Alexan-
drum

drum VII. ad usum opinionis minus tutæ præcipuos sententiæ communis defensores in Societate requisivisse, ut ea fundamento æquali aut fere æquali cum fundamento tutioris sententiæ niteretur; sed non paucos e recentioribus limites istos iterum amplificasse Auctor insimul conqueritur. Se autem diligenter pensitatis omnibus, quæ circa sententiam benigniorem afferri soleant, ita tandem secum statuisse asserit: ad usum licitum opinionis minus tutæ omnino requiri, ut omnibus inspectis illa appareat operanti simpliciter & absolute verosimilior opposita, & ab ipso judicetur absolute vera, imo requiri, ut sit notabiliter & clare verosimilior, quandoquidem exiguus verisimilitudinis excessus æquales illas efficiat, unde quænam licita sit, prudenter judicari non possit. Hæc jam A. 1670. in peculiari tractatu, R.P. *Jo. Paulo Olivæ*, Præposito tunc generali, dicando a se uberius declarata, sed postmodum Salmanticæ multis accessionibus aucta, & tandem, postquam A. 1687. in Generalem electus esset, in hanc ipsam formam redacta fuisse innuit, cum perpaucos in sua Societate Theologos repertum iri censeat, qui distinctius interrogati: num licitum sit in praxi sequi opinionem probabilem minus tutam, quam quis falsam esse judicet, vel falsam esse prudenter judicare possit? affirmando respondere audeant. Neminem tamen e suis subditis ad ea, quæ heic doceat, amplectenda severius adstringere, sed cunctis potius plenam libertatem, ut in hac controversia eam partem defendant, quam post accuratum studium, ex sincero desiderio inveniendi veritatem conceptum, solidioribus innixam fundamentis deprehenderint, relinquere, imprimis autem judicio summi Pontificis hæc cuncta libentem submittere se velle profitetur. Ipse de cætero hic liber adeo avide exceptus est, ut post primam exscriptionem Romæ, adjectis omnino faventibus censorum suffragiis, superiore anno publicatam, mox etiam Venetiis, ac iterum Antverpiæ sub prælum missus fuerit. Nos uti de proposito Auctoris gravissimi generatim hucusq; disseruimus, ita universam tractandi rationem paulo indicare amplius haud inconsultum arbitramur.

Quatuordecim Tractatus integer Dissertationibus absolvitur, quarum *prima* veluti procemialis est, in notionem vocabuli opinionis probabilis ante omnia inquirens; ubi post diversas aliorum definitiones latius examinatas, tandem asserit, eam ita vocari debere, quæ

concipiatur ob rationes talem præ se ferentes apparentiam veritatis, ut ob illas vir prudens, sine ulla præcipitatione & passione judicet, rem esse veram, licet agnoscat, non repugnare, quod sit falsa, quia videlicet medium assentiendi non sit demonstrativum. Format deinceps hunc statum controversiæ: an ex duabus opinionibus practicis probabilibus, quarum una affirmet, actionem esse malam in se & lege divina prohibitam, ac isto pacto stet pro lege, (quia ad illius observationem moveat,) alia vero id ipsum neget, atque hac ratione faveat libertati adversus legem, (quatenus non imponat homini obligationem abstinendi ab illa actione, sed liberum ipsi relinquat, ut sine peccato eam possit exercere,) postremam isthanc amplecti liceat, quamvis sit minus probabilis quam opposita? Et heic quidem ab iis Theologis se recedere haud dissimulat, qui negativam penitus amplectentes, omnimodam certitudinem ad licite operandum requirant, ac sufficere existimat probabilitatem seu verisimilitudinem adeo conspicuam, ut manifeste præemineat verisimilitudini partis oppositæ, ita, ut operans sine præcipitantia & inculpate possit judicio opinativo prudenti sibi persuadere, rem esse licitam. Cum autem opinio aliqua probabilis esse queat vel subjective & physice existens in mente ipsius operantis, vel objective saltim, quatenus operans cognoscat, dari opinionem talem, quæ ipsi videatur minus verisimilis, in mente aliorum; ideo in Dissertatione *secunda* probat, plerosque Scriptores hujus seculi, dum absolute dicant, licitum esse sequi opinionem practice probabilem, id est, affirmantem non temere, sed prudenter & cum gravi fundamento, aliquid esse approbandum, non loqui de opinione objective sumta, sed in priore sensu de opinione existente formaliter apud ipsum operantem, ita, ut secure & absque læsione conscientiæ possit deducere in actum id, quod ipse probabiliter judicet esse licitum, quamvis sciat, oppositum docere graves Doctores, quorum sententia utplurimum magis probabilis censeatur. Recentiores vero Probabilistas ab hac opinione ipsius operantis transitum fecisse ad opinionem minus tutam alienam, existentem in mente suorum Doctorum, & hanc sequendam pronunciasse: quod tamen minus recte sese habeat, quandoquidem secundum istiusmodi opinionem Doctores tantum ejus, atque illi, apud quos fundamenta eorum superent rationes oppositæ sententiæ, tuto operari possint, non

autem

autem æque alii, quibus fundamenta illa levia appareant, & qui contrarias rationes urgentiores esse existiment. Indeque in Dissertatione *tertia* ostendit, non licere cuipiam sequi opinionem minus tutam in occursu tutioris, quando hæc vel ab autoritate vel ratione appareat operanti ut manifeste probabilior seu verisimilior. Quod assertum ita stabilire nititur, ut ante omnia apud secus operantem non modo minorem seu exiguam prudentiam, sed positivam quoq; imprudentiam ac temeritatem occurrere demonstret, ac postea implicare doceat, ut duæ opiniones, si e diametro sibi sint oppositæ, ita comparentur ad eundem intellectum, ut una sit respectu illius clare & manifeste probabilior seu verisimilior altera, & tamen altera hæc maneat absolute & simpliciter probabilis respectu ejusdem; quia hoc ipso, quod intellectus unam partem contradictionis prudenter approbet ut veram, alteram vicissim reprobet ut falsam. Illum insuper, qui habeat longe verisimiliora & graviora fundamenta, aliquem v. g. contractum esse a Deo prohibitum, & nihilominus eundem ineat, legem Dei contemnere, ac ejus parvi pendere amicitiam, cum sciens se ac volens periculo agendi id, quod graviter a Deo est prohibitum, exponat. Imo esse hanc prudentiam carnis inimicam Deo, quæ non intendat æternam salutem, aut finem alium virtutis, dum istud eligat, de quo agnoscat, esse multo verisimilius, quod finis consecutionem impediturum quam quod promoturum sit. Et heic simul iis respondet, qui hoc pacto jugum Christi nimis asperum & grave reddi asserunt, si pro regula nostrarum actionum non possemus sententias minus probabiles in occursu probabiliorum & tutiorum eligere. Quin potius hac ratione jugum plurimorum præceptorum confringi & ab hominum cervice excuti respondet, ac jugum Christi leve dici ideo tantum observat, quod sit lex amoris, & quia Christus gratia sua vires superaddat, quibus suave omnino ac leve id reddatur. Ulterius sententiam recentiorem supra memoratam ex eo impugnat, quod, si cuilibet opinionem minus tutam posthabita probabiliori amplecti concessum sit, Theologiæ tunc moralis finis exulet, qui actuum humanorum certitudinem respiciat. Non enim amplius requiri scientiam moralem seu cognitionem directam, concludentem e principiis morum, sed sufficere cognitionem pure historicam, quæ testificetur, quod

certa quædam opinio ab aliquibus defendi soleat. Ne plura nunc dicamus de rationibus, quas urget, aliis, ut puta, quando viam inde sterni ait ad asserendum, non obligare legem, dum non fuerit certa ejus & evidens existentia, quod tamen esse manifeste absurdum adversus *Caramuelem* disputat; quando prohiberi dicit studium a Deo petendi genuinam veritatis notitiam: quod si enim ad securitatem conscientiæ quælibet probabilitas, etiam concurrens cum probabilitate longe majori, sufficiat, frustra flagitari illam notitiam, cum & sine ea bene agendi securitas obtineri possit &c. Amplius in *quarta* Dissertatione hoc evincendum suscipit, nemini licere sequi sententiam faventem libertati adversus legem, quando omnibus hinc inde consideratis habeat majus simpliciter fundamentum ad judicandum, esse falsam & legi divinæ contrariam, quam ad judicandum, esse veram & legi divinæ conformem. Quodsi enim licitum non sit, sequi sententiam minus tutam, quando manifeste & evidenter minus est probabilis sententia tutiore, minus etiam fore licitum, quando simpliciter & absolute minus sit probabilis, cum inter probabilitatem simpliciter & absolute minorem, & inter probabilitatem manifeste atque evidenter minorem, difficile admodum sit discernere. Adjungit rationes alias, v.g. quod, ubi sententia tutior seu stans pro lege adversus libertatem appareat operanti simpliciter & absolute verisimilior, ipse tum formaliter vel æquivalenter judicet, rem esse illicitam, suppositoque hoc judicio haud citra peccatum eam exequatur; quod nemo posſit licite in operando sequi sententiam minus tutam, quando judicet esse falsam, posset autem istud facere, si Probabilistarum benigniorum sententia procederet; quod uti e confessione gravissimorum Theologorum Judex in conscientia judicare teneatur juxta probabiliorem sententiam, similiterque Medicus in applicanda medicina, ita multo magis homo in suis actionibus propriis eam debeat attendere. Verum quia multi, ut suam hancce causam juvarent, asseruerunt, Judicem sequi omnino posse sententiam minus probabilem, relicta probabiliore circa jus, ideo in iis refellendis occupatus est, ac tandem prolixe defendit, quod, ubi operanti sententia tutior appareat absolute probabilior, is nequeat formare dictamen prudens conscientiæ, licere sibi operari, cum tamen Theologi communiter dictamen ultimum conscientiæ

entiæ moraliter certum atque evidens de actionis alicujus licentia ad juste operandum postulent. *Quinta* eam quæstionem examinat: an liceat viro docto operari contra sententiam propriam magis tutam, sequendo sententiam aliorum, quam ipse minus censeat probabilem? Et circa hanc rursus negativam Auctor amplectitur, eamque contra varias objectiones vindicat. In *sexta* removet diversas, quæ heic a P. *Terillo* obvertantur, excusationes ejus, qui opinionem minus tutam sibique minus probabilem insequatur, speciatim possessionem libertatis propriæ, cum axioma illud: in dubiis melior est conditio possidentis, solummodo locum habeat in materia justitiæ, quando duæ partes litigantes de jure & justo titulo ad dominium alicujus rei allegent rationes præscindendo a possessione, & aliunde una ex illis ultra has rationes producat pro se possessionem continuatam illius rei, quo ipso faciat, ut jus ejus melioris fiat conditionis. Ast quando dubitetur, an contractus aliquis sit in se intrinsece malus ac prohibitus, nullam supponi libertatem ad illum sine peccato ineundum, sed nunquam posse in favorem libertatis proferri sententiam, nisi per argumenta urgentiora partis contrariæ probetur, illam rem non esse prohibitam in se. Nec sufficere reflexionem, ut vocat, supra non-promulgationem legis, cum aperte falsum sit, non sufficienter promulgatam fuisse legem prohibentem illi, qui post idoneam veritatis inquisitionem majus inveniat fundamentum autoritatis atque rationis judicandi, dari legem talem, quam oppositam. Nec posse hominem recurrere ad legis ignorantiam, siquidem sufficiat, quod prudenter judicare possit ex majori auctoritatis & rationis fundamento, talem legem omnino reperiri. Fallax autem *Terilli* fundamentum & radicem æquivocationum omnium dum aperit, eum præter rem finxisse dicit, opinionem practice probabilem esse regulam quandam absolutam non solum respectu ejus, in quo subjective existat, sed respectu aliorum omnium, in quorum intellectu saltim objective reperiatur; non solum respectu ejus, cui fundamenta illius appareant valde urgentia & prævalentia oppositis, sed hujus etiam, cui eadem parum urgentia & minus clare verisimilia oppositis videantur. Postquam autem in Dissertatione *septima* per rationes plurimas probavit, & illum intellectum, apud quem

quem concurrant fundamenta duarum opinionum oppoſitarum cum æquali vi & pondere movendi, neutri eorum poſſe aſſenſum præſtare, ſed neceſſario manere ancipitem, ſuſpendendo alterutrius partis firmum & determinatum judicium; e quo dubio ſpeculativo poſtea utique dubium oriatur practicum circa operationem hic & nunc exercendam; in *octava* ſcopum antecedentium omnium declarat, non licere ſcilicet ſequi ſententiam faventem libertati adverſus legem, quin poſt diligentem veritatis explorationem citra paſſionem & culpam appareat operanti in actu primo vel unice veriſimilis vel clare & ſenſibiliter veroſimilior oppoſita, & ab illo judicetur vera judicio abſoluto, non fluctuante. Quod ut obtineat, duo pro ſua aſſertione principia allegat. Primum eſt, quod nemo poſſit licite ſequi ſententiam minus tutam faventem ſuæ libertati adverſus legem, niſi prius ſibi inculpate perſuadeat, illam eſſe veram & legi divinæ conformem, oppoſitam vero ſtantem pro lege adverſus libertatem eſſe falſam, & imponere homini onus, quod Deus illi non impoſuit. Secundum, quod nemo poſſit prudenter ſibi perſuadere, ſententiam faventem ſuæ libertati eſſe veram, ſeu illi ut veræ aſſentiri prudenter, quin poſt ſufficientem veritatis indagationem inveniat majus ſimpliciter fundamentum ad hoc judicandum, quam ad judicandum oppoſitum. Quæ principia paulo poſt latius deducit, & fundamentum benigniorum Probabiliſtarum, vitioſe argumentantium a fundamento gravi & prudenti reſpectu aliquorum, ad fundamentum prudens & grave reſpectu omnium, denuo enervat. Diſſertatio *nona* circa iſtud unice occupata eſt, ut edoceat, modum dirigendi conſcientias & reſolvendi caſus per probabilitatem opinionum, præſcindendo ab ipſarum veritate, ſeu non curando, an ſint veræ, eſſe contra doctrinam, quam ſemper tradiderit D. Thomas, utpote qui ad uſum licitæ opinionis minus tutæ maximopere requirat, ut prius operans ſine dubitatione judicet, eam eſſe veram & legi æternæ conformem. Sed id nos minime moratur, quin ſtatim pergamus ad *decimam*, in qua ad licitum opinionis probabilis pro modo hactenus delineato conceptæ exercitium haud neceſſario requiri oſtendit, ut operans omnimodam de veritate ſententiæ minus tutæ, quam ſequitur, certitudinem poſſideat, nec opus eſſe, ut aſſenſum illi præſtet adeo firmum certumque, ut ex ſe omnem falſitatis formidinem penitus excludat.

cludat. Quamvis enim *Libertus Fromondus*, *Jo. Sinnichius* & *Guil. Wendrokius*, nunquam probabili opinione uti licere existiment, communi tamen inter Theologos hujus seculi pariter & antiquos sententiæ id repugnare asserit, & *Cajetani*, Auctoris armillæ, *Almaini*, *Adriani* ac D. *Thomæ*, qui abire a cæteris in quibusdam locis videantur, effata commodius exponere satagit, loqui eosdem innuens de tali certitudinis gradu, qui tot signis & conjecturis nitatur, ut securum reddat hominem & anxietatem excludat, non omni tamen subiata ideo formidine. Et uti reliquos Auctores benigniores hujus seculi pariter ad eum modum sensisse arbitratur, ita istud amplius per plura testimonia, exempla, diversasque rationes alias corroborat. Sed cum ex decreto *Alexandri VIII.* Pontificis, A. 1690. triginta ac unam propositiones condemnante, tertio loco & hæc rejecta fuerit, quæ asserat: non licere sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam; & id attingere videatur Auctoris certitudinem, quam ab opinione probabili haud removendam statuit, idcirco eam latius cum sua mente conciliare studet, ac simul, quid scire sit? quid opinari? quid resultans ex opinione formido? ostendit. Scire accipit de iis, quæ nec aliter se habere possint, nec aliter se habere scienti videantur. In opinione autem considerari cupit aliquid, quod aliter se utique habere possit, vel sane opinanti ita videatur; unde duo hic concurrant, assensus circa actum & cognitionem, atque insuper assensus circa non-repugnantiam ad oppositum. Hanc igitur conditionem non-repugnantiæ & fallibilitatis mediorum, quibus ad opinandum moveatur aliquis, formidinem appellari, quia intellectus rem, quam opinetur & per opinionem determinate judicet ac enunciet ita esse, posse tamen se habere aliter existimet. Quæ tamen formido unius partis non excludat assensum determinatum alterius, sed rationes saltem illius, cui quis assensum præbeat, non evidentes verum tantummodo probabiles constituat. Unde porro concludatur, bene omnino consistere cum essentia opinionis moralem certitudinem, quæ saltim alias opponatur certitudini omnimodæ, qualis in actibus divinæ fidei occurrat, & evidentiæ, qualis in assensu primorum principiorum & conclusionis scientificæ reperiatur. Alexandrum autem Pontificem in ista propositione non ivisse impugnatum asserit sententiam, quæ moralem illam certitudinem præscribat, sed taxasse potius rigorem *Sinnichii* & aliorum, qui certitu-

dinē omnimodam formidinemque omnem, etiam quæ ſit exigua, excludentem poſtulent, quos & ipſe ſolutis, quæ urgeri poſſint in contrarium, argumentationibus, redarguit. In Diſſertatione *undecima* affirmat, neminem ſequi poſſe etiam circa Jus naturalę opinionem minus tutam probabilem, re ipſa falſam, & eum in finem contendit, poſſe dari ignorantiam invincibilem juris naturalis, quoad concluſiones remotas & valde diſtantes a primis principiis, de quarum veritate extent ſententiæ probabiles oppoſitæ inter Doctores ſapientiſſimos & pientisſimos. Si enim ea non daretur, fieri haud poſſe, quin homo poſt diligentem ac juſtam inquiſitionem ſemper aſſequeretur veritatem. Sed cum Doctores ſancti in docendo errare potuerint circa J. N. quoad illas concluſiones remotas, qui tamen diligenter in veritatem inquiſiverint, & lumen neceſſarium a Deo flagitaverint; omnino etiam alios operari poſſe contra J. N., ita tamen ut ille error eis non imputetur ad culpam, cum opinionem ſuam probabilem fundaverint in ignorantia Juris Naturæ invincibili. Deum namque homini facienti, quod in ſe eſt, non denegare quidem ſuam gratiam in iis, quæ ad ſalutem neceſſaria ſint, id autem non eſſe extendendum ad eorum cognitionem, quæ diſputentur inter Theologos. Unde omnino liceat ſequi ſententiam, quæ in ſe repugnet remotis J.N. principiis, ſi quis poſt impenſam debita ratione diligentiam, non invenerit grave fundamentum, rem eſſe malam, ſed e rationibus potius idoneis judicaverit, quod eam in actum deducere conceſſum ſit. Tandem in reſiduis tribus Diſſertationibus, quibus operam hanc univerſam abſolvit Auctor, ad varias recentiorum Probabiliſtarum ſibi adverſantium objectiones reſpondet, ac imprimis in *duodecima* rem habet cum *Terillo*, qui doceat, univerſaliter tam in materia fidei, quam morum, unicuivis licitum eſſe ſequi quamcunque opinionem directe minus probabilem minusque tutam, etiamſi oppoſita ſit & credatur ei probabilior. Illum namque adverſus hanc, quam defendit Noſter, ſententiam ita inter alia inſurgere ipſemet affirmat, ut ſequi exin velit, Deum per integrum fere ſeculum Eccleſiam deſeruiſſe, ut doctrinam falſam ſuis inculcaverit. At enim vero iſtud dubium ita diſſolvit Auctor, ut ante omnia hanc a Terillo propugnatam ſententiam non eſſe omnium hujus ſeculi Theologorum reſpondeat, ac poſtmodum argumentum retorqueat, aſſerens, e ſen-

e sententia Terilli unumquemvis posse concludere, omnes antiquos Theologos, qui ante seculum præteritum sententiam contrariam fuerint amplexi, graviter errasse, quod tamen multo absurdius creditu que difficilius appareat. Mox in subsequente Dissertatione *decimatertia* amolitur a sententia abs se propugnata defectum autoritatis idoneæ, quæ ipsi a quibusdam recentioribus objiciatur. Eam quippe roborari ait insignibus Patrum testimoniis, *Clementis* puta, *Cypriani*, *Chrysostomi*, *Basilii*, *Nazianzeni*, *Lactantii*, & imprimis *Augustini*, Theologorum item omnium, qui post Magistrum Sententiarum floruerint; ubi maxime *Bonaventuram*, *Bernhardinum*, & *Antoninum* allegat, quibus adjungit *Thomam* & *Scotum*, & utriusque discipulos, imo & Scholasticos antiquos reliquos, Auctoresque Summarum qui ante A.1577. scripta sua propalarunt. Multum quoque assensui præstantissimorum Cardinalium, *Cajetani*, *Bellarmini*, *Pallavicini*, *Laurea*, & *de Aguirre* tribuit. Ac tandem in *decima quarta*, quæ est ultima, exceptiones adversariorum cæteras prolixe discutit, dum v.g. conscientias per sententiam hactenus traditam torqueri negat; dum Breve *Urbani VIII*, e quo *Terillus* contendat probare benignam suam opinionem, nihil huc omnino facere respondet; dum obedientiam debitam superiori præcipienti, per contrariam potius doctrinam, quam per suam, labefactari asserit, & quæ similia sunt ejus generis, a nobis fusius haud indicanda, ne limites alias observari solitos nimiopere transiliamus.

HISTOIRE GENERALE DES DROGUES.

i. e.

Historia generalis Simplicium, tractans de Vegetabilibus, Animalibus & Mineralibus; Opus Figuris æneis plusquam 400 exornatum:

Autore *Petro Pomet* Mercatore Drogista.

Parisiis, apud J. B. Loyson & Aug. Pillon, 1694. in Fol. Alph. 6. plag. 7.

TRia Naturæ Regna, quatenus copiosissimam Mercantibus Materiam largiuntur, *totidem* hic *partibus* Autor noster pertractans, *primam Vegetabilibus* ita vendicat, ut Semina, Radices, Ligna, Cortices, Folia, Flores, Fructus, Gummata atque Succos, una cum iis,

quæ inde parata in Drogistarum, quos vocant, officinis, sua cumprimis prostant, *Libris novem* sistat explanata. In *altera* vero *parte Animalia* nunc integra, nunc quæ ab iis desumuntur partes, perlustrat, subdivisione omni, aliis solenni, prorsus neglecta. *Tertiam* denique *partem* Regno *Minerali* consecrat, diversitatemque Fossilium sive Metallorum, Mineralium stricte sic dictorum, Bituminum, Lapidum atque Terrarum, additis etiam absque omni parandi tamen modo; quæ Salia inde, Croci, Tincturæ, ac Magisteria confici soleant, *quinq; Libris* absolvit, tali ubique fere procedens methodo. Primo nempe in prioribus duabus partibus effigie Simplicis haud invenusta Lectoris alit memoriam; deinde nominis rationem, ejus vim & originem tribus verbis attingit; postea Simplicis cujusvis descriptionem communicat; tandem vero, quod est optimum, Notas bonitatis, & quomodo ab adulteratis quævis materia simplex sit discernenda summo studio indagat atque inculcat. Et hac quidem ratione cum pleraq; in ipsorum Drogistarum officinis prostantia simplicia, non vulgaria tamen & ubivis obvia tantum, sed & rariora nonnulla enucleet, pauca ex hisce curiosi in Lectoris gratiam annotare operæ erit pretium.

p. 46. In fronte Radicum Radicem *Ipecacuanha* (in Ephemer. German. Decur. 2. A. 10. nomine Hipepocannæ indigitatam) in scenam producit, in insulis Peruvianis non nisi supra mineras auri reperiundam, ideoque Mine d' Or etiam salutatam, tanto pretiosiorem, quod nec fossorum robustissimus integrum per annum plures ejus quam duodecim libras valeat eruere. Folia emittere dicitur, a Parietariæ foliis vix abludentia, e quorum medio flores albi pentapetali enascantur, a parvis suffulti capitulis, abeuntibus in baccas primum fuscas, sed colorem cum maturitate in alium ex rubro & fusco mixtum mutantes, atque sub magnitudine cerasi sylvestris intra pulpam interiorem albam succulentam duo grana dura, flavescentia & lenticularia recondentes. *Append.* Ex communicatione autem Domini de Tournefort, tres Radicis istius notat species, colore oppido inter se distinctas. Prima subflava, ceu potius Peruviana, ab Hispanis Bexugillo & Gallis Becougille denominata, ubi crassissima, tres circiter lineas adæquat, contorta est, & rugis annularibus pariter instructa, atque nervo pallidiori per longitudinem ejus transcurrente, quem cortex lineam crassus cingat, fragilis ubi exsiccatus fuerit, amarus itidem, re

sino-

ſinoſus maximisque viribus præditus. Radicis quippe drachma dimidia vel integra, in vino, juſculo, aliove liquore convenienti propinata, dyſenteriæ cuicunque, etiam inveteratæ, & ubi inteſtinum rectum ob materiæ ſtagnationem jamjam exulceratum, medetur optime; modo vomitu peracto, quem ordinario concitat, mixtura quædam ventriculum ac inteſtinum corroborans, interdum laudanum quoq; opiatum vel ſyrupus papaveris albi, exhibeatur. Ægrorum interim eos, qui ad vomendum alias minus diſpoſiti, poſt nauſeam inſignem graviter ex eadem purgatos, nullos vero, qui nauſeam haud perſenſerint, reſtitutos Dom. de Tournefort obſervavit, argumento ſibi manifeſto, a medicamine iſto, quo bis vel ter etiam, ſi opus, repetito promtius & ſecurius non habeatur, materiam non ſolummodo ventriculi alienam, ſed ſalia quoque heterogenea tanquam morbi cauſam, e maſſa ſanguinea per glandulas primarum viarum eliminari. Nigricans autem & alba Radix, ſecundam & tertiam quæ conſtituunt ſpeciem, Piſoni non incognitæ, licet loco natali, quem Braſilia concedit, conveniant, ſtructura nihilominus & virtute multum inter ſe diſcrepare innuuntur. Prior namque antecedanea ſubflava tenuior & rugoſior, dentata quaſi, itemque magis amara & violentior, adeoque non æque tuto aſſumenda, deſcribitur; poſterior vero amaroris omnis omniumque rugarum annularium expers, alvum tamen ſatis commode evacuans, & in Dyſenteriæ cura unice hactenus Dn. de Tournefort uſitata, traditur.

In Lignorum claſſe inter alia mentio fit duorum lignorum ex Inſulis Americanis, quibus Ventus nomen dedit, (Iles du Vent) apportari ſolitorum. Eorum alterum uti nunc ab odore Lignum Citri (Bois de Citron), nunc ab uſu, quem incolis in locis obſcuris illuminandis vice candelæ præſtat, Lignum lucens ſive candelæ (de la Chandelle) nunc a floribus jaſmini Lignum appellatur; ita alterum a colore ſolum rubicundo Lignum Corallinum (Bois du Corail) audit. Arbor, quæ Lignum Citri ſuppeditat, ramoſa fertur, prægrandis, foliis dotata ad Lauri folia accedentibus, niſi quod majora ſint & viriditatis lucidioris, floribusque inſtar Aurantiorum, odore tamen flores jaſmini æmulantibus, quos fructus nigri & parvi, magnitudine piperis, excipiant. Merito autem Drogiſtarum Rothomagenſium nonnulli una cum Patre du Tertre culpantur, quod lignum hoc pro p. 108.



vero Santalo citrino habuerint ac divenderint; cum fraus exercitato rerum naturalium magiſtro e pondere, odore ac ſapore detectu ſit facillima. Lignum enim Citri ob texturam compactiorem oleumq; copioſius longe ponderoſius ſantalo exiſtere citrino, odoremque ſpirare fortem, citrum quodammodo referentem, Santalo contra ſaporem & odorem dulcem eſſe atque ſuavem. Nec aliud circa lignum
p. 109. traditur Corallinum, quam quod varia nunc ex eo, æque ac e ligno Citri parentur utenſilia, antehac vero in locum pariter Santali rubri ſurrogatum fuerit, ab hoc tamen, quod obſcure rubet magisque ponderat, levitate ac rubore flammeo promte dignoſcendum.

p. 152. Libro quinto occaſione Herbæ Anil dictæ modum Indigo parandi Autor edocens, differentiam ante omnia conſtituit pigmenta inter, quæ Gallis vocantur l'Inde, & Indigo, quorum illud ex ſolis foliis, hoc ex foliis & caulibus, ope aquæ & olei olivarum conficiatur. Indicum (Inde) nempe paraturi, herbam Anil, ubi attacta folia decidunt, reſecant, foliaque a caulibus liberata in vas, cui ab infuſione nomen de la Trempoire, quaſi infundibulum diceres, notabili aquæ quantitate repletum immittunt, infuſione per triginta & ultra horas peracta epiſtomium vaſis aperiunt, & aquam e viridi cæruleam inde in aliud vas a conquaſſando la Batterie denominatum, effundunt. Effuſam porro tundunt concutiuntque per horam unam & dimidiam, inſtrumento ligneo octodecim vel viginti pedes longo & cochlearis figuram referente. Ut autem conquaſſatio hæc aquæ facilitetur, & a paucioribus hominibus peragatur, aliud excogitarunt inſtrumentum. Imponunt vaſi magnum cylindrum ligneum hexagonum ferreo utrinque bacillo inſtructum, duobusque ejus lateribus e diametro oppoſitis ſex ſitulas pyramidales in fundo perforatas appendunt, quo cylindro per operarium unum rotato, ſitulæ alterius lateris aquam in vaſe contentam excipiant, alterius vero lateris aſcendentes eandem modo exceptam per fundos patulos rurſus transmittant. Atque continua hac effuſione aquam conquaſſare pergunt, usq; dum in ſpumam abeat, qua apparente ſucceſſive tantillum olei olivarum, i. e. unam tantum libram in vas, e quo ſeptuaginta Indici acquiruntur libræ, penna inſtillant; oleo enim accedente ſpuma in duas mox partes ſecedit, grumulique, æque ac in lacte contuſo, transparent, qui ubi aqua quieti relicta in morem fecularum fundum petierint, aquam demum

mum claram educunt, feculam illam instar fecum vini e fundo colligunt, per manicam Hippocratis à residua aqua liberant, exsiccant, & nomine Indici, quia ab Indis conficitur, servant. Eodem plane modo ex tota planta in usum vocata Indigo præparari, quin ex Isatide quoque simile pigmenti genus ratione dicta separari posse adstruitur. p. 154. p. 155.

Libro septimo dum Fructuum Vaniglia denominatorum injicitur mentio, Hispani ex eorum pulpa Balsamum colligere collectumque sibi servare notantur. p. 208.

Libro octavo, qui errore Typographi septimus etiam inscribitur, Balsamus quidam, quem Americani ex Gummi Carannæ conficiant, in vulneribus ac hæmorrhoidibus multum effertur, ejusque descriptio talis annectitur: ℞. *Terebinth. opt.* ℥ß. *Liquidambr.* ℥iij. *Balsam. Copayb. Gumm. Tacamabac. Carann. aa.* ℥ij. *Mastich. Myrrh. Aloes. Thur. Sang. Dracon. Sarcocoll. aa.* ʒiß. Liquefactis gummatibus & resinis reliquorum admisceantur pulveres massaque ad usum servetur. Balsamus Peruvianus venditatur triplex: albus per incisionem trunci exstillans falsoq; pro vero nonnunquam Opobalsamo venalis, cum Opobalsamũ Citri odorem referre debeat; niger sive lotus, veluti pinguedo ipsa aquæ innatans, postquam arbusculi cortex, rami & folia sufficienter huic incocta & ab igne remota fuerint; & siccus denique, Baume en coque, qui ex recisis ramis albicanti stillet colore, vase vero quodem collectus & in Sole exsiccatus in rubedinem abeat. Iis namque, qui ex Benzoë, Storace & Balsamo Peruviano siccum hunc autumant compositum, fides adhibetur minime; artificialis autem Balsami, qui vulgo juxta nonnullos pro Balsamo Peruviano nigro vendatur, sequens communicatur compositio. ℞. *Terebinth. opt. Resin. Pini ana* ℔j. *Ol. Been, Oliban. Ladan. Elem. ana* ʒvj. *Flor. Lavendal. Nuc. Mosch. ana* ℥iv. *Spic. Nard. Lign. Aloes ana* ʒij. *Myrrh. Aloes, Sang. Dracon. ana* ℥iß. *Valerian. min. Irid. Junc. odor. Acor. ver. Asar. Mac. Benz. Storac. ana* ℥j. *Zedoar. Galang. min. Caryophyll. Cinamom. Castor. Mastich. ana* ʒvj. *Terebinthina, Resina Pina, Gummi Elemi & Oleo Been super carbones liquatis reliquorum ingredientium addantur pulveres, hinc omnis massa retortæ immittatur tertiam ejus partem relinquendo vacuam, juncturisque optime lutatis destilletur ex arena, ubi oleum coloris primum aurei ex rubedine demum nigrican-* p. 265. p. 277. p. 278.

p. 295. *gricantis prodit.* Porro & Opii tres ſpecies obſervantur: prima a Turcis Amphium nuncupatur, eſtque liquor lacteus ex capitibus papaveris nigri per inciſionem vulneratis ſtillans, colorem temporis tractu cum fuſco commutans; altera per ſe abſque inciſione ex eorundem capitum papaverinorum poris tranſſudat, opeque caloris ſolaris inſpiſſatur, omnium præſtantiſſima; tertia e capitibus papaveris albi vulneratis provenit & a Turcis Meslac dicitur. Nullam tamen harum ſpecierum in noſtras pervenire manus, ſed craſſum potius quoddam per expreſſionem ex tota planta prolectum, & ignis adjumento inſpiſſatum Opium nobis concedi, ſæpiusque a Turcis quoq; ſuccum Glaucii, Papaveri corniculato non abſimilis, exprimi atque cum ſucco papaveris permiſceri juxtim annotatur. Plura non addimus, quia hæc, quid Lector ab Autore ſibi polliceri debeat, jamdum docere queunt.

PETRI LE CERF PHIL. ET MED. D. SERENISSIMI Haſſiæ Principis Archiatri & Phyſici Darmſtadini Tractatus de Febri Gallica.

Francofurti apud Martin. Hermſtorff 1694. in 4. plag. 5.

OCcupatis hodie ſedulo in febrium natura inquirenda medicis, Nobiliſſ. Autor juſſus de morbis populariter graſſantibus h. t. ſcribere, malignam, a bello adhuc durante & occaſione Gallicam nominatam, ſibi eruendam ſumpſit. Præmiſſo hinc diſcurſu de ſanitatis & morbi eſſentia, febrim in genere motui lymphæ, ſanguinis & ſpirituum præternaturali, actiones lædenti, ſeu efferveſcentiæ h. l. alcali Gallorum cum acido ſanguinis Germanici, adſcribit, (fermentationi naturali ipſi habitæ, contrariæ,) ei quæ in glandulis potiſſimum, lymphæ quidem, frigus, ſanguinis vero calorem cauſanti indeque ſubitam actionum læſionem. Hinc miaſmatum, & Gallici hujus naturam inveſtigat, impeditam ſpirituum tranſpirationem ſeorſim laudans, & cauſas e rebus naturalibus corporis conſtitutionem, diſpoſitionem ſpirituum & partium, aëris, ciborum & reliquorum nonnaturalium, ex præternaturalibus vermium rationem ſubjungit. Porro Ideam febris hujus ſiſtit e ſignis eruendam, præſervationem, diætam, quam in ſequentibus pertexit, additis remediis, illis titulis congruis.

gruis. Inde prognosin, hinc curationem methodo dogmatica prosequitur, ubivis interspersis observationibus & cautelis practicis; ubi & de emeticis, venæ sectione, usu volatilium & bezoardicorum aliorum, denique & de symptomatibus quibusdam consequentibus, petechiis, angina, linguæ paralysi, veterno, agit.

ANDREÆ MULLERI, GREIFFENHAGII, OPUscula nonnulla Orientalia uno Volumine comprehensa.

Francofurti ad Oderam, apud Joann. Völcker, A. 1694. in 4. Alphab. 3. plag. 3.

TAmetsi singula, quæ heic a nobis exhibentur, opuscula, si annos, quibus eorum editiones se invicem excepere, consideres, Actorum nostrorum periodum utique anteverterunt; eorundem tamen non possumus non nunc demum mentionem injicere, postquam novissime a bibliopola in unum volumen redacta fuere, instituto haud quaquam supervacaneo, cum, quæ passim olim non sine studio conquirenda veniebant, junctim hoc pacto facilius haberi possint. Auctorem vero agnoscunt Virum plurimum reverendum atque celeberrimum, *Andream Mullerum*, Greiffenhagium, resque potissimum concernunt Sinicas, quarum ille notitiam adeo egregiam est assecutus, ut in ea superiorem habeat ex Europæis plane neminem, ac desiderio adeo majori *Clavem* ejus *Sinicam*, quam dudum promisit, eruditi exspectent. Ea interim dum adhuc carent, non sine usu atque delectatione fruuntur reliquis operibus ab illius industria profectis, & inter hæc etiam præsentibus, quorum seriem huc apponere non pigrabimur.

Primum nempe locum occupat *Historia Chataica*, per *Abdallam*, patria *Beidavæum*, qui seculo decimotertio post C. N. vixit, consignata. Hunc variarum in Oriente Dynastiarum compendia historica scripsisse, & iis lineæ historiarum margaritariæ in sua lingua fecisse titulum observat; prout etiam ex illis priora quatuor una cum octavo, quod hanc ipsam complectatur Chataicam historiam, nonique parte se possidere asserit. Omissis autem cæteris compendiis, quæ agant de Prophetis, Patriarchis, & Sapientibus ab Adamo usque ad Noachum; de Regibus Persiæ usque ad Duhhacum Ulwanæum,

Ephrasiabum Turanæum, Alexandrum Græcum, & Augustum Romanum; de Califis Mohammedicis; deque Regibus Iranæis: octavum solum istud (in quo a primo Sinarum, quem vocat, Rege Púên-cù exorsus, usque ad postremum, quem Altunchan nuncupant, Abdalla progreditur,) Persice non modo, sed Latine etiam ex sua interpretatione Noster exhibuit, ac notas ubiq; eruditissima subjecit. Ei mox adjungitur celebratissimum istud *monumentum* marmoreum, quod anno Domini 780 exaratum, & A. 1625 in provincia Xensy ad ejus metropolim Siganfu repertum fuisse ait, ut scriptura ex parte Sinica, ex parte Syriaca, historiam Evangelii inter Sinas prædicati sistat. Hujus ante omnia lectionem seu phrasin cum versione & metaphrasi paraphrasique copulatam communicat. Cum enim Athanasius Kircherus in China sua illustrata id produceret, novumque Theologiæ nostræ ex illius contentis facesseret negotium, ejus in se recipere examen Noster minime detrectavit, ac istud adeo non correctius modo edidit, verum tonos quoque vocibus adjunxit, defectus apud Kircherum occurrentes supplevit, errataq; sustulit, integram simul illius historiam enarrans, & commentario id novensili illustrans, quorum primus Criticus est, & ipsam tabulæ editionem concernit: secundus Grammaticus, qui circa voces, & notas, notarumque lectionem & interpretationem, accentus item, occupatur: tertius Philologicus, qui idiotismos Sinicos indicat: quartus Chronologicus, tempora ibi designata ad epochæ Dionysianæ modum determinans: quintus Prosopographicus, personarum in eo commemoratarum nomina, & quæ de iis alias innotuere; sextus officia; septimus locorum appellationes; octavus res naturales ibi obvias examinans. Nonus denique dogmata & ritus Christianorum in Sina tunc degentium ita explanat, ut obscuriora ubivis illustret, controversa autem, & ea præcipue, quæ Protestantibus cum Romanensibus intercedant, ecclesiasticæ illorum temporum antiquitatis monumentis, sicubi opus est, declaret; quæ tamen partem solum, ut ait, sui examinis constituant: reliqua enim ob ferrea hæc tempora vix iri editum, in quadam ad Illustrissimum Dominum Laurentium Christophorum de Somnitz epistola *hebdomadi observationum Sinicarum* præmissa indicat. Et ipsa hæc Hebdomas in hoc Volumine nunc sequitur, quæ Historiæ Sinicæ, antiquissimæ juxta ac recon-

centissimæ, synopsin; notitiam Evangelii in Sinis per singula N. T. secula deductam; Regum Sinicorum, quotquot hodie, Sinensium annalibus nondum integre vulgatis, de nomine innotuerunt, elenchum, ubi Mendozæ & Martinii circa eos discrepantiam manifeste omnibus ob oculos proposuit, temporumque synchronismos, ubiubi licuit, adjecit; herbæ laudatissimæ, Ginseng dictæ, iconismum; memorabilem planetarum synodum a Sinis observatam; specimen commentarii Geographici circa Marci Poli Veneti Historiam Orientalem; ac brevem denique commentationem de hebdomadica dierum distributione earumque planetaria denominatione Sinis quoq; olim usitata complectitur. Ulterius succedunt de *Sinarum magnaq; Tartariæ rebus commentatio alphabetica*, quam e suis Commentariis supra Poli Historiam modo memoratam, & MStis aliis excerpere saltim ac delibare voluit; *Geographicus Imperii Sinensis nomenclator*, ubi simul de mappis illius Imperii Geographicis, & speciatim de nova illa, quam post A. C. 1644 editam existimat, sibique ab amplissimo viro, Nicolao Witsen, Amstelodamensis Reipublicæ Senatore, transmissam refert, in Præfatione multa disserit; *Basilicon Sinense*, primorum hominum, Regum, & Imperatorum Sinensium seriem, nomina, cognomina, ætatem, res gestas, & alia quædam ab exordio regni ad nostra usque tempora studiose colligens. Cum autem in Bibliotheca Potentissimi Electoris Brandenburgici, quæ est Coloniæ ad Spream, asservari vidisset nonnullas *Mosis Mardeni*, Syri, qui ex Mesopotamia superiori seculo in Europam venit, & *Andreæ Masii* Cliviaci Ducis Consiliarii, *epistolas amœbaeas*, unam ex istis alteramque Syriaco charactere impressam & Latine abs se versam edidit. Ac prior quidem a Mose A. 1553. d. 18. Junii scripta, posterior autem Masii responsoria die ejusdem mensis 22. concepta est. In illa Mardenus multum queritur de Proceribus Romanis, quod non satis digne ipsum tractaverint; in secunda Masius eum bono animo, interque alia de favore Fuggeri, cui eum commendarit, certissimum esse jubet. Utrique notas quasdam philologicas pariter ac theologicas subjunxit Mullerus, qui & postea dedit duas dissertationes sub finem hujus voluminis comparentes, in quarum una de *Mose* illo *Mardeno* agit prolixius, in altera de *Syriacis utriusque,*

 & novi

& novi maxime Testamenti versionibus, deque *editione Novi Testamenti Syriaci A. 1555 Viennæ Cæsareis typis expressa*, cui suam quoq; operam Mardenus impendit, plura commentatur.

MOSES VINDICATUS;
sive
Asserta historiæ creationis mundi aliarumque, quales a Mose narrantur, veritas &c.

Amstelodami apud Georg. Gallet, 1694. in 12. plag. 10.

UT oppositum hoc scriptum est *Archæologiis Philosophicis*, quas Doctor Anglus, Thomas Burnetius, in lucem protulit, quarumve argumentũ recensent *Acta A. 1693* publicata, *p. 270. & 291:* sic in eo imprimis id agit Autor Theologus, ut ostendat Burnetianam opinionem de creatione mundi, de protoplastorum tentatione, & diluvio, dictis in Archæologiis disseminatam, rectæ adversari fidei, quam ab initio
p. 10. sancta Dei Ecclesia tenuit. Cum autem tria potissimum occurrant, in quibus examinandis Theologi hujus opera versatur; ipsa videlicet operis materia, argumenta dein, quibus hypothesin suam adversarius nunc communire, nunc illustrare studiut, & πάρεργα nonnulla, ferente occasione, ab eodem velut aliud agente, vel judicia hominum experturo, interspersa: ultima sub censuram primo loco eo fine vocavit, ut profligatis iis ac eversis, ipsam causæ arcem tanto felicius invadere & expugnare posset. Monet vero, errores in Archæologiis
p. 22. obvios, duorum esse generum, & nonnullos disertis quidem autoris verbis absque diverticulo: alios non ita perspicue proponi, sed quodam quasi integumento obvolutos.

p. 11. In nominatis itaque parergis, sive Burnetii singularibus, eminent: quod is locum aliquem & jumentis dare in futuro seculo, iis-
p. 16. que tribuere felicitatem & immunitatem a labore videatur: quod animam Messiæ, & œconomiæ Christianæ mysterium, præextitisse
p. 23. mundi periodis & fundationi asserat: quod naturam hominis imperio privet in creaturas reliquas, iis quæ a Mose memorantur, me-
p. 26. ram in allegoriam, contra manifestam octavi Psalmi sententiam, con-
37. versis: quod neget, Adamum, violatione mandati a Deo accepti, suis nocuisse posteris: quod viribus & ductui naturæ non vereatur adscribere

scribere, quæ sacræ literæ nonnisi ad potentem sapientemque Dei providentiam referunt: quod materiam chaus ante mundi Mosaici 42.
principium velit extitisse, & qui ejus generis sunt flosculi, cum honore literis sacris, Deique Spiritui debito pugnantes alii. Et quamvis antiquissimum Judaicæ reipublicæ conditorem a se pro viro θεοπνεύστῳ haberi Burnetius fassus sit, in singulari quadam *Epistola*; ali- 48.
ter tamen eundem sensisse docet Autor, Archæologiis scribendis intentum, neque se scriptoris jam, sed scripti examen suscepisse. 55.

Ut clarius igitur appareat, scatere Archæologias stupendis, & Christiana in ecclesia nullo modo ferendis erroribus, negari in iis probat creatam ex nihilo compagem mundi, materiamque ex qua 56.
constat, affirmari æternam; idque his cumprimis argumentis: quod multis in locis istarum architectus supponat naturam rerum omnium effectricem: quod priora Geneseos capita meram in allegoriam, 58.
ad captum populi confictam transferat: quod ex materia antecedente, de cujus tamen creatione constare nobis ex nulla Scripturæ parte queat, terram eductam fingat: quod omnia Scripturæ loca, in quibus terræ 63.
cœlorumque productionis gloria in Deum tota refunditur, perquam dubia reddat, eoque natas inde laudes in poetica schemata & blanditias aulicas convertat, istaque temeritate sua efficiat, ut diræ, quibus devoventur idola, quorum opus non sunt, in fumum & favillam abeant: quod vim rationis denique oraculorum cœlestium exæquet autoritati, quando diluvium non alio evenire modo potuisse 66. seqq.
asserit, quam quem ipse est commentus. Vel solius ergo Burnetii exemplo intelligi, ubi timoris pudorisq; limites semel audacia humana transiliit, excussis eam quasi frænis quaqua versum vagari, nec ullis amplius pati limitibus sese coerceri. Septem primi Geneseos capitis versus conciliare principiis suis cum non posset pseudophilosophus (hujus enim personam non sine offendiculo Burnetium induisse); non dubitavit asserere, satius fuisse futurum, si illos omnino præteriisset ὁ νομοθέτης. Plures itaque hujus generis Zoili si ex Ev- p. 68.
angelicorum Ecclesiis exirent, nihil causæ imposterum Vindex fore censet, cur Romanæ invisam Expurgatorum audaciam adeo exprobrent.

Neque contentus fuit Noster communibus argumentis rem agere; machinis etiam ex ipsius adversarii armamentario depromtis

fundamentum ejus diruit. Si enim *primus* (ut Burnetius posuit) 70. *ad veritatem gradus est, præcavere errores: si ad eos evitandos, in sapientiæ studio legis vim semper habet, nulli auctoritati nisi divinæ, nulli rationi nisi claræ & distinctæ, penitus adhibendam esse fidem*; causam huic fuisse minime, cur ullam ulli de divina Mosis auctoritate moveret litem. Rursus, si *ex ipsa sæpe aviditate augendæ scientiæ in errores dilabimur, vel ob præcipitem animi assensum ante examen peractum: vel istarum rerum cognitioni inhiando, in quibus nullum examen locum habere potest, nempe quæ viribus nostris attingi nequeunt, neque ullo lumine, vel a natura nobis dato, vel cælitus admisso*; neminem inficiari posse, quod omnipotentiæ divinæ opera, eorumque modus, & ordo omnino sint ex eorum numero, quæ aciem perspicacissimi cujusque ingenii fugiant. Tertium, quo se jugulet adversarius, gladium his in verbis recondi: *Uti divina sapientia, ita humana stultitia est imperscrutabilis. Neq; ideo negandæ sunt res certæ & constanti fide traditæ, quod rationi non consentiant, aut aliæ aliis opponantur.* Quæ si vera sint, nec fas esse Mosaicam negare historiam, qua nihil unquam firmius, nihil magis extra omnem erroris aut dubitationis aleam positum, nihil denique constanti magis fide traditum reperiatur: multo minus incertas, dubias, longeque petitas p. 77. conjecturas eidem opponendas. De jure Dei in creaturas multum quoque deteri observat, si quis creationis gloria defraudare divinam omnipotentiam sustineat, vel ipsis suffragantibus Socinianorum magistris.

Quibus ita discussis, minus tutum esse demonstrat, ex veterum Philosophorum, aliorumve Ethnicorum commentis Scripturæ sen-
84. sum definire: idque non ob errores solum, quos illi circa res divinas fovent turpissimos & prorsus exitiosos fidei; verum & propter
87. pugnam, quæ varias inter Philosophorum sectas quovis tempore invaluit, nec non ob incertitudinem originis Philosophiæ, nunc Æ-
89. gyptiis, nunc Chaldæis, Indis, Judæis, Græcis, aliisve populis, inventionis gloriam sibi vindicantibus. Rectius philosophiam pro studii & experientiæ fœtu haberi, cum quod nemo philosophorum communem scientiæ philosophicæ parentem agnoverit, ad cujus sententiam exigere placita sua teneretur; tum quod disciplinæ nonnisi tractu temporis illustratæ, exornatæ, & aliquem ad perfectionis gra-

graduum fuerint perducta. Porro quanta animi levitate erga Platonem Burnetius se gesserit, ostenditur. Cujus de mundi ortu, & quiete telluris sententiam utut improbet, mox tamen eum in præcipuum caussæ decus, & præsidium advocet. Tum Burnetii placitum suum de duplici tellure, & systemate oviformico inventum a Noacho & ab ipso Adamo derivantis, multis modis exagitat, & argumenta, quibus ille Abrahamum Ægyptiacæ sapientiæ magistrum impugnat, ipsis Archæologi deliciis, tellurisque oviformitati obvertit, totumque adeo systema multo concludit facilius dissolvi, quam ovum aviculæ conteratur digitis. 95. 104. 106.

Quam caute in sacras literas inducendæ allegoriæ sint, quamque immerito in sensum allegoricum priora Geneseos capita torqueantur, ubi evincit, non falso de adversarii sui eruditione censet affirmari, quod Tullius olim judicarat de eloquentia, *bonine an mali plus attulerit hominibus & civitatibus, esse dubium:* cautelam ejus, nullibi a litera absque necessitate recedere se protestantis, tantum ad conciliandum paradoxo fidem, esse confictam: suis ex præjudiciis magis, quam ex rei veritate judicare Burnetium de Scripturarum sensu, suaque causa, non aliqua necessitate ad vim narrationi Mosaicæ inferendam compulsum videri. 109. p. 110.

Quo loco & is ingenii morbus notatur, qui in rebus planis amat μετεωρολογίζειν, rimarique mysteria, ubi nulla sint. Ad eum modum Eclogas Virgilii in allegorias transformatas olim fuisse a Ludovico Vive: Passerem Catulli μυστικῶς τι designasse Politiano, & Turnebo: Homerici carminis mysteria Jesuitarum aliquem revelasse: hos & similes dum suum frustra torserint, aliorum depravando ingenio improbe operam navasse. Neque in solis Ethnicorum scriptis substitisse audacem illam curiositatem; in literas etiam ex Dei ipsius ore profectas grassatam fuisse, quod Essenorum, Monachorum, Weigelii, Stifelii, Behmii, Doctorum Judæorum, Gnosticorum, Origenis, aliorumq; infelici exemplo comprobatum dedit: nec posse Burnetium figmentis horum ullo argumento occurrere, quod non adversus eum labore minimo retorqueant. Si creationis, tentationis, & diluvii historias, quæ perspicue admodum recensentur in Genesi, pro ingenii libidine in allegoriam convertere fas sit, nihil obstare, quo minus & redemtionis mysteria, & facta in Ægypto 111. 112.

miracu-

miracula in allegoriam permutentur ab eo, qui suas forte ideas philosophicas conciliare cum aperta narratione Evangelica nesciat, brevique inde futurum, ut totum Christi Evangelium male sanis al-
142. legoriis incrustetur, corrumpatur, deleatur. Inauditum prorsus esse, veritatis omnium sanctissimæ fundamentum temere statui mendacium ἀτέχνως καὶ ἀθεωρήτως consutum: neminem laturum, divini verbi, quo ad omnem veritatem via nobis aperitur, initium accenseri mythologiis ethnicis. Nullatenus id dignitatem Mosis per-
144. mittere. Meras enim ad ignavam plebem irretiendam fabulas si proponit, nullo jure, nec ulla veri specie fidissimum Dei servum, nuncium, legatum, interpretem, sanctissimum legislatorem, & prophetam eum posse nominari: nec ullum vestigium hujus opinionis
p. 146. in sacris voluminibus occurrere; ex adverso potius I. Tim. II, 12, 13. aliisve in locis tanquam vera supponi, quæ a Mose traduntur in primis Geneseos capitibus. Septiduum authentice ab ipso Deo confirmari, mandatum suffulciente legis suæ de sanctificando sabbatho, Exod. XX, 8, 11: illudque testimonium vel unicum, in apparatu omnium
147. splendidissimo veritati historiæ a Deo exhibitum, tantæ auctoritatis esse & fidei, ut adversus illud vel hiscere nemo audeat, nisi qui una cum Genesi Exodum, totumque adeo Mosis Pentateuchum in parabolam velit convertere.

Quod vero & tentationis historia sensum allegoricum respuat, satis evinci declaratione Paulina, quæ narrationis Mosaicæ summam
149. complexa, & serpentem, & serpentis πανουργίαν, & personam seductam, omni remota allegoria, 2. Cor. XI, 3. 1. Tim. II, 14. nobis memoret. Multó minus in Diluvii historia methodum parabolicam fuisse
152. adhibitam, quod non generatim solum terram diluvio universali obrutam fuisse divinus Vir exponat; sed modum quoque stupendi eventus designet, dies, quibus aquas suas cœlum & terra evomuerint, numeret, altitudinem & tempus indigitet, quo terræ ferales aquæ incubuerint: e quibus non obscure appareat, Historicum sanctissimum nihil magis in animo habuisse, quam candide, nude, &
153. ingenue rem, qualis accidisset, lectorum oculis objicere. Novum vero si audiamus interpretem, una cum mundi machina totam Mosis historiam dissolvi oportere. Eum quippe, ubi terram suam vi causarum naturalium confractam comminiscitur, non aquas in terram

ram devehere, sed terram immani strepitu in aquas detrudere: eundem nihilominus, hypotheseos suæ male forte memorem, fragmenta ista casu collapsa in repagula convertere, quæ Deus mari opposuerit, ne terra novo diluvio operiretur.

Ipsam præterea conditionem parabolæ pseudophilosophi hujus instituto adversari maxime. Omnem parabolam in toto utriusque Testamenti volumine, vel ad singularem quendam hominem, vel ad turbam hominum adstantem fuisse directam: Parabolas quodam quasi ἐπιμυθίῳ claudi, vel dubia etiam nonnulla, aut quæstiones apud illos movere, qui eas audiunt: duci parabolas ex rebus tritis & obviis: quæ materiam parabolis præbeant, exiguo tempore supponi, antequam narrentur, evenisse: omnes peti a rebus humanis, quod ad hominum institutionem unice pertineant: nullas Deo partes in parabolis assignari, quod sint res ex arbitrio confictæ. In Mosis historia contraria deprehendi omnia. Quod si vero annumeranda parabolis veniant, quæ supra captum sint, vel extra usum nostrum consuetudinemque posita, non defuturos, qui Bileami, Iosuæ, Samsonis, Eliæ, Pauli, aliorum historias, jure non minori, quam p. 162.
Burnetius duas tresve narrationes Geneseos, in parabolas convertant.

Ubi quæstio discutitur, num in omnibus ad captum vulgi demiserint se Scriptores sacri, &, si hoc factum quandoque concedatur, num inde præsidii quicquam accedat causæ adversarii? Burnetio, impolitum, rude & semibarbarum Iudæorum ingenium urgenti, locum opponit Deut. I, 12. seqq. qui plane contrarium suadeat: opponit Græcorum testimonium de sapientia Judæorum, ex Eusebio. Quatuor nihilominus putat sacris in scriptis occurrere, quæ 169.
sanctos viros nonnisi ad populorum institutionem salutemque labores suos direxisse, solamque adeo veritatem religionis præ oculis 172.
habuisse confirment. Primo quidem proverbia non pauca e medio 178.
ducta: 2 innumeras anomalias grammaticas: 3. dialectices contemtum; quem ipsum duobus Apostolorum Coryphæis D. Paulo, ac Petro Rom. III, 6; Gal. II, 17, 18; Eph. IV, 9; II, Petr. II, 4. seqq. sed præter meritum, ut alio loco ostendemus, tribuit: & 4. neglectum illius Philosophiæ partis, quam Physicen appellant; quem Ex. XI, 7. (X, 21,) Apoc.

21) Apoc. I,12; Es. XIII, 5; XL, 28; XLI,9; Psal. XLIIX, 2, & Marc. XVI, 27, notabilem esse existimat; alibi tamen: *Quis in orbe dialecticus*, quærit, *Apostolicarum ratiocinationum vim exæquavit unquam, vel*
p. 184. *etiam attigit?* Iis in locis interim, ubi religionis primaria capita tractentur, cum a verborum nativa significatione non discedant auctores sacri; non esse verosimile, creationem mundi, peccati originem, gravissimumque justitiæ divinæ documentum anilibus eos fabulis incrustasse. Respiciendam quoque declarationem sententiæ, quam aliis in locis viri sancti proposuerint: per sedecim seculorum decursum si mundus caruerit montibus, nulla ratione potuisse Mosen montes terræ coævos, diluvioque anteriores facere, Psalm. XC, 1,2; Gen. VII, 19,20; usum item montium commendari frustra Psal. CIV, 6. seqq. & 18. Sanctum vero Dei Spiritum errori, oblivioni, aut contradictioni ulli obnoxium cogitare, nefas esse. Animum
p. 191. ergo suum si adhuc aliquo Dei timoris sensu percelli patiatur, satis argumentorum Burnetio subministratum esse concludit, quibus ad seriam errorum, in quos lapsus sit, pœnitentiam recantationemque perducatur: præsertim cum locutiones is vulgares, quæ in religionis forte mysteriis, præceptisque legantur adhibitæ, cum integra narrati-
193. one turpiter confuderit. Læsæ potius divinæ providentiæ reum ipsum semet peregisse, una illa & eadem opera, quam eidem promovendæ insumtam glorietur, dumque pietatem tutari se & promovere audacter deprædicet, verius pietati bellum intulisse. Proditu- ros, ait, rumori fides si habenda, qui Burnetii hypothesin cum ipsis mathematum principiis pugnare demonstrent: adeo a ratione discedere pseudophilosophos, qui Deo rationem suam subjicere dedignentur.

Postremo tandem capite ostendit, quomodo primam sæpius dictarum Archæologiarum partem ex Philosophorum veterum pla-
196. citis totam conflarit: secundam vero, quanta sit, Peirerii, Adamo antiquiores homines fingentis, & Spinosæ rivulis irrigarit adversarius. Circa methodum sacrorum virorum, quibus rerum ab initio gestarum historiam scribendam commisit Spiritus S. duo observanda monet: 1. cum id unum spectarint, ut docerent homines, quo pacto Ecclesiam Deus constituerit, illiusque vel servandæ, vel ubi necesse

necesse fuit, corripiendæ curam gesserit, multa eos prætermisisse, quæ dictum ad scopum non pertineant. Compendii causa, intervalla rerum & actionum designare nihil habuisse pensi: eoq; minus mirum posse videri, si res subinde occurrant, quæ superiora nobis ob oculos ponant. Imo ex ipsa sæpe narrationis serie patere, omissa nonnulla in narratione fuisse; id quod locorum ex Veteri partim, partim ex Novo Testamento adductorum numero non exiguo confirmat & illustrat. Ecclesiæ Patres si non agnoscat Burnetius fidei suæ duces ac magistros, per ipsum & nobis integrum relinqui, autoritatem eorum detrectare: sin dissentire ab illis nefas putet, parum convenire, duos (Augustinum modo & Origenem adduxerat) sexcentis anteponere; imo qui Archæologi Systemati non adversetur, ex Patrum ordine nominari posse prorsus neminem. Sub finem habetur capitum, in quæ totus liber dividitur, indiculus.

p. 200.

202.

219.

RECUEIL D' OBSERVATIONS FAITES EN PLUSIEURS Voyages par ordre de Sa Majesté, pour perfectionner l' Astronomie, & la Geographie, avec divers Traitez Astronomiques, par Messieurs de l' Academie Royale des Sciences.

h. e.

Collectio Observationum factarum in multis peregrinationibus jussu Regis Galliæ, ad Astronomiam & Geographiam reddendam perfectiorem, cum diversis tractatibus Astronomicis, editis ab Academiæ Regiæ Scientiarum Sociis.

Parif. ex typographia Regia A. 1693, fol. plag. 150, cum duabus tabulis æneis.

COmprehendit hoc Volumen, ut vel ex titulo patet, varios libros partim nunc in lucem emissos, partim superioribus annis editos. Ac *primo* quidem loco Illustr. *Cassini* extat *Dissertatio* doctissima, in qua Originem Astronomiæ, Geographiæ artisque Navigandi, ab ultimis arcessit temporibus, accurateque designat, quorum cura sensim fuerint promotæ illæ disciplinæ, ut jam in eo, quem obtinent, perfectionis gradu consistant. Inprimis vero commemorat, quænam Academiæ Regiæ Gallicæ solertia ad augendas illas scientias

contulerit. Neque enim, ut *Cassiniana* sequamur vestigia, multa solum invenit, quæ ad observationes accuratius instituendas conducunt, qualia sunt exacta mensura temporis mediante *pendulo Cycloidali*, modus *lentes telescopicas* æque promte atque accurate elaborandi, *ratio adhibendi lentes*, quarum Radius 200 a 300 ped., *sine tubo* ad observationes, dum machinæ adplicantur, quæ ex sphæræ circulis composita, & ab automato in motum concitata efficit, ut vitrum eadem ratione moveatur, qua astrum, ipsiq; semper directe maneat expositum; *pinnacidia telescopica; Machinula Micrometra* &c. Sed etiam præclara multa investigavit, quæ ad ipsam scientiã siderum pertinent. Ex repetitis enim quam plurimis observationibus, easdem esse Fixarum & Solis *refractiones*, diurnas nocturnis esse æquales, sensibiles quoque esse ultra gradum 45, & in Zenith tantum evanescere cognovit, accurateque ipsas refractiones determinavit. Accessit porro ad parallaxes Solis & *Obliquitatem Ecliptica* indagandas, quam $2\frac{1}{2}$ minutis deprehendit minorem illa, quæ vulgo assumitur. *Eccentricitatem* quoque *Solis* Keplerianam decima octava sui parte minuendam esse, & *Æquinoctium* Vernum 3 hor. tardius, auctumnale 3. h. celerius quam par est, a tabulis recentibus, designari, ex Obsertionibus accuratis comprobavit. Ad *Lunam* quod attinet, animadvertit, ejus diametrum augeri, quo magis ab Horizonte versus Zenith removetur; eandem minui a Conjunctionibus usque ad quadraturas, quando est circa Perigæum, non vero quando est circa apogæum, ejusque variationis causam ex certo Æquilibrio, quod Luna cum terra servare debet in revolutione annua, explicavit. Nova quoque methodo *Lunæ parallaxes* inquisivit in diversis ab Apogæo distantiis, & ex apparente variatione motus diurni Lunæ versus occasum ejus distantiam a terra definivit. Reperit etiam, proportionem diametri apparentis Lunæ ad parallaxin ejus horizontalem esse ut 15 ad 56, ut jam ex observata Lunæ diametro certo ejus parallaxis possit colligi, locusque apparens ad verum reduci. Ad eclipses Lunares accuratius observandas *maculas Lunares* adhibuit, soliciteque omnes describi fecit, ut successu temporis constare possit, num aliqua in illis contingat mutatio, quæ huc usque nulla animadversa fuit. *Librationem Lunæ* nova explicuit methodo, ex complicatione duplicis motus, quorum uno $27\frac{1}{3}$ diebus Luna appareat

con-

converti ab Oriente versus Occidentem circa axem parallelum axi suæ Orbitæ; alter vero realiter fiat ab Occidente versus Orientem circa axem, cujus poli sint remoti a polis Orbitæ Lunæ translatis in globum ejus $7\frac{1}{2}$ grad. & a polis Eclipticæ $2\frac{1}{2}$ gr., habeatque pro Coluro seu primo Meridiano circulum maximæ latitudinis Lunaris in Lunæ quoque globum translatum. *Reliquorum Planetarum* varias observavit *phases*, quæ parum tamen sunt sensibiles in superioribus, novoque modo ipsorum Eccentricitates, Apogæa, & epochas mediorum motuum, determinavit. *Novam* quoque *Curvam Orbitis Planetariis* assignavit, certam nimirum ellipsis speciem, in qua rectangula linearum, quæ ex quovis circumferentiæ puncto versus utrumque focum ducuntur, semper sunt æqualia. *Maculas* quæ in *Jove* comparent accurate notavit, animadvertitq; eas converti in orbem 9 hor. 56 min. & modo augeri modo minui durantes unum duosve annos, donec tandem dispareant, in conspectum denuo venturæ elapsis 2. aut 3 annis, in eodem loco, ubi antea extiterant. In *Marte* quoque & *Venere* detexit *maculas*, quarum illæ 24 h. 40, hæ 23 hor. periodum suam absolvunt. *Saturnum annulo* cinctum & *quinque Comitibus* stipatum invenit. Jovis Satellitum motus eorumque eclipses cum cura determinavit, *novamque eclipsis speciem in Jovis* corpore deprehendit, cum inter Solem & Jovem transeuntes Comites efficiunt, ut parvæ umbræ discum Jovis percurrant. Sed cum Illustri huic Academiæ præcipuus observationum Astronomicarum finis fuerit, ut ad Geographiam & Navigationem perficiendam illas referret, primo *Magnitudinem gradus circuli magni terræ* indagavit, mensuratoque spatio 68430 hexapod. comperit, gradum circuli esse 57060. hexapod. Verum quoniam in instrumento cujus radius 10. ped. quale adhibitum fuit ad elevationes poli indagandas, vix tamen 5 aut 6 secundorum error, caveri potest, cui 95 hexap. respondent, continuandam utrinque censuit hanc lineam usque ad extremas Galliæ oras, seu ad longitudinem 8 graduum, dimidiumq; fere hujus spatii est dimensa. Emisit quoq; viros, arte observandi instructos, in varias regiones, ad *longitudines locorum* perquirendas, novamque ex observationibus illis terræ habitabilis Chartam con-

 struxit,

struxit, idemque jussu Regis sui, inprimis quoque quoad Galliæ regnum præstitit.

Excipiunt hanc Dissertationem *Observationes Astronomicæ & Physicæ in insula Cayenne habitæ a Dn. Richer*, impressæ jam antea Paris. 1679: in quibus præter illa, quæ Cassinus ad elementa Astronomica comprobanda adhibet, id quoque memorabile occurrit, quod ibi *longitudo penduli* minuta secunda monstrantis *minor* fuit $1\frac{1}{4}$ lin. quam Parisiis, ubi est 3 ped. $8\frac{3}{5}$ lin. & manifeste constitit Richerio, *acum Magneticam* non inclinari in proportione elevationum Poli, *& refractiones* luminis Solaris æquales esse illis, quæ in Gallia contingunt.

Tertio loco sequitur *Dn. Piccarti Iter Uraniburgicum*, editum alias A. 1680. Missus ille fuerat ab Academia Regia in Huennam insulam, ubi Uraniburgum in Uraniburgo quæsivit, nec sine indignatione deprehendit, locum omnium seculorum memoria dignissimum cadaveribus repletum. Observavit autem *altitudinem Poli Uraniburgi* esse $55^{\circ}.\ 54'.\ 15''$, quam Tycho $55^{\circ}.\ 54'.\ 45''$ ultimis temporibus definiverat. *Differentiam* quoq; *longitudinis* Uraniburgi & Lutetiæ constituit $42'.\ 10''$. Inter præcipuos itineris sui fructus commemorat, quod procurante Erasmo Bartholino a Rege Daniæ *genuina Tychonis Manuscripta*, in quibus multæ habentur observationes ineditæ, obtinuit secumque in Galliam asportavit. Junguntur huic libro observationes partim a Dn. *Piccarto*, partim a *Dno. de la Hire* in variis Galliæ locis, præcipue maritimis, habitæ, ut longitudines eorum Geographicæ innotescerent. Ex quibus collectis *Charta* concinnata fuit *Galliæ*, quæ hic quoque habetur comparata cum Sansoniana.

Succedunt his *Observationes Cassinianæ* A. 1672 institutæ, ex quarum nonnullis *Martis parallaxin* non majorem esse ejusdem diametro apparenti astruitur, nec improbabile censetur, ipsum atmosphæra quadam circumdari. Conjectura quoque affertur, non omnem illum aerem, qui liquores premit, esse *causam refractionis* luminis, sed aliam quandam substantiam fluidam inferiori aëris parti admistam, & superficie terræ concentrica terminatam. Satis enim bene refractiones repræsentari, si ponatur altitudo ejus 2000 hexap. & ra-

& ratio densitatis ætheris ad fluidi refractivi densitatem, ut 1000, 000 ad 1000, 184.

Quartum occupant locum *elementa Astronomica comprobata per Dn. Cassini*, qui cum suis tabulis Observationes a Dn. Richer in insula Cayenna habitas comparavit. Quæ licet edita jam fuerint Parisiis A. 1684, non pigebit tamen brevem eorum summam afferre. Quandoquidem secundum Cassinianas Observationes *Rudolphinæ tabulæ* Solares ita aberrent a cœlo, ut 3 hor. anticipent Æquinoctia verna, postponant auctumnalia, atque æstatis adeo tempus augeant horis sex, deminuant totidem horis tempus hyemis; hic vero error tabularum Solarium irrepat quoque in tabulas Planetarum reliquorum, præcipuam hujus *defectus causam* Cassinus censet fuisse refractiones radiorum luminis parum ante hæc tempora exploratas, quasq; Solis respectu Tycho in altitudine 45° nullas fieri perperam putavit. Id quod non potuit non magnorum errorum esse origo. Nam variantur hinc altitudines poli, quibus utimur in plerisque observationibus supputandis, mutantur altitudines meridianæ, quæ inserviunt theoriæ Solis stabiliendæ, & inprimis altitudines solstitiales, ex quibus obliquitas Eclipticæ deduci solet, cujus cognitio maximi in Astronomia est momenti. Quamvis autem ex genuinis Dioptricæ principiis pariter atque experimentis variis certior fuisset facta Academia Regia, non desinere refractiones nisi in Zenith, atque secundum hypotheses suas Obliquitatem Eclipticæ $2\frac{1}{2}$ minut. Tychonica minorem esse definiisset; placuit tamen hanc sententiam examini subjicere in loco Zonæ torridæ, cui bis in anno Sol verticalis fit, nullique refractioni obnoxium est ejus lumen. Accessit cupiditas explorandi, utrum Solis parallaxis horizontalis sit insensibilis, vel saltem minor 12 secundis, an vero unius minuti, uti Keplerus censuit. Electa ergo fuit Cayenna insula, 5 grad. ab Æquatore versus polum septentrionalem remota, variæque observationes ibi fuere institutæ, ex quibus sequentia colligit Cassinus. (1) *Obliquitatem Eclipticæ* veram esse 23° 28′ 54$\frac{1}{2}$″ vel rotundo numero 23° 29′. (2) *Intervallum inter Æquinoctium auctumnale & vernale* sequens esse 178 D. 17 Hor. 43′, *inter vernum* vero *& auctumnale* sequens 186 D. 12 Hor. 6′. (3) *Observatio-*

pationes Solis conspirare cum ephemeridibus Solaribus secundum principia Cassiniana supputatis, nec in secundis nimiam subtilitatem quærendam, cum pili, ex quo plumbum dependet, crassities decem secunda in limbo instrumenti, cujus radius 6 pedum, tegat, ita ut requiratur machina, cujus radius 6 pedũ, si secunda minuta in limbo æquare debeant pili diametrum. (4) Ad observationes Solares rite per tabulas repræsentandas, diminuendam esse *Eccentricitatem* ejus, ut fiat $\frac{17}{1000}$ mediæ inter Solem & terram distantiæ. (5) *Semidiametros Solis* in Cayenna observatas easdem fere cum illis fuisse, quæ habentur in Cassiniana tabula. (6) *Parallaxin Martis* horizontalem fuisse $25\frac{1}{2}$ secund. (7) *Parallaxin Solis* semidiametro terræ respondentem esse $9\frac{1}{2}$ secund. (8) *Martis*, tempore observationis, *distantiam a terra* fuisse 8100 semid. terræ. *Solis* vero *distantiam* 21600 semidiam. terræ, suppositis parallaxibus dictis; alias enim trium secundorum variatio in Marte 1000 semid. terræ, in Sole 3000 semid. terræ distantiam immutat. (9) *Solis diametrum* esse *ad diametrum terræ*, ut 100 ad 1, adeoque *globum Solis ad globum terræ*, ut 1000, 000 ad 1. Appendix hujus libri complectitur tum *Instructionem*, quæ data fuit iter facientibus ad legitime peragendas observationes, tum ipsas quoque *observationes habitas a Dn. Varin, des Hayes & de Clos in Africa & America*, nimirum in Insula Goree prope promontorium viride, ubi *longit. penduli* inventa fuit 3 ped. $6\frac{5}{9}$ lin. breviorque adhuc illa, quæ in insula Cayenna obtinet; in Martin que & Guadaloupe, ubi *longitudo penduli* reperta 3 ped. $6\frac{1}{2}$ lin. ut adeo inter tropicos longitudo penduli admodum sit diversa in diversis locis, quamvis in Europa inter parallelos 43° & 56° nulla sensibilis differentia observari potuerit. Observationes autem prædictæ inter se comparatæ præluxerunt Academiæ Regiæ in nova Charta Geographica describenda, in qua differentiæ longitudinum longe sunt breviores, quam in chartis vulgaribus notantur. *Sextus* hoc volumine comprehensus liber est *Detectio luminis cælestis quod in Zodiaco apparet, auctore Dn. Cassini*; qui imprimi cœptus jam A. 1685, continet tum Commentarium quasi in recensionem hujus phænomeni, quæ extat in Diario eruditorum Parisiensi, & in Act. Erud. Lips. A. 1683. p. 274. Tum etiam observa-

tiones usque ad Ann. 1693 partim a Cassino partim ab aliis factas. In quibus id quoque singulare occurrit, quod A. 1686 d. 28 Aug. 4 h. 15, cum inspiceret Cassinus Venerem tubo 34 ped. *lumen* quoddam informe ipsi adparuit *Veneris phasin æmulans*, cujus rotunditas imminuta erat ex parte occidentis, distansque a Venere $\frac{3}{5}$ ejus diametri. Diameter phænomeni æqualis erat ferme $\frac{1}{4}$ diametri Veneris, illudque obversabatur oculis Cassini spatio quadrantis horæ, sed cum ad omissam observationem post 4 aut 5 minuta rediret, non comparebat amplius, quia multa jam lux erat. Simile phænomenon quoque vidit d. 25 Jan. 1692, mane ab hor. 6. 52'. usque ad hor. 7. 2' cum ob claritatem crepusculi evanuit. Veneris quoque referebat formam, & quartam Veneris diametri partem æquans, a cornu australi Veneris versus occidentem diametro Veneris erat remotum. Unde suspicio orta fuit Cassino, *Satellitem* fortassis esse *Veneris*, ex materia constantem non admodum idonea ad lumen Solare reflectendum, necquidquam tamen eum aliis temporibus inquisivit. Illud quoque non omittendum, Lumen de quo agitur, A. 1688 apparuisse solito debilius, veroque esse simile, fore ut aliquando evanescat, ac denuo post aliquod intervallum fiat conspicuum, quemadmodum antea quoq; visum fuit, ut manifeste constat ex Domini Childrey historia naturali Angliæ scripta circa A. 1659.

Septimo loco occurrunt regulæ Astronomiæ Indicæ, ad supputandos motus Solis & Lunæ, explicatæ & examinatæ a Dn. Cassini, de quibus cum jam alibi dictum a nobis fuerit in Actis Eruditorum, nihil in præsenti addimus.

Agmen claudunt *hypotheses & tabulæ Satellitum Jovis reformatæ secundum novas observationes a Dn. Cassini.* Ediderat enim ille jam A. 1668 tabulas Comitum Jovialium, postquam Marii & Hodiernæ calculos manifeste a cœlo dissentire deprehenderat, sed nec dum satis instructus ab observationibus, quot requiruntur ad accurate determinandos situs orbium, loca nodorum, latitudinesque veras & apparentes, in quibus definiendis celeberrimi Astronomi, Marius, Galilæus, Gassendus, Hodierna, Ricciolus, Hevelius non fuere satis felices. Postquam vero per *40 annos* observationes ipse instituit horum siderum, sub incudem omnia revocavit, atque novam

theoriam Satellitum Jovialium construxit. Verbi gratia: *Orbitas* Satellitum in eodem circiter esse plano, quod *inclinatum* ad orbitam Jovis $2^{\circ}. 55'$; *Nodos* satellitum in orbita Jovis esse in 14° Aquarii & Leonis, neque ullo præditos motu, ex Sole autem visos apparenter 12 annis revolvi in orbita Jovis, repræsentata Soli in orbibus Satellitum instar lineæ rectæ per centrum Jovis transeuntis; ex terra quoque spectatos 12 annis apparentem conficere periodum in ellipsi variabili, quæ repræsentat terræ orbitam Jovis in orbibus Satellitum: *Digressionem maximam* primi Satellitis esse $5\frac{2}{3}$ Semidiam. Jovialium; secundi 9 Semid. tertii $14\frac{1}{3}$ Semid.; quarti $25\frac{1}{3}$ Semid. *Medium motum horarium* Satellitis,

	°	′	″
I.	8.	28.	43
II.	4.	13.	26
III.	2.	5.	48
IV.	0.	53.	56.

Fatetur tamen summus ille Vir, pro ea qua est ingenuitate, non in omnibus se sibi satisfecisse, & superesse adhuc inæqualitates sibi animadversas, quas post tot annorum vigilias non potuerit certis constringere legibus. In tabulis construendis id egit, ut satellitis primi eclipses præcipue magna facilitate possent supputari; reliquis aliam formam accommodavit, quæ præsidio aliarum tabularum Astronomicarum magis indiget, monens hac in re Danicas, Philolaicas & Ricciolanas, Rudolphinis & Landsbergianis, ad hoc & sequens seculum, esse præferendas.

PHTHISIOLOGIA LANCASTRIENSIS, CUM TENtamine philosophico de mineralibus aquis in eodem Comitatu observatis, Autore CAROLO LEIGH, M. D.

Londini impensis Sam. Smith & Benj. Walfort, 1694 in 8. plag. 10.

PRæfatus Autor, diversam methodum vivendi & temperamenta cœli
Cap.I. p.2.4. diversum morbum & methodum medendi requirere, inter reliquas phthises, strumosas, chylosas, aliosque morbos sequentes, agmen ducere ait scorbuticas. Deberi has particulis vitriolaceis & sulphureo-salinis, per inspirationem cum massa sanguinea communicatis, conferen-

ferentibus non parum locis paludosis, sulphure & sale impuris fœtis;
deberi item hæreditariæ dispositioni, inferenti temperiem salinam huic morbo debitam, semine virili ab uteri vasis extimis absorpto, hinc per circuitum sanguinis ova fœcundante. p. 7. 8.

Symptomatum seriem & causas exponit in morbi initio, quoad appetitum, vires, respirationem, tussim, sputa, sudorem & alia, quæ Cap. 2. p. 9.
præcipue obstructioni glandularum conglobatarum & lymphæ du- p. 11.
ctuum, indeque oriundis viscosis humoribus, bili regurgitanti, &
chyli per particulas salinas præcipitationi adscribit, ut odorem viola- p. 12.
ceum urinæ particulis saturatis sulphureis oleosis, a salinis divorti- p. 15.
um meditantibus; speciatim in phthisi Lancastriensi nec hecticæ fe-
bris symptoma apparere, in initio & augmento, nec pulmones ul- p. 17.
ceratos.

Symptomata in statu confirmato arcessit ex vitriolata magis
massæ sanguineæ prosapia, infarctis magis glandulis, magisque nutri- Cap. 18. 19.
tio succo præcipitato; unde sputum copiosum, & sapore & odore
fœtidum, sudores, appetitus nihilominus sæpe laudabilis, tabes au-
cta, febris intermittens anomala, ira facilis, quam a succis acescenti- p. 23.
bus percitis spiritibus animalibus derivat.

Canones generales circa hunc morbum proponit, partim pro- Cap. 4. p. 25.
gnosin respicientes, partim remedia; Lacticiniis & martialibus in sta- p. 26.
tu confirmato cum febri, dyspnœa urgente ab opiatis abstinen-
dum. Indicationes contrarias phænomenis dictis in principio mor- Cap. 5. p. 27.
bi eruit, emetica ipsa ex melle squillitico, lenia cathartica, & venæ
sectionem in adultis, semper proficuam a se deprehensam, commen-
dans, subjunctis formulis variis, & laudatis inter alia anima martis, p. 28.
sirupo balsamico Tolutan., pulvere millepedum, cinnabari antimo-
nii, balsamo de Peru, seorsim vero fonticulis & vesicatoriis, non p. 36.
autem opiatis.

In statu confirmato inprimis calori febrili temperando tum alia Cap. 6. p. 37
pectoralia, aperientia, antiscorbutica, tum electuarium ex cortice Pe- 38. 39.
ruviano, modo absit ulcus pulmonum, dilaudat; alvum simul sub-
inde subducendam monens, in diarrhœa infusionem rhabarbari cum
sale tartari & aquis appropriatis suadens. In statu deplorato pallia- Cap. 7. 41.
tiva, & symptomatibus urgentibus debita, lac tamen asininum, cum

olei tartari per deliquium aliquot guttis, proponit; subjunctis observationibus cuilibet statui morbi congruis.

p. 61. Tractatu secundo de phthisi ab hæmoptysi, a vomitu sanguinis, ab hæmorrhagia uterina, impetigine, rheumatismo scorbutico, a rachitide, fluore albo, chlorosi agit, & cum phthisi chylosa hæc obsignat.

Cap. 1. p. 96. In Tentamine addito fontis vitriolati meminit, omnibus experimentis pure talis, contra Listerum principia acidularum vitriolum,
Cap. 2. p. 100 ochram & sulphur statuminans. Acidulas patriæ suæ naturales particulares refert. De acidulis artificialibus, quas vocat, tractat, & hy-
Cap. 3. 102. pothesin suam experimentis probare satagit. Fontium etiam salino-
Cap. 4. 113. rum mentionem facit, & sulphureo-salinorum, sulphureorum nitro-
p. 122. 126. 128. sorum, natro, ut scribit, antiquorum impraegnatorum, lapidescenti-
130. 136. 139. um, perfecte acidorum, & appendice de balneis frigidis concludens,
140. de thermis tractatum promittit.

M. ABRAHAMI FRENCELII DE ORIGINIBUS Linguæ Sorabicæ Libri secundi Caput primum.

Sittaviæ Lusatorum, apud Jo. Willisch, 1694. in 4. plag. 12.

QUi in Actis hisce nostris anno 1693, pag. 304, 307 institutum Cl. Auctoris generatim indicavimus, Libri simul primi contenta paucis referentes; nunc etiam continuationem operis cum L. B. communicare haud pigrabimur, postquam Libri secundi initium haud ita pridem evulgatum est. Quemadmodum autem ibi diximus, quod in hoc ipso libro ea Auctor indicare constituerit vocabula Sorabica, quæ per figuras Grammaticas ad Ebræam linguam queant referri, ita in capite illius primo, quod solum hac vice prodiit, unice versatur circa *metathesin*, & secundum alphabeti seriem vocabula introducit Sorabica, quæ cum Ebræis formaliter quidem convenire, quoad materiam tamen, hoc est, per literarum trajectionem ab iis discrepare existimat. Dabimus in specimen exempla quædam, unde facilius de reliquis judicare liceat. Vocem Chudy (pauper, afflictus) derivat ex Ebræo רך, quod fit per metathesin כר. Czelo (vitulus) ab Ebr. עגל, ubi tamen cum metathesi conjungi quoq; vult antistœchon, literis cz pro ג positis. Drjmam (dormitare) a רדם, Kabat (thorax, tunica pectoralis,) a בגד vestimentum, ubi præter metathesin simul synecdo-

necdochen speciei pro genere observandam notat. Lischka & Polon. Liska (vulpes) ex Ebr. שיעל, e quo per metathesin evadat lasch, ac tandem lis. Cum enim radix שעל Arabibus significet idem ac tussire, unde שעול Rabb. tussis, eique admodum obnoxia sit vulpes, nominis inde rationem satis sese indicasse opinatur. Pos (canis) per metathesin, antistœchon, & synecdochen simul ex Ebr. זאב lupus, quia canis quasi lupus quidam domesticus nuncupari mereatur. Sejpe (egenus, miser,) a שפל. Slowo (verbum) a שאל, rogavit, interrogavit, consuluit, item petiit, postulavit, quod utrumque verbis fieri soleat. Stwa (hypocaustum) per metathesin & synecdochen à שׁבת, habitatio. Cæterum ubi heic vocabula simplicia commemorat, compositorum etiam adjungit expositionem, ac primitivis derivata eundem in modum associat, unde non mediocris Sorabicarum vocum numerus in caput hoc relatus est, quarum itidem occasione varias iterum admiscet excursiones, prolixiusq; agit v.g. de *privilegiis Pastorum sive Ministrorum Ecclesiæ*, ad vocem Duchowny/ clericus, p. 272. de loco Glossarii Isidori: *Dusius*, *Dæmon*, p. 277. de *tunica Christi inconsutili*, p. 301. de *osculis* p. 310. de *prodigiis sanguineis*, p. 313. de *vaccis*, p. 321. de *canibus* p. 357. de voce λόγος, p. 401. &c.

VINDICIÆ NOMINIS GERMANICI, CONTRA quosdam obtrectatores Gallos.

Berolini, apud Jo. Mich. Rudigerum in fol. pl. 10. & Amstelodami, apud Henr. Wetstenium in 8. pl. 4½. 1694.

GEntium ingenia moresque inter se contendere, & varios genios impetusq; animorum, qui singulis regionibus proprii, nascentibus patriæ habitum & cupiditates ingenerant, curiosa diligentia investigare, utile non minus quam jucundum est. Hæret enim in omni gente quædam vis inconcussa, quam hominibus pro conditione terrarum, in quibus nasci illis contigerit, sua fata diviserunt, tot habitus, mentiumque variarum impetus, una membrorum similitudine obtegentia. Hos annotasse, ut ex communi hominum indole privatam in singulis deprehendere liceat, operæ est pretium: sed facessere debet gentis suæ favor præceps, simulque cæterarum aversatrix invidia, cum mutua illa gentium obtrectatio, magis a maligni-

lignitate quam ex vero profecta, nemini non jure exosa sit. Hujus autem culpæ affines esse Gallos, ut plerisque aliis nationibus infestos, sic Germanis cumprimis obliquos, eorumque ingeniorum ac studiorum obtrectatores, plurimis experimentis constat, & nunc doctissimus Auctor hac Epistola ostendit. Cui tanto majores debentur pro officio hoc patriæ præstito gratiæ, quo cultiori stilo istud executus est; cujus nitorem in tersissima interpretatione *Pufendorfianæ Introductionis ad Historiam Europaam*, quam e Germanica Latinam venustissime reddidit, jam antehac sumus exosculati. Aciem vindicis stili sui stringit potissimum in Presbyterum Societatis Jesu *Dominicum Buhursium*, qui in Dialogis Gallica lingua anno 1671 editis, sub fictis Aristæi & Eugenii nominibus, Dial. IV. p.223. Germanorum ingenia ab omni subtilitate, elegantia ac venustate remota, Moscowiticis ingeniis associarat; neque propter crassam nimis corporis habitudinem ullo modo animi has dotes convenire iis posse, asseruerat; satis vero mentis eos habere ad comparandam illam, quam tantopere in Gallis suis prædicat, politulam elegantiam (*la delicatesse*) præfracte negaverat; integramq; adeo Germanorum gentem, ne verbulo quidem ab ea violatus, ultro & contumeliose lacessiverat: a cive suo, qui *Cleanthis* nomen sibi sumsit, monitus, protervitatis hujus suæ pœnas ipsum Germanis daturum; ab Antonio etiam Bailleto, doctissimo & candidiore Gallo, confutatus, qui sanam mentem, vera sapientia subnixam, Germanis competere non negat, & pro ingenuitate sua, volubilitati animi & urbanitati complurium Gallorum, qui politi vulgo censentur, eam anteponit. Buhursii autem & nonnullorum aliorum Gallorum, e quibus Card. *Perronius* (ab ipso Jesuita in testimonium vocatus) *Perraltus* (quem configendum doctissimi Jac. Perizonii stilo promittitur) & Anonymi quidam proferuntur, criminationes ita retundit Auctor, ut gentes alias, interque eas Germanos, non modo ingenii & elegantiæ laude nil concedere Gallis, asserat, sed vel antestare demonstret. Cœli quidem temperiem, modo recta institutio & cultus liberalis adsint, ingeniis parum obesse, exemplo Anacharsis Scythia oriundi, & Æsopi Phrygis, Sarbievii Poloni, ac Christinæ Reginæ Suecæ, probat. Quam Serenissimam Virginem, Arctoi orbis sidus, dum laudat, simul fœminei sexus causam agit, quem in societatem laudis ingenii admittere urbanus Sacerdos detre-

detrectaverat; & exemplis Elisabethæ, Ludovicæ, Sophiæ, filiarum Friderici V Electoris Palatini & Bohemiæ Regis, ejusque neptis Sophiæ Carolæ, quæ in potentissimi Electoris Brandenburgici nunc matrimonio agit, item Annæ Mariæ Delphino quæ nupta fuerat, elegantium & acutorum ingeniorum e censu venustissimum sexum excludi haud debere, docet. Elusa dein ebrietatis, quam Germanis Jesuita exprobrat, infamia; eos rerum præstantissimarum & utilissimarum, typographicæ, & pyrobolicæ artis, inventione ingenii laudem sibi peperisse & exteris exhibuisse declarat; exemplisque commonstrat, quid in musica pingendique arte, oratoria item & poesi, præstiterint unquam Germani. Miratur autem, quid in mentem venerit auctori commentatori anonymo Gallo, qui historiam poeticam belli nuper inter recentiores & antiquos scriptores exorti anno 1688 vulgavit, ut Germaniæ Poetas omnes, non solum quia Germani sunt, sed quoniam Græca & Latina carmina complures ex iis scripserunt, omni aditu Parnassi ausus fuerit prohibere; in suæ non minus gentis clarissimos viros, qui Latinorum & Græcorum carminum venustate laudem sunt adepti, quam Germanos, inepte iniurius. Quo loco Auctor evincit, non solum Germanos carminum Latinorum gloria nulli genti concedere, quod Hessi, Sabini, Lotichii, Fürstenbergii, Torckii, Dusæ, Heinsiorum, Grotii, Baudii, Secundi, Kinschoti, Sidronii, Wallii, Francii & Broukhusii documentis clarum sit; sed cunctarum fere gentium politiorum vernaculam poesin satis jam esse excultam: & inter Anglos quidem eminere Sidneium, Spencerum, Shakesparium, Minceum, teste Equite de Temple; inter Belgas Catsium, Heinsium, Hugenium, Vondelium, Hoofdium, Baakium, Brantium, Vollenhovium; Germanicæ linguæ facultate potissimum polluisse Lutherum (cujus Bibliorum interpretationem magni propterea fecerit Jos. Scaliger) poetica autem carminum vi præstitisse Opitium, Flemmingium, Tscherningium, Gryphios, Lohensteinium, Hofmannum; qui postremus incredibili felicitate Guarini Itali Pastorem fidum, drama, ex Hetrusco idiomate in nostrum transtulit, inque amatoria poesi, quæ omni urbanæ elegantiæ numero absoluta est, parem habuit neminem, ad summum sane elegantiæ decus Germanicam peosin felici ingenio evexit. Quæ omnia invidos Gallos ignorare, nec delicias nostras ac copias nosse, non mirum esse ait, quod

quod linguæ Germanicæ eximias dotes prorsus ignorent, minusque linguam ipsam cognitam habeant: quum ex adverso Germanorum plurimi in politioris literaturæ partem semper cognitionem Gallicæ linguæ vocarint, indeque quidam tanta felicitate eam excoluerint, ut pro popularibus eos haberent ipsi Galli invidiæ veneno non suffusi. Exemplum affert Frid. Spanhemii patris, qui patria Palatina pulsus calamitate bellica, cum in Galliis ageret, *Militis Sueci (Le Soldat Suedois)* sub titulo res Gustavi Magni ea elegantia & cultu sermonis Gallici, suppresso nomine edidit, ut Balsacio regnum eloquentiæ eo tempore tenenti tribueretur, isq; sibi gloriæ hoc scriptum futurum esse significaret. Quam in laudis, ut cæterarū etiam virtutum partem veniunt celeberrimi filii, *Ezechiel* & *Fridericus* Spanhemii, Gallicæ eloquentiæ laude ipsis ambiguam Gallis palmam qui reddunt. Lud. etiam Wolzogenium Amstelodami, & Ge. Guilielmum Leibnitium in aula Hanoverana, sermonis huius probe exculti gratia pollere asserit. Gallos vero nostræ linguæ ignaros, turpissime ignoratione ejus, quam fastidiunt, labi, erubescendo exemplo interpretis Epistolarum Bongarsianarum, in usum Delphini e Latinis Gallice redditarum, ostendit; siquidem is Altorffium, Noribergensium civitatem & academiam, pro viro aut homine aliquot in locis habuerit, subinde *Monsieur Altorfius* eam vocitans. Proinde nec magnifice adeo de veterum scriptorum Latinorum Græcorumque interpretationibus Gallicis sentiendum putat; queis pessimo more ipsos auctores, ceu fontes fastiditos, juventutis manibus excuti, turbatos dum ea sectatur rivulos, graviter conqueritur. Quo loco novam Jo. Harduini sententiam exagitat, qua in libro de Nummis Herodiadum, veteres auctores ad summas redigit angustias, dum præter Plinium, Georgica Virgilii, & Epistolas Horatii, omnes reliquos scriptores νοθείας suspectos habet, nec pro germanis antiquitatis monumentis agnoscit, a certa eruditorum cohorte eosdem confictos esse contendens; quorum tamen aut imitari industriam, aut assequi eloquentiam nemo potest. Quod manifestum reddit exemplo musteï fartoris Petroniani, Franc. Nodotii, qui Petronium integrum, restitutis e manubiis, ut præfert, Albæ Græcæ locis, obtrudere litterato orbi sategit, tam infeliciter, ut nemini non fraus suboleat. Hujusmodi fraudes, interpretationes, opiniones & criminationes Gallorum

quo-

quorundam dum exagitat Auctor, rem sibi cum reliquis doctis in Gallia viris plane non esse profitetur, nec æternis istis nominis Gallici luminibus laudes se detrahere, quorum plura a morte oppressa & extincta sunt, quædam tamen adhuc effulgent, bonisque litteris cum immortali sua gloria lucem affundunt, Bossuetus, Huetius, Baluzius, Mabillonus, Dacerius cum conjuge Anna Fabra & aliis non paucis iisq; doctissimis in ea gente hominibus, quorum præclara in rem litterariam merita nulla ætas unquam reticebit. Quinimo fatetur, ingenii & eloquentiæ laude illos florere præ aliis gentibus posse, multis subsidiis & adjumentis seu a natura, seu ab instituto vitæ & educatione, instructos; felicitate etiam temporum gaudentes, dum præmia amplissima industriæ & bonis artibus Rex proposuit: quæ tamen nec in Germania desint, sed præstentur maximorum Principum benignitate excellentibus ingenii & sapientiæ laude viris. Quod illustri Serenissimi Electoris Brandenburgici FRIDERICI III. exemplo manifestum esse declarat, qui nihil ad summam benignitatem in fovendis & ornandis illustribus ingeniis reliquum faciat: unde & virorum, omni politioris elegantiæ usu præstantium, multitudine aula ejus affluat. E quibus postquam duos illustri dignatione non magis quam eruditione consummata conspicuos, *Ezechielem Spanhemium* & *Samuelem Pufendorfium* nominasset; ad auctorem poematis venustissimi, quo illustrissimi Eberhardi Danckelmanni, primarii Status Ministri, qui gratia & auctoritate ac meritis plurimum apud Principem suum valet, imaginem vivis coloribus expressit, Jo. Besserum (quid enim prohibet indicare tam egregii fœtus parentem?) delatus, istius dotes commendat, & ut numeris omnibus, quod inventionem, dispositionem & elocutionem spectat, absolutum sit, exponit, arbitratus Gallos, si nostræ linguæ rationem perspectam & cognitam haberent, hoc perlecto poemate, rectius & benignius de lingua, ingeniis & studiis Germanorum esse judicaturos.

OBSERVATIONS SUR LA GROSSESSE ET L'ACcouchement des femmes, & sur leurs maladies & celles des Enfans nouveau nez &c.

h. e.

Obſervationes circa graviditatem & partum mulierum, nec non ipſarum & infantium recens natorum morbos; auctore Franciſco Mauriceau, Magiſtro artium & Seniore Præpoſito Collegii Chirurgorum juratorum Pariſienſium.

Pariſiis apud Auctorem A. 1695. in 4. plag. 52.

QUartæ, quam molitur, editioni tractatus ſui *de Morbis gravidarum & puerperarum* multis locupletati præceptis notatu dignis, figurisque illuſtrati, Auctor ſuæ artis callentisſimus obſervationes has ſeptingentas præmiſit, ex plus quam ter mille aliis 25 poſteriorum annorum (trigeſimus enim quintus jam agitur, ex quo parientibus opem ferre cœpit) ſelectas, tanquam inprimis memorabiles & ſumma cum fide & cura deſignatas. Eum vero in finem id fecit, ut totidem quaſi exiſterent argumenta, artis obſtetriciæ Regulas ab auctore in libro commemorato traditas confirmantia. Ex his paucas easque non adeo obvias ſpeciminis loco recenſebimus. Refert enim Auctor ſolertiſſimus *Obſ. 2 & 155*, in muliere dilatatum orificium uteri longe ante, quam partus inſtaret; *Obſ 40. & 115*, fœminas peſſarium gerentes concepiſſe; *Obſ. 71.* fœminam menſes duos cum dimidio geſtantem uterum, a morbo Venereo liberatam; *Obſ 105 & 110.* mulierem ventos ex utero cum ſtrepitu emiſiſſe; *Obſ. 120.* mulierem elapſo 10 menſe peperiſſe; *Obſ. 172, 231. 495.* imperforatas feliciter curatas; *Obſ. 174.* mulieri ambas nymphas nimium longas ſine noxa reſectas fuiſſe; *Obſ. 181. 245.* fœminas mortuum fœtum diu ſatis ſine corruptione in utero geſtaſſe; *Obſ. 185.* puellas 6 & 9 annorum gonorrhœa laboraſſe virulenta; *Obſ. 242. 345.* infantes vegetos ſanosq; octavo menſe fuiſſe editos; *Obſ. 242.* mulierem, cum ſeptem menſes gravida fuiſſet, ex alto prolapſam, feliciter enixam partum menſe nono; *Obſ. 263.* infantem, quia pulte nutritus primis ſtatim poſt nativitatem diebus, obiiſſe. *Obſ. 272.* gravidas cortice Chinæ a febri liberatas; *Obſ. 313.* carunculam myrtiformem prælongam ope ligaturæ reſectam; *Obſ. 327.* butyrum glacie refrigeratum, & ab obſtetricante adhibitum, noxium fuiſſe; *Obſ. 393.* mulierem gravidam factam, antequam paſſa fluxum menſtruum. *Obſ. 401. 640.* funiculi cu-

li cujusdam umbilicalis longitudinem fuisse 1¼ ulnæ Parisiensis, alius contra vix pedis dimidii. *Obs. 422.* aspersionem aquæ baptismatis nimium frigidæ mortem attulisse infanti; *Obs. 426.* mulierem 46 annorum, post triennalem emansionem menstruorum, denuo concepisse, cum paulo ante rediissent. *Obs. 489. 583.* concepisse mulieres sine insertione membri virilis in vaginam uteri. *Obs. 133. 567.* infantes feliciter natos cum funiculis umbilicalibus in nodum contortis; *Obs. 568.* fœminam post partum amisisse visum per duos dies. *Obs. 676.* mulierem menstruo laborantem fluxu concepisse, partumque masculum integra valetudine peperisse.

Cæterum in animadversione & præfatione libro præmissa, acriter perstringit Auctor librum sub titulo *Pratique des accouchemens*, non ita pridem editum, tanquam relationes continentem vel ab aliis mutuatas, vel fictas, vel adulteratas, notasque errores illius libri ostendentes se propediem editurum pollicetur.

ΔΙΟΝΥΣΙΟΥ ΛΟΓΓΙΝΟΥ ΠΕΡΙ ὕψους, καὶ τἆλλα εὑρισκόμενα.

Dionysii Longini de sublimitate commentarius, ceteraque quæ reperiri potuere: edente Jacobo Tollio.

Trajecti ad Rhenum, ex officina Franc. Halma 1694. in 4. 2 alph. 10. plag.

Quemadmodum non eadem omnibus honesta sunt & turpia in vita civili, vestitus etiam alius militem, alius mercatorem, agricolam aut philosophum decet, & ornatus alius Principi, alius privato convenit; ita nec omne eodem modo tractandum esse in dicendo argumentum, sed pro hujus diversitate istum etiam diversimode constituendum, constat. Hujusmodi autem characteres, qui ex varia compositionis ac dignitatis facie in oratione resultant, seu *ἰδέας*, formasque, personis ac rebus in ea aptas, tres esse tradunt, qui artes rhetoricas explicarunt, Hermogenes, Cicero, Cornificius, Quintilianus: Ausonius etiam in Gripho ternarii numeri eas complexus,

Trinum (ait) *dicendi genus est: sublime, modestum,*
Et tenui filo.

Cicero ab hoc triplici charactere eloquentem describit, 'qui

subtilia humiliter, & *magna graviter*, & *mediocria temperate* possit dicere: id quod in Oratore cap. 5. pluribus exsequitur. Demosthenem autem omnibus tribus his dicendi generibus excelluisse, cap. 31. observat. Græci ea appellant, τὸ ἰσχνὸν sive λιτὸν, ἁδρὸν & μέσον. Cornificius Lib. 4. ad Herenn. cap. 9. *extenuatam, gravem* & *mediocrem* orationem vocat, & cujusque exempla profert. Tribus vero his dicendi formis totidem opposita in oratione dari vitia, Gellius Lib. 7. c. 14. annotat; de utrisque autem, virtutibus æque ac vitiis horum characterum, copiose agunt dicendi magistri. Inter veteres de sublimi, ubere & magnifico, ampla & sententiarum gravitate & majestate verborum instructo, vehementi, vario, copioso & gravi, ad permovendos & convertendos animos comparato (quæ descriptio ejus apud Ciceronem c. 5. Oratoris extat) genere, duo cumprimis Græci scriptores insigniter commentati fuerunt, Hermogenes περὶ μεθόδου δεινότητος, & Dionysius Longinus περὶ ὕψους, diversa tamen prorsus ratione: adeo ut diversum argumentum pertractasse utrumque, nec τὸ μέγεθος & ἁδρὸν Hermogenianum idem cū τῷ ὕψει Longini esse multi existimaverint, *magnitudinemq;* in dicendo a *sublimitate* multum differre docuerint. Longini tamen liber majori felicitate gaudet, quam Hermogenis: hic enim unicum nactus Jo. Sturmium est interpretem & commentatorem; ille plures, qui in explicando & poliendo eo studium haud inutile ponerent, adeptus fuit. Ut enim priscas illas Græcas, Aldinam & Basileensem, editiones, quibus Hermogenes quoque prostat, (utrumque etiam e pluribus manuscriptis exemplaribus collatis emendatum a Francisco Porto dedit Genevensis Crispinus 1569) taceamus, Genevæ cum anno 1612, cum interpretatione & notis dedit *Gabriel de Petra:* recusum cum accessione novarum notarum in Anglia studio *Gerardi Langbainii* 1638, in Gallia emendatiorem nitidioremque cum protulit *Tanaquil Faber*, excusum Salmurii 1663. cum elegantibus notis; queis uberiores tamen & copiosiores, nec non novam versionem, largiri huic Rhetori promiserat idem, quam vero, ut plura alia doctissimi hujus viri ab ingenio promissa fatum intercepit. Præstitit id autem, & elegantissimam interpretationem, vel potius paraphrasin Gallicam anno 1675 cum annotationibus edidit cultissimus Gallorum, *Boilavii* nomine vulgo cognitus, *Despreaux*: quem secutus *Andr. Dacerius*, & in

& in eodem auctore, verum ipsius sensum indagando, industriam suam elegantem exercuit. Quas doctorum virorum dispersas eruditas in Longini libellum curas, clarissimus vir *Jacobus Tollius* uno volumine collegit, omnesque eorum interpretationes & notas, textui emendatiori substravit. Nam aliquot codices in Italico suo itinere e Veneta & Romana seu Vaticana bibliotheca nactus, antea etiam a Vossio Parisini codicis lectiones adeptus, ipsum Longini libellum correctiorem quam antea legebatur, exhibuit; suasq: plurimas & uberes notas Petræ, Fabri, Langbainii, Robortelli, Gallicis etiam Boilavii & Dacerii annotationibus inseruit. Animadversionũ autem criticarum ad scriptorem hunc gustum, quem anno 1677 Lugduni excusum jam dederat, & e Fortuitis, anno eodem Amstelodami evulgatis, caput 3. 13. & 14. subjecit p. 345. seqq. variantes item lectiones e tribus Vaticanis codicibus excerptas studio Laur. de Zaccagnis, p. 382. seqq. & Petræ ac Fabri præfationes suarum editionum p. 383. appendicum loco attexuit, ut ad conciliandam elegantiam & intelligentiam huic scriptori nihil omisisse præstantissimus Editor merito existimari debeat. Rogandus præterea, ut ἀνέκδοτα ejus quædam, quæ in *Itineris Italici* sui enarratione se exhibiturum promisit, publico impertiri velit in commentatione ista insigni, quam exspectamus.

INTEGRI PROCESSUS IN MORBIS FERE OMNIbus curandis a Thoma Sydenham M. D. conscripti, quibus accessit graphica symptomatatum delineatio.

Londini apud S. Smith. & B. Walford, 1693. 12. pl. 5.

Amstelodami apud Henr. Wetstenium 1684 in 8. plag. 7.

VIdetur Editor specimen vel compendium quoddam praxeos Sydenhamianæ, ab ipso autore conscriptum, exhibens favere empiriæ, sufficere præfatus nosse situm partium, morborum phænomena, & genuinam medendi methodum, citra scrupulosam causarum inquisitionem; cujus rei exemplum variolas proponit, inprimis prout a Cl. Sydenham curari jubentur, largiori potu cerevisiæ tenuis, vitato calore nimio, citra expulsiva cardiaca, laudato paregoricorum usu.

Hinc sine singulari ordine præmittit quasdam formulas, sub-

jungit affectus particulares, utrique sexui communes & particulares, quosdam etiam puerorum.

Et hanc methodum passim tenet, (subinde tamen alicubi caussas morborum tangens,) ut symptomatibus potioribus recensitis remedia tradat, in aliis strictiori, in aliis completa magis curatione, ut gonorrhœæ virulentæ, variolarum, luis Venereæ &c.

Una quoque Venæsectionem magni æstimat & commendat, etiam in febre pestilenti, pleuritide (ubi sanguinem eductum refrigeratumque sevi liquati speciem præ se ferre ait,) in diarrhœa ipsa post morbillos, variolis, etiam repetitam a die undecimo, dysenteria, ophthalmia, iliaca passione, fluore albo, tussi a pleuritide oriunda, asthmate & aliis.

Vomitoria in variolis post venæsectionem, die decimo tertio catharsin blandam laudat. Paregorica, ut vocat, seu anodyna liquida magni facit passim, in ophthalmia præsertim, dysenteria, ileo, suppressione lochiorum, febribus intermittentibus; balsamum de Peru in colica scorbutica interne. Euporista item varia alia describit & recenset egregia, electuarium febrifugum, unguentum mercuriale, liquorem stypticum, diascordium in diarrhœa infantum. Maxime omnium vero equitationem in phthisi pro adultis extollit, & cautelas practicas passim immiscet.

GEORGII WOLFFGANGI WEDELII M. D. COM. Palat. Cæs. Theoret. Profess. Ord. Consiliarii & Archiatri Ducalis Saxonici, Aphorismi Aphorismorum.

id est,

Aphorismi Hippocratis in porismata resoluti, ut & mens textus & usus facile patere queat.

Jenæ sumptibus Joh. Bielkii 1695 in 12. plag. 17.

PLacuit illustri Autori, inter varios Aphorismos Hippocratis eruendi & tractandi modos, novus & optimus, genio scriptoris divini accommodatus; hæc quippe scribendi ratio antiquissima, in sacris & profanis obvia, per aphorismos, paucis multa dicens, talis ipsi visa est.

Methodum ergo hanc tenet, ut aphorismos instar textus alicujus authentici in suo genere habens, libros ipsos aphorismo-

rismorum, seu sectiones, quas, citra textum quidem ipsum aliunde satis notum, κατὰ πόδα sequitur, (1) partiatur in certas classes quoad contenta, de quibus agunt; (2) ex textu hinc quovis, pro re nata iterum specialius dirimendo, propositionem, velut ejusdem animam, exhibeat; & (3) quæ latius dici possent, in porismata resolvat alia, partim explicantia textum ipsum, partim usum monstrantia amplissimum, partim causas suggerentia, stabilientia vero universa assertum, limitantia casus, &, quod præcipuum est, confirmata experientia.

Et hinc dicti sunt aphorismi aphorismorum, tanquam novi fœtus ubere proventu inde geniti. Sin concisius illos spectemus, duorum fere generum sunt: quidam rationem; quidam, experientiam, duo crura medicinæ, suggerunt; ita ut ex observationibus, tanquam collectis culmis producti messem divitem sistant. Sicque multiformem usum velut statim sui offerunt, citra ullas ambages, secus ac in vastis quoque operibus commentatorum observatum videas; saltim non excerpta hinc inde & congesta, sed ex praxi longa plurimum annorum nata.

Videas hic cautelas non paucas practicas, methodum medendi variis morbis concisam, & lemmata ex universæ artis loculis deprompta, vel ad eos potius referenda, & quæ dubia vel incerta videbantur prius, discussa, vel ad meliorem sensum tracta.

LIBRI NOVI.

Bibliotheca Magna Rabbinicæ pars quarta, auctore D. Julio Bartoloccio de Celleno. Post ejus obitum absoluta, aucta & edita a D. Carolo Joseph Imbonato. Romæ 1693 fol.

Bibliotheca Latino-Hebraica, sive de Scriptoribus Latinis, qui contra Judæos vel de re Hebraica scripserunt; auctore D. Carolo Joseph Imbonato. Romæ 1694, fol.

Septem Asiæ Ecclesiarum & Constantinopoleos Notitia. Auctore Thoma Smitho. Editio nova. Trajecti ad Rhenum, 1694, 8.

Examen de la Theologie de Mr. Jurieu, par Elie Saurin. A la Haye 1694, 8.

Francisci Turretini Compendium Theologiæ Didactico-Elencticæ. Editio posterior. Amstelod. 1695, 4.

Oeuvres

Oeuvres de Mr. Capistron. Nouvelle edition. A Amsterdam 1695. 12.

Voyage ou Relation de l' Etat present du Royaume de Perse, par Mr. Sanson. A Paris 1695, 12.

Recueil des plus beaux secrets de Medecine. A Paris 1695, 12.

La Vie du Tasse, Prince des Poëtes Italiens. Nouvelle edit. A Par 1695, 12.

Friderici Spanhemii Elenchus controversiarum de Religione. Editio nova. Amstel. 1695. 8.

Traité des Interets des Princes & Souverains de l' Europe. A Anvers, 1695, 12.

Voyages Historiques de l' Europe. Tom IV. qui comprend tout ce qu' il y a de plus curieux dans les Royaumes d' Angleterre, d' Irlande & d' Ecosse. A Paris 1694, 12.

Lettres du Cardinal Duc de Richelieu. A Paris 1695, 12.

Gerhardi Joh. Vossii Etymologicum Linguæ Latinæ. Amstelod. 1695. fol.

Historia Colloquii Emmendingensis, ex genuinis documentis adornata a D. Jo. Fechtio. Rostochii 1694. in 4.

Augustana Confessio XX Dissertationibus publicis in Academia Rintheliensi proposita a D. Jo. Kahler. Rinthelii 1694, in 4.

Reflexions sur les Defauts d' autrui. A Berlin 1695, 12.

La Retraite des dix mille de Xenophon, ou L' Expedition de Cyrus contre Artaxerxes. De la traduction de Nicolas Perrot, Sieur d' Ablancourt. A Paris 1695, 12.

Hermanni Witsii Exercitationes Historico Critico-Theologicæ. Ultrajecti 1694, in 8.

TAB. I.

In gratiam eorum, qui Antiquitatis & Literaturæ Hieroglyphicæ studio ducuntur, laminam auream hic exhibemus, in qua explicanda vires ingenii experiri poterunt. Reperta ea, & capsulæ quidem itidem aureæ inclusa, non ita pridem fuit in sepulchro quodam subterraneo prope urbem Melitam, & sub initium superioris anni a doctissimo Canonico Dn. Ignatio di Costanzo Neapolin ad Eminentissimum Dn. Archiepiscopum & Cardinalem CANTELMUM transmissa, in cujus cimeliarchio hodie asservatur. Permissu ejus in æs incidi monumentum hoc antiquitatis non ignobile curavit, ac nobiscum communicavit, quem alias laudavimus, Dn. *Antonius Bulifon*, Bibliopola Neapolitanus rerum talium curiosissimus.

* * *



Imperium, primaque [illegible]

Hac

[illegible] *Nouvelle edition [illegible] Amsterdam 1695. 12.*

Liſcum communicavit, quem alias laudavimus, Dn. *Antonius Buliſon*, Bibliopola Neapolitanus rerum talium curioſiſſimus.

* * *

ACTA ERUDITORUM

publicata Lipsiæ

Calendis Februarii, Anno M DC XCV.

THESAURUS ANTIQUITATUM ROMANARUM; in quo continentur lectissimi quique scriptores, qui superiori aut nostro seculo Romanæ reipublicæ rationem, disciplinam, leges, instituta, sacra, artesque togatas ac sagatas explicarunt & illustrarunt; congestus a Joanne Georgio Graevio.

Trajecti ad Rhenum, apud Franc. Halmam, & Lugd. Batavorum, apud Petrum van der Aa, 1694. fol.

Tom. I. & II. constant alph. 14. plag. 7. & sex æneis tabulis.

INter imperia, quæ a condito orbe extiterunt, eminere & primas ferre Romanum, sive potentiæ & opum rerumque gestarum magnitudine, sive finium amplitudine, sive populi virtute ac fortitudine, sive legum æquitate, sive sacrorum cura, ea censenda existimemus, vix dubium relinquitur iis, qui res ejus contemplantur, non unius gentis, sed generis humani facta (dicente Floro) intuentes. Inde Romam caput mundi, reginam ac dominam orbis, ejusdemque miraculum & compendium, imperii virtutumque omnium larem, terrarum deam gentiumque, cui par sit nihil & nihil secundum, dixere veteres. E quibus eleganter laudes ejus his versibus complexus est Claudianus in II. Conf. Stilic. vers. 131. seqq.

Qua nihil in terris complectitur altius æther,
Cujus nec spatium visus, nec corda decorem,
Nec laudem vox ulla capit: quæ luce metalli
Æmula vicinis fastigia conserit astris.
Armorum legumque parens, quæ fundit in omnes
Imperium, primique dedit cunabula juris.

Hac est, exiguis quæ finibus orta, tetendit
In geminos axes, parvaque a sede profecta
Dispersit cum Sole manus. Hac obvia Fatis,
Innumeras uno gereret cum tempore pugnas,
Hispanas caperet, Siculas obsideret urbes,
Et Gallum terris prosterneret, æquore Pœnum,
Nunquam succubuit damnis, & territa nullo
Vulnere, post Cannas major Trebiamque fremebat.

Merito proinde ritus ejus & instituta omnisque disciplinæ ordinem scrutati fuerunt, & e scriptoribus priscis Romanis Græcisque collectas antiquitates studiose consignarunt, tum qui eruditionis interioris & litterarum gesserunt curam, tum qui civilis prudentiæ se addixerunt studio. Nam cum *nulla unquam Respublica nec major, nec sanctior, nec bonis exemplis ditior* fuerit, (juxta Livium) Romana; tota autem perierit, inque ruinis suis condita, veterem sui speciem amplius nullam præbeat; utile omnino est, non modo formam tanti imperii, sed omnes ejus etiam ritus cognitos habere & perspectos, ut inde sibi quisque suæque reipublicæ, quod imitetur, capiat. Ea etiam quæ imitanda non sunt, (ut plurima occurrunt a nostris moribus, qui Christianam religionem professi ad sanctius vitæ morumque institutum adigimur, prorsus aliena) nosse tamen juvat, & perspicere, quæ ratio fuerit armorum non magis peritia quam litteris & moribus excultæ Romanæ gentis, in urbibus condendis, finibus proferendis tuendisque, magistratibus constituendis, juribus dandis, bellis gerendis, classibus apparandis, castris metandis, firmanda pace, ordinandis sacris religionibusque, tributis & vectigalibus imponendis, coloniis deducendis, nummis signandis, comitiis, censibus, dilectibus agendis, ludis edendis, donis erogandis, ædificiis publicis privatisque exstruendis, foris, theatris, aquæductibus, & aliis operibus moliendis, denique illo, qui Reipublicæ huic fuit impositus, statu condendo. Ad has igitur Romanorum res observandas, & ex omnibus antiquorum monumentis omni studio colligendas enisi sunt, qui præterlapso & hoc nostro, post instauratas litteras, seculo non dictionis modo cultum, sed rerum quoque momenta, in Histo-

ricorum

ricorum & reliquorum auctorum veterum libris investigarunt. Quorum industriæ monumenta, dispersa & vix amplius obvia, ne intercidant & incuriosorum socordia dispalescant, provida cautio est solertissimi inque omni studiorum prisci ævi ac elegantiorum litterarum genere versatissimi viri, *Joannis Georgii Graevii.* Qui cum in optimis vetustis Auctoribus expoliendis, iisque nitidioribus & emendatioribus proferendis, industriam hactenus suam exercuerit, & in Cicerone (omnium Scriptorum extra controversiam præstantissimo) excolendo in hunc usque diem insigne ponat studium; eorum quoque saluti consulendum arbitratus, qui ævo nostro propiores, e veteribus auctoribus omnem rem Romanam collectam per partes tradiderunt; uno opere, pluribus tomis distincto, omnes hujus superiorisque seculi Scriptores, qui istam pertractarunt, complecti constituit, eos qui in eodem argumento versati sunt conjungens; ut universæ Romanæ antiquitatis thesaurum vere possidere, & operi huic inclusum servare possint, qui studio veteris ævi capiuntur. Operis hujus *duos tomos* præterlapso anno evulgavit, e quibus præter elenchum librorum & commentariorum, quos volumina isthæc bina complectuntur, quidquam recensere arctati nostri instituti modus prohibet.

Primus tomus præfixum ostentat Octaviani Ferrarii *de origine Romanorum* librum anno 1607 editum, quem serius, & cum jam pleriq; libri, quos in tomum primum conclusit, essent editi, adsle perlatum Grævius memorat. Secundo loco Paulli Manutii *de civitate Romana* extat commentarius, qui anno 1585 lucem primum adspexerat, p. 1. Hunc excipiunt (3) Caroli Sigonii *de antiquo jure civium Romanorum* libri duo, anno 1560 primum editi, p. 39. Sequitur (4) Onuphrii Panvinii *Civitas Romana*, anno 1558 evulgata, pag. 193. (5) ejusdem *Imperium Romanorum*, anno eodem publici juris factum, p. 343. (6) Paulli Manutii *de comitiis Romanorum* liber an. 1585 evulgatus, p. 477. (7) Nicolai Gruchii ejusdem argumenti libri tres anno 1558 emissi, (8) ejusdemque *Responsio ad binas Car. Sigonii reprehensiones*, de binis magistratuum comitiis, & lege curiata, anno 1565 data, pag. 709. (9) objecta isti Caroli Sigonii *disputatio posterior*, super isto argumento, anno 1566 prodita, p. 731. (10) Nic. Gruchii

 ad po-

ad posteriorem istam Sigonii disputationem anno 1567 data responsio seu *Refutatio*, p. 755. (11) Car. Sigonii *de Lege Curiata Magistratuum, & Imperatorum, & jure eorum*, ad Nic. Gruchium scriptus anno 1569 liber, p. 841. (12) Paulli Manutii *de Senatu Romano* commentatio, anno 1580 ab Aldo filio in lucem prolata, p. 894. (13) Jo. Sarii Zamoscii de eodem argumento libri duo, anno 1563 editi, pag. 951. Cum vero postrema a Wechelianis anno 1609 adornata Sigonii *de antiquo jure civium Romanorum* commentarii editio, Venetam potius quam (quod par fuerat) Parisinam anni 1573, quæ ab auctore ipso multis in locis aucta prodierat, expressisset; &, cum Tomus hic excuderetur, Wecheliana typographo proposita esset imitanda, postea autem absolutiorem & locupletiorem deprehendisset Gallicam doctissimus Editor; sollicite loca, quibus auctior hæc erat, excerpenda idem censuit, & p. 1021. seqq. sub finem operis collocanda. Quia autem in his doctorum virorum commentationibus eruditis licet, tamen quædam occurrunt, quæ rectius dici potuissent, illa in Præfatione monuit & modeste notavit. Adversus eos igitur docuit, Thessaliæ ortum debere Argos, & unicum fuisse Pelasgum, nempe Thessalicum, a quo derivati Pelasgi: *notas* apud Paullum in Pandectis significare siglas ταχυγράφοις usitatas, seu vocum compendia: curias nequaquam divisas fuisse in decurias, & qui hoc tradidit, Dionysium Halicarnasseum aliquid humani esse passum: patricios nunquam de plebe fuisse: equites Senatui adscriptos equum publicum amplius non retinuisse, sed equestrem ordinem amisisse: senatoriam dignitatem non nobilitasse: trabeam non fuisse togam pictam: prædia possidentes & rura in tribum rusticam propterea neutiquam relatos fuisse: inter cives Romanos & *populum Romanum* nullum fuisse discrimen, nec plebem intra urbem *populum Romanum*, extra urbem quæ ageret *tribus* dictam: municipes æque ac colonos potuisse in legione merere: in centuria sua quemvis fuisse censum: duplicem censum, alium civium, alium municipum, non fuisse: censum vicatim agi per dominos insularum agi non potuisse: *celeres* nec a celeritate, nec duce Romuli Celere dictos, sed a Græco κέλης: *equum publicum* eum fuisse, qui dabatur a censore ei qui esset equestri loco natus, quique cen-

sum

ſum haberet equeſtrem, ſi cenſoribus placeret ut mereret in turmis legionariis Romanorum equitum, cuique ad alendum illum equum erat adſignatum ſtipendium: conventus civium Romanorum, e quibus judices a prætoribus in provinciis lecti ſint, fuiſſe nullos: legitimum ad judicis perſonam Romæ ſuſtinendam tempus fuiſſe vigeſimum quintum (non trigeſimum quintum) annum: *deteſtationem ſacrorum* fuiſſe, cum denuntiaretur heredi aut legatario calatis comitiis, ut ea ſuſciperet ſacra, quæ teſtamenta & hereditatem ſequebantur: Floram, a qua Floralia ſive ludi Florales, non fuiſſe meretricem, quod vulgo exiſtimant, ſed Deam Sabinorum, cujus cultum Titus Tatius Romam attulerit: Saliis manſiones, magiſtros, præſules ſive præſultores, ac vates ſuos fuiſſe: *trabeam* nec prætextam nec veſtem conſularem extitiſſe: inter Conſules collegas ſecures & virgas non diviſas fuiſſe, ut alter faſces ſecurium, alter virgarum cum lictoribus habuerit: Prætores nullos *Cereales* ſed Ædiles extitiſſe: proconſules & proprætores tributis comitiis in provincias non miſſos: populos fundos nullos in civitatem exteris ex gentibus admiſſos: beneficiarios milites etiam alios, non cives ſolos, fieri potuiſſe: turmas fuiſſe triginta virorum: *alas* pedeſtres æque ac equeſtres olim ante Cæſarum tempora dictas fuiſſe copias ex ſociis Romanis collectas, quæ in prælio collocabantur ad utrumque aciei, quæ erat legionum, hoc eſt civium Romanorum, latus: legionem & aciem nunquam *quadratam* dici, agmen autem ea appellatione venire: *pilanos* non juniores aut tenuioris fortunæ homines, ſed veteranos dictos, alio nomine *triarios*: cohortes diu ante Marium extitiſſe: nec confundendas eſſe cohortes veteris Reip. legionarias cum hisquæ ſub Imperatoribus ſeparatim ſub vexillo nonnunquam habebantur: manipulum duas confeciſſe centurias, in legione fuiſſe ſexaginta centurias, triginta manipulos, decem cohortes: ſub libera Rep. nullos fuiſſe legatos legionum ſed proconſulum & proprætorum; ſub Imperatoribus fuiſſe legatos conſulares & prætorios: *ducenarios* ignorari in antiqua militia: *manipularios* dictos gregarios milites, non, qui manipulo præeſſent: imagines Imperatorum haſtis ſignorum annexas, nō *ſigna* ipſa fuiſſe: præfectos caſtrorum in veteri militia non extitiſſe: nec *dendrophoros* in caſtris fuiſſe, ſed ad urbana mu-

nera & collegia eos pertinere: in Sardinia nullam urbem esse Vestipolin, sed Usellin: nullas fuisse colonias Solvensem, Perendanesiorum, Orestiam, Marcilaidam, Epiropiam, Capitulum, Naconensem, Paranisensem, Abilin, Tubil, Gunugi, Igilgi, Simitu, Culli, Cuina, Ocea, Admedera, Tiba, Tuburbis, Utina; quæ nomina aliter legenda esse ostendit. Præfationem Lat. Latinii animadversionibus in Sigonii & Gruchii libros concludit.

Tomus secundus doctorum virorum *de legibus & judiciis*, insigni antiquitatum Romanarum parte, quam nisi probe & exacte cognoverimus, plurima veterum scriptorum (cumprimis Ciceronis) loca obscura nobis manebunt & minus intellecta, commentarios exhibet. Primo loco comparet Paulli Manutii liber *de legibus Romanis*, anno 1571 editus, p. 1022. (2) Antonii Augustini Archiepiscopi Tarraconensis *de Legibus & Senatusconsultis* liber, qui cum Fulvii Ursini notis anno 1584 Parisiis prodiit, p. 1140. (3) Caroli Sigonii *de antiquo jure Italiæ* libri tres, Venetiis A. 1560 in publicum emissi, p. 1374. (4) ejusdem *de antiquo jure provinciarum* libri totidem anno eodem publici juris facti, p. 1528. (5) ejusdem *de Judiciis* libri totidem, eodem anno evulgati, p. 1684. (6) Sibrandi Tetardi Siccamæ *de judicio centumvirali* libri duo, anno 1595 editi, p. 1824. (7) Franc. Hottomanni *de magistratibus Romanorum eorumque institutione, Senatu & insignibus aliquot Senatusconsultis*, denique *formulis antiquis* libri tres, qui in operum Hottomanni anno 1600 editorum tomo tertio, partem secundam, tertiam & quintam libri primi Antiquit. Rom. constituunt, p. 1863. (8) Nicolai Rigaltii, Ismaelis Bullialdi, & Henrici Valesii observationes *de Populis Fundis*, juxta Parisinam anni 1651 editionem, p. 1925. (9) Caroli Sigonii de Nominibus Romanorum liber, anno 1559 evulgatus, p. 1951. (10) Onuphrii Panvinii ejusdem argumenti commentarius anno 1558 editus, p. 1989. (11) Josephi Castalionis *adversus fœminarum prænominum assertores* Disputatio, nec non *de antiquis puerorum prænominibus* Disquisitio, anno 1594 prodita, p. 2050. & 2062. (21) Petri Servii, Medici Romani, *de mulierum Romanarum nominibus, prænominibus & cognominibus* Dissertatio, *e Miscellaneorum* ejus Romæ anno 1640 editorum capitibus 5, 6, 7, & 8, deprompta: quæ tamen, quia ad manus non erant hæc Miscellanea Editori, cum absolveretur hic tomus, ejus Præfationi

intexta

intexta sunt. In qua etiam nonnulla notat, quæ sibi non satis in enumeratis libris constare visa fuerunt. *Actio* sane *præscriptis verbis* clarius, quam a Sigonio explicata est, describitur: cum petitor ex innominato contractu urget, ut is, cum quo contraxit, fidem liberet, prout verba postulant quibus pepigerat. *Actio fiduciæ* eadem esse ostenditur quæ *hypothecaria* posteris dicta est, & ab Imperatore *quasi Serviana*. Porro docetur, *assiduum* male exponi divitem, ab assibus dandis, rectius eum qui semper præsto sit; & *assiduos cives* dictos honestiores, qui quotidie versarentur in foro, & aliis civibus præstarent officia & operam in rebus civilibus, oppositos *proletariis* & *capite censis*, qui opera mercenaria victum quærentes raro in foro conspiciebantur, cum iis nullus esset locus in comitiis & concionibus. *Vadimonium* non esse itionem in jus pro altero, sed promissionem dato vade, se sistendi in judicio, quod faciebat is qui vocatus erat in jus. Prætorem in consilium adhibuisse decemviros, & cum iis præfuisse centumviralibus judiciis, aliter ac censet Sigonius. Omnes judices, tam qui dabantur a prætore, quam quos sortiebatur prætor in judiciis publicis, & decemviros ac centumviros, fuisse privatos, hoc est, nullos magistratus, sine imperio & potestate; secus quam existimat Siccama. Hastæ *sacræ*, *cruentæ* & *prætoriæ* quæ ratio fuerit, breviter indicatur. Judicia extraordinaria *cognitiones*, publica *quæstiones* dicta fuisse; in utrisque quæ causæ actæ, qui judices fuerint, & an jurisdictionem prætores seu quæstores, qui publica exercebant, habuerint, disquiritur; eaque occasione Taciti in Agricola cap. 6. locus explicatur. Horatii etiam versus 51. Lib. I. epist. 6. de nomenclatore, aliter quam a Sigonio factum, exponitur, & ex Suetonii Aug. cap. 32. loco emendato, vigesimum quintum annum legitimum fuisse, quo in judicum decurias Romani potuerint adscribi, sed ut vigesimo cives Romani possent judices legi, ab Augusto sancitum, ostenditur.

Utrique autem tomo accuratissimi indices & locupletissimi subjecti sunt; ac ne ornamento operis quidquam desit, venustissimæ tabulæ ei insertæ, quæ Italiam veterem, & Latium universasque Romani Imperii provincias exhibent, tum & Romam veterem ejusque ædificia, per quatuordecim regiones divisa a Pyrrho Ligorio descripta, Cæsarum item imagines, a Julio Cæsare ad Constantinum

num usque Porphyrogenitum, in nummis expressas, elegantiarum harum sectatoribus insigni cum jucunditate spectandas proponunt, ac his velut illecebris captos avidiores reddunt ad sequentium tomorum intelligenda argumenta, eosq; absolutos quamprimum conspiciendos.

ILLUSTRIS MARCHIONIS HOSPITALII SOLUTIO Problematis Physico-Mathematici ab erudito quodam Geometra propositi.

TAB. II. *Probl. Sit pons sublicius AB* (vid. *fig.* 1, 2, 3,) *convertibilis circa axem A, sitque trochleæ C circumductus funis BCM, cujus una extremitas sustinet pontem, altera pondus vel sacoma M. Quæritur qualis debeat esse curva CMN aut LMN, sic ut ubicunque existens pondus M in curva, semper æquilibrium faciat cum ponte AB.*

Sol. Supponendo gravitatem pontis AB quam considero collectam in puncto B, exprimi per verticalem AC, tres habentur differentes casus: primus cum linea exprimens pondus M æquatur longitudini funis BCM, secundus cum superat, tertius cum superatur.

Constructio generalis pro omni casu.

A quolibet puncto D peripheriæ QDN descriptæ centro C & radio CQ æquali funi BCM, ducantur sinus DG & radius CD. Et positis, longitudine funis BCM vel radio $CQ = a$; linea exprimente pondus $M = b$; abscissa $CG = z$; sumatur $CM = 2a - \frac{2bz}{a}$: dico punctum M fore in curva quæ sita. Hinc manifestum est, constructionem primi casus ubi $a = b$, evadere valde simplicem; etenim CM tantum sumenda est dupla ipsius GQ. Sequuntur nunc quædam harum curvarum determinationes.

1. Accepta $z = \frac{aa}{2b}$, tanget ducta perpendicularis ad AC curvam CMN aut LMN in puncto N, in quo peripheriam secat, & quod est horizonti proximum, sic ut sola portio CMN, aut LMN, serviat pro effectu qui proponitur.

2. Ducta horizontali AH æquali longitudini pontis, & posita hypotenusa $CH = c$, si accidit in duobus primis casibus, ut a sit $= c$, tota

TAB. II. ad A. 1695. pag. 56.

















tota portio CMN utilis erit: sin autem a excedit c, pars tantum MN satisfaciet, quæ determinatur sumendo $CG = \frac{aa + ac}{2b}$.

3. Curva in utroque priorum casuum transit per centrum C, hoc cum discrimine, quod illa in primo casu pro tangente habeat verticalem AC, in altero autem ab eadem oblique secetur, faciens angulum qui determinatur sumta $z = \frac{aa}{b}$. Curva tertii casus non transit per centrum, sed occurrit verticali AC ad angulum rectum infra centrum in puncto L, ita ut $CL = 2a - 2b$.

4. Curva cujusvis casus in se ipsam redit cum hac differentia, quod in primo & tertio secet normaliter verticalem AC productam supra C in unico tantum puncto distante a centro $2a + 2b$, in secundo autem casu eandem adhuc secet in alio puncto, quod a centro distat $2a - 2b$: id est quod hæ curvæ habeant formas quæ repræsentantur *fig.* 4, 5, 6.

5. Ut habeantur puncta maximæ latitudinis harum curvarum, accipienda est $z = \frac{aa + a\sqrt{aa + 8bb}}{4b}$; Unde liquet quod in primo & tertio casu nonnisi falsa radix servire possit, quoniam vera æqualis aut major est radio: loco quod in secundo utraque utpote minor radio utilis esse potest; Et reapse *fig.* 5. satis ostendit duas tunc maximas latitudines esse determinandas.

6. Curva tertii casus LMN gaudet puncto flexus contrarii inter puncta L & N, quod reperietur accipiendo $z = \frac{aa + 2bb}{3b}$, radius circuli osculatoris in vertice $L = \frac{2aa - 4ab + 2bb}{2b - a}$; sumenda autē est $b = \frac{a + c}{2}$, adeo ut pondus M hoc casu sit determinatum, licet in reliquis duobus omnino sit arbitrarium.

7. Spatium integræ curvæ inclusum æquatur quatuor suis circulis generatoribus plus duobus circulis radio b descriptis, ita ut

H in pri-

in primo casu ubi $a = b$ hoc spatium contineat sexies circulum suum generatorem.

8. In primo casu curva integra est æqualis sexdecuplo radio circuli generatoris, & generatim quælibet portio CM æquatur quatuor diametris RQ, minus quatuor subtensis DR.

Cæterum hoc problema suam applicationem & usum obtinere potest in architectura militari. Mihi propositum fuit a Geometra quodam in analysi *Cartesiana* exercitatissimo, qui asseveravit se quidem reperisse tandem viam perveniendi ad solutionem, sed opus habere ut 27 analogias differentes institueret, priusquam detegeret naturam curvæ, adeoque cum ob nimiam prolixitatem valde operosi calculi solutionem imperfectam reliquisset, contentum fuisse determinatione approximante punctorum in curva, id quod ad praxin sufficere credebat. Interim ex constructione præcedente satis colligere est, curvam hanc descriptu non minus facilem esse quam quamlibet sectionum conicarum. Methodum qua usus sum, quæq; eadem est cum *Leibnitiana*, nunc apponam, ut inde patescat quantum erudito ejus *Auctori* debeatur pro publicatione inventi adeo utilis, cujus beneficio fores ex mathesi in physicam tam feliciter effregit.

Ante omnia auferri debet, quod mechanicum est in quæstione, ut pure Geometrica reddatur, quod ita facio: Considero gravitatem pontis A B tanquam pondus affixum in B & mobile juxta quadrantem peripheriæ centrum habentis in A, & radium lineam AB. Supposito autem gravitatem hujus ponderis exprimi per verticalem AC, ex Staticæ regulis certum est, lineam BC exprimere pondus quod requireretur ad sustinendum pontem in hoc statu: si itaque curva CMN aut LMN habeat proprietatem requisitam, & si pondus quod cum ponte æquilibratur sit in M, oportet ut ducta MK perpendiculari ad curvam in puncto M, & facto ut CK ad CM, ita pondus M, quod exprimo per rectam b, ad quartam quandam proportionalem, hæc quarta linea sit æqualis ipsi BC. Quocirca descripto circulo centro C & radio CQ æquali longitudini funis BCM, secante CM in D, & ducta DE parallela AC & æquali b, recta EM debet normaliter insistere curvæ CMN in puncto M: aut, quod eodem recidit, perpendicularis KM producta secabit parallelam DE in puncto E, tali ut inter-

intercepta DE sit semper æqualis eidem lineæ b; nam ob similia triangula CMK, DME, erit CK, CM :: DE, DM; & ob radium CD æqualem BCM, quarta hæc proportionalis DM, quæ exprimit potentiam, qua pondus M trahit pontem AB, erit æqualis lineæ BC, quæ exprimit potentiam qua pons AB resistit ponderi M: adeo ut in hoc rerum statu semper æquilibrium fiat inter pontem AB & pondus M. Hoc igitur unicum in quæstione est, ut inveniatur curva, cujus perpendiculares dictam habeant proprietatem. In hunc finem

Ducta PMF normali ad AC, & positis indeterminatis CP $= x$. PM $= y$, & cognitis CQ vel BCM $= a$, DE $= b$, habebitur ob triangulum rectangulum CPM, CM $= \sqrt{xx + yy}$, & ob sim. triangul. CMP, CDG; DG vel PF $= \frac{ay}{\sqrt{xx+yy}}$, & CG $= \frac{ax}{\sqrt{xx+yy}}$, ergo PF − PM vel MF $= \frac{ay}{\sqrt{xx+yy}} - y$ & DE + CP − CG vel FE $= b + x - \frac{ax}{\sqrt{xx+yy}}$, verum ob sim. triangula MPK, MFE, MF $\left(\frac{ay}{\sqrt{xx+yy}} - y\right)$ FE $\left(b + x - \frac{ax}{\sqrt{xx+yy}}\right)$ :: MP. PK :: $dx.dy$ siquidem recta KE debeat secare perpendiculariter curvam in puncto M. Ideoq; $bdx + xdx - \frac{axdx}{\sqrt{xx+yy}} = \frac{aydy}{\sqrt{xx+yy}} - ydy$, quæ æquatio si integretur dabit hanc alteram $a\sqrt{xx+yy} = bx + \frac{1}{2}xx + \frac{1}{2}yy$ vel $bx + \frac{1}{2}xx + \frac{1}{2}yy \mp ff$, quæ est propria æquatio pro natura curvæ quæsitæ, ex qua nempe constructio & determinationes præcedentes sunt deductæ.

JOH. BERNOULLI ANIMADVERSIO IN PRÆCEDENTEM solutionem Illustris D. Marchionis Hospitalii. Demonstratio identitatis curvæ æquilibrationis *cum cycloide descripta ex circumvolutione rotæ super rota æquali. Constructio generalis ejusdem curvæ inventa per communem Geometriam. Solutio problematis fraterni anno 1694 mens. Octobr. propositi &c.*

PRæstantiam alicujus problematis non tam æstimandam esse a difficultate, quam ab utilitate, satis ostendit præsens; cujus succinctam pariter & ingeniosam nobis tradit solutionem Illustris *Hospitalius*; Et quod practicum suum usum non solum in architectura militari, ut ipse solutionis Author animadvertit, sed etiam in civili eumque amplissimum habere potest. Quanta e.gr. molestia nonnunquam superanda est in aperiendis valvis cavarum, in attollendis alis officinarum, inque deducendis omnivarii generis portis. Quantacunque autem illa sit, ita tamen temperari potest per sacomata contraponderantia & laminas adaptatas, eam quam *Illustris Author* ipsis assignat habentes curvaturam, ut vel ab infante hujusmodi machinæ sine periculo possint regi. Quot alii quotidiani usus exinde emergant, quilibet secum reputet.

Cum autem in resolutione problematum id præcipue intendamus, ut peractis quæ ad theoriam spectant, via inveniatur facilis, quæ nos ad constructionem simplicissimam deducat: eum construendi modum in praxi commodissimum censeo, qui peragitur vel per fluxionem puncti, vel per tractionem *Leibnitianam*: descriptio quippe per inventionem punctorum in curva non tam practica quam theoretica dicenda est; Ex hac tamen tanquam ex regula conditiones motus continui eliciuntur. Sic ex æquatione algebraica quam *Dn. Marchio* pro determinatione suæ curvæ, quam *æquilibrationis* appellare liceat, exhibuit, reperio ipsam hanc curvam, quod sane notatu dignum est, esse ex *cycloidalium* genere; & proinde motu perquam simplici & ad praxin aptissimo describi posse.

TAB. II. Fig. 7. Rotetur enim (vid. *fig. 7.* circulus SOT super circulo æquali RVT, sitque initium rotationis V, & punctum describens M sumtum vel in ipsa peripheria TO, vel extra vel intra eandem; dico cycloidem CMN hoc modo descriptam fore curvam æquilibrationis, quod sic demonstratur: connexis centris R, S, producatur SM, donec concurrat cum producta RV, in X, sumtaque RC æquali PM, describatur circulus CQD radio CQ, æquali radio genitoris, ex centro C per punctum M ducatur radius CMD, & ex D agatur perpendicularis DG. Quoniam nunc ex natura cycloidis arcus TV est æqualis arcui TO, erit angulus XRS = angulo XSR, ergo XR = XS, proindeque ducta per-

cta perpendicularis XT transibit per punctum contactus T, & ob RC = SM erit CM parallela RS, ideoque ang. GCD = ang. XRT, hinc triangula CGD, RTX, itemque triangula XRS, XCM sunt similia. Esto nunc RT vel ST vel CD = a, SM vel RC = b, CG = z, erit CG (z) CD (a) :: RT (a) RX = $\frac{aa}{z}$, ergo RX - RC id est XC = $\frac{aa}{z} - b$, & quoniam XR. RS :: XC. CM, invenietur CM = $2a - \frac{2bz}{a}$; quæ cum sit eadem quantitas quam *Dn. Hospitalius* invenit, sequitur & ipsam cycloidalem CMN esse curvam æquilibrationis *Hospitalianam*: ubi oppido patet, quod si punctum describens M sumatur in peripheria circuli genitoris TO, satisfaciet cyclois primo; si extra peripheriam, secundo; si intra eandem, tertio casui: hinc præcipuæ proprietates in præcedenti solutione recensitæ, quæ alias absque prolixiori calculo non inveniuntur, ex sola generatione cycloidis sponte fluunt.

Placet nunc adnectere solutionem ejusdem problematis, sed generaliter propositi, nempe sic: *Data in plano verticali curva quavis AB (vid. fig. 8.) quæritur in eodem plano altera curva LM, ita ut duo pondera data B, M communi funiculo BCM, trochleam positione datam C ambienti, alligata & curvis ubicunque imposita, semper sibi mutuo æquilibrentur; vel quod tantundem est, minima vi moveri possint.* TAB. II. Fig. 8.

Difficilius primo intuitu videtur hoc problema quam quod per communem Geometriam solvi possit, partim ex eo quod in specialissimo casu, cum sc. curva data AB est peripheria circuli, solutio *Hospitaliana* involvit tangentium determinationem, partim etiam quod *celebris* ille, quisquis sit, *Analysta Cartesianus* post 27 institutas analogias labore calculandi omnino fessus ab ulteriori disquisitione abstinuit. Verumenimvero si rite tractetur, tanta cum simplicitate expeditur, ut satis mirari nequeam, *Geometram* istum per vigesimam septimam analogiam nondum eo pervenisse, quo tamen & quidem longe ulterius per unicam solam pervenitur, ceu ex jam dicendis patebit. Pro principio assumo notissimum illud axioma staticum:

H 3 *In omni*

In omni motu gravium æquilibratorum commune centrum gravitatis neque ascendit neque descendit, sed perpetuo manet in eadem altitudine horizontali. Ut hoc ad præsens negotium applicetur, curva quæsita debet habere proprietatem talem, ut duo pondera M, B habeant in quovis situ semper eundem horizontalem axem æquilibrii. Per ductam itaque verticalem C Q agatur utcunque horizontalis KIE (quæ constantem axem æquilibrii denotet) fiatque ut pondus datum M ad pondus datum B, ita distantia brevissima I H (quæ data est ob curvam datam AB) ad quartam IP, quæ ad partem contrariam sumenda est, & ducenda parallela PM, quæ secabit arculum centro C & radio CM (differentia funiculi totius & partis datæ CB) descriptum in puncto M, quod erit ad curvam optatam L M. Hoc enim modo fit, ut centrum gravitatis commune ponderum B, M semper existat in linea horizontali KIE, quæ cum sit ad arbitrium ducta, ita duci potest, ut curva optata transeat per quodlibet punctum datum.

Ad uberiorem confirmationem sumatur pro curva data A B, circuli peripheria, quæraturque ex generali nostra solutione æquatio analytica pro curva LM; quæ reperietur quam apprime conspirare illi quam *Illustris Marchio* exhibuit, quæ tamen viis & principiis diversissimis inventa sunt, adeo ut vel maxime exinde conspicere liceat, *Naturam* ceu immutabilium suarum legum perpetuo memorem, sibi nunquam non constare.

Quod si principium supra allatum ad alia hujusmodi problemata applicare lubeat, videbitur fœcundissimum illud esse; ut si e. gr. funiculus non unam solam sed plures alias trochleas ambit (quod in praxi ita fieri nonnunquam necessitas urget, quando nempe ob certas circumstantias loci vel alia impedimenta, curva æquilibrationis ponti sublicio non immediate adaptanda, ubi obstaculo foret, sed ab eodem longius removenda & in locum commodiorem quemcunq; libuerit transferenda est), vel si plures dantur curvæ, in quibus plura pondera data uni vel pluribus funiculis in diversis distantiis alligata, per unum vel plura sacomata sint æquilibranda; vel si loco trochlearum sunt vectes in quorum extremitatibus funiculi cum ponderibus, curvis datis incumbentibus adnectuntur: vel qualiscunque demum machinatio & quantacunque composita ab Architecto excogitetur, curvæ

curvæ æquilibrationis semper pari facilitate & quasi ludendo construuntur, cum alias in prolixitatem calculi insuperabilem incideremus, si ad imitationem solutionis præcedentis, auferendo quod mechanicum est, hasce quæstiones in pure geometricas mutare vellemus.

Hic itaque penitioris Geometriæ peritissimum *Leibnitium* consultum velim, an non certæ regulæ inveniri possint pro illis problematis, quæ in abstracto proposita communem Geometriam quidem respuunt, in concreto autem eandem admittunt, ita ut non opus sit recurrere ad differentialium integraliumque calculum, cujus evidens exemplum habemus in curvis nostris *æquilibrationis:* quod quodammodo confirmare potest, quod *Frater* in *nupero Actorum Octob.* asserit, problema nimirum implicans curvam quæ necessario sit algebraica, etiam necessario resolvi posse per vulgares algebræ regulas; cui generaliter dicto ego non assentior: si enim verbi gr. alicujus figuræ quadratura, vel ex tangentium subtangentiumve conditione aliqua curva (quam licet necessario algebraicam esse aliunde constaret) determinanda esset, id aliam per methodum quam differentialium huicve analogam effici posse vix putem. Equidem acutissimus *Craigius* in novi sui tractatus de *quadraturis* anno 1693 impressi prima parte proponit methodum pro dimetiendis figuris algebraicis, quarum quadratrices sunt algebraicæ, quæ methodus beneficio æquationum quas *eminenter continentes*, appellat per communem Geometriam, nempe per comparationem terminorum more *Cartesiano* institutam peragitur: tantum autem abest ut illa sit generalis, ut infinita dentur exempla, ad quæ se non extendit; ratio est quia tacite supponit, quamlibet quantitatem differentialem affectam quantitate quadam irrationali habere (si quod habeat) pro integrali vel summatorio quantitatem aliam quæ necessario affecta sit eadem quantitate irrationali; ex quo ingeniosus *Author* in subsequentibus figurarum quadrabilitatis conditiones deducere vult. In eundem adeo impingit errorem, quem in alio redarguit, *quod* (ut propriis verbis utar) *ex sua methodo figuram aliquam, quadraturam indefinitam recusare conclusit, priusquam demonstrasset methodum suam ad omnes figuras indefinite quadrabiles extendere.*

Sub-

Subtilem etiam ſed pariter non generalem modum in *poſteriore parte* ſui *tractatus* tradit inveſtigandi quadratrices tranſcendentes, vel quod eodem recidit, reducendi quadraturas ſpatiorum ad extenſiones curvarum: ſed quam ingens ſupputandi labor requiratur etiam pro levisſimis exemplis, qualia ſunt circuli & hyperbolæ, ex ipſo *Authoris* calculo, quem tamen non integrum appoſuit, videre licet; adeo ut hæc methodus in ſpeculatione quidem pereximia ſed ad praxin parum ſit idonea: ob hanc rationem opinor *Authorem* poſt adductum quartum exemplum quadrandæ figuræ cujus natura $z = \sqrt{y^4 + a^4}$ ſubſtitiſſe, quia haud dubie jam præviderat, quod in exemplis paulo difficilioribus calculus foret immenſæ prolixitatis, cui abſolvendo non una vel altera tantum hora ſufficeret.

Commodiorem ego puto viam, qua uſus ſum in conſtructione curvæ paracentricæ, per extenſionem curvæ algebraicæ, quæ via conſiſtit in diviſione quadrati differentialis propoſitæ in duo alia quadrata quorum latera ſint integrabilia; ſic abſque omni calculo ſtatim apparet, quadraturam dictæ figuræ $z - \sqrt{y^4 + a^4}$, haberi per extenſionem curvæ parabolæ cubicalis primæ; quadratum enim elementi vel differentialis hujus figuræ $y^4 dy^2 + a^4 dy^2$ dividitur in hæc duo quadrata $y^4 dy^2$ & $a^4 dy^2$, quorum latera $yydy$ & $aady$ ſunt integrabilia; conſtructa ergo curva cujus coordinatæ ſint ut integrabilia horum laterum, nempe ut $\frac{1}{3}y^3$ & aay (quæ utique eſt parabola cubicalis prima) & multiplicata per conſtantem dimetietur figuram propoſitam $z = \sqrt{y^4 + a^4}$.

Scio quidem *celeberrimum Dn. Leibnitium* in ſua ſolutione Iſochronæ paracentricæ (*Act. m. Aug.* 1694, *pag.* 370) eandem hanc quadraturam reducere ad extenſionem curvæ hyperbolicæ, cum ita loquitur: *ſane ſi quadranda eſſet figura ordinatarum* $\sqrt{a^4 + x^4}$ *per extenſionem curvæ hyperbolicæ res præſtaretur.* Verum *Vir Celeb.* demonſtrationem hujus publicare haud gravabitur: oſtenderetur enim curvas parabolæ cubicalis primæ, & hyperbolæ ab invicem dependere, & unam alteram menſurare, id quod nobile prorſus & omnino novum eſſet inventum in Geometria.

Quantum ad ipſam paracentricæ ſolutionem *Leibnitianam*, multum gaudeo quod tam apte cum mea conveniat. Video exinde *celeber-*

celeberrimum ejus *Authorem* uno tempore similes fere meis hac super re habuisse cogitationes. Infinitas esse paracentricas respectu unius puncti vel centri post descensum ex data altitudine, neminem vel tantillum in calculo differentialium versatum latere potest, si modo consideret (quod in *Actis* jam passim innui) quamlibet quantitatem differentialem infinita habere integralia, sed non reciproce: quod tamen unicæ mentionem fecerim, id ideo factum, quia hæc omnium simplicissima est, quam in praxi præ cæteris adhiberi præstat. Siquidem omnes isochronarum paracentricarum species sub una generali solutione comprehenduntur, facile ex constructione mea demonstrare possem, nullas dari sub forma spiralium, quas *Nob. Dn. Hugenius* (*Act. Mens. Septemb. 1694*) determinandas proposuit. Coronidis loco adjiciam solutionem problematis a *Fratre* propositi in nupero *Actorum Octobri*. Quia curvæ H, I (vid. *fig. ibid.*) datæ sunt, erunt earum curvedines datæ; sunto ergo radius circuli osculantis in H $= r$, radius circuli osculantis in I $= s$, HK $= m$, IK $= n$, GH $= p$, GI $= q$, HI $(q-p) = t$. Abscindatur ex HG si opus producta, quædam HL, quæ sit $= \frac{rspm^3}{rqn^3 - spm^3}$, dico ductam lineam LK contingere curvam K in eodem puncto K. Quod erat faciendum.

SOLUTIONES SUPERIORIS PROBLEMATIS, AUCTORE Jac. Bernoullio.

Probl. AB vel AC est pons arrectarius versatilis circa A: BDH vel CDP funis extremo pontis alligatus, ambiens trochleam D, P pondus annexum funi & æquilibrium ubique cum ponte constituens, ut pons minima superaccedente vi attolli demittique possit. TAB. II. Fig. 9.

Quæritur, qua curva hoc liceat consequi?

1. *Sol:* Ductæ intelligantur BK, CR, CF, AE, perpendiculares ipsis AB, AC, AD, & CD; & vocentur AB vel AC *a*, AD *b*, BD *c*, DH *f*; nec non applicata quæsitæ curvæ QM *y*, & portio funis SQ *z*; item P pondus *p*, & pondus pontis *q*: quo facto erit per princ. Statica vulgo nota, Potentia sustinens pontem in K. Potent. sust. in R :: AB (AC). CF: & Pot. in R. Pot. obliq. in D :: AE. AC; quare ex æqual. perturb. Pot. in K ($\frac{1}{2}q$) Pot. in D :: AE. CF :: (ob △la similia AED & CFD) AD

 CD:

CD :: $b.c-z$: unde Potentia sustinens pontem AC in D $= \frac{cq-qz}{2b}$.
Ex altera parte, dum grave P conatur descendere per Elem. curvæ PQ, velocitas ejus in perpendiculo est QN seu dy, & velocitas potentiæ sustinentis grave QO seu dz; ideoque, $dz.dy::p.\frac{pdy}{dz}$ = Pot. sust. grave P. = (per hyp.) Pot. sust. pontem AC $= \frac{cq-qz}{2b}$, hoc est, $2bpdy = cqdz - qzdz$, integrataque æquatione, $4bpy = 2cqz - qzz$.

2. *Aliter, sine differentialium calculo:* ACq + ADq − CDq = 2DAF, id est, $aa+bb-cc+2cz-zz = 2b$ in AF, id est (ob $cc = aa+bb$) AF $= \frac{2cz-zz}{2b}$. Ergo pondus pontis q in $\frac{1}{2}$AF, sive quantitas ascensus perpendicularis centri gravit. ejus $= \frac{2cqz}{4b} - \frac{qzz}{b}$. Quantitas vero descensus isochroni appositi gravis P est py; quare $py = \frac{2cqz-qzz}{4b}$, seu $4bpy = 2cqz - qzz$: ut antea.

Constr. Factis angulis rectis AHI & HIL, sic ut HI æquetur ipsi BD, IL vero sit longitudinis arbitrariæ, modo non excedat alterius semissem, describatur per puncta L & H Parabola LNH, cujus vertex L & axis IL. In hac sumptum sit quodvis punctum N, per quod transeant rectæ NM, NP, parallelæ ipsis HA, HI; factaque HG = HM, centro D radio DG arcus describatur GPO secans NP rectam in P. Erit punctum hoc in optata curva HQ. Grave P ei imponendum ad pontis pondus habet rationem compositam ex ratione DB ad duplam AD, & ejusdem DB duplam IL. Hinc grave P semper excedere debet semissem ponderis ipsius pontis. Dimidio vero potest minui, si in extremitate pontis C alia intelligatur trochlea, quam funis CD amplectatur.

HER-

HERMANNI WITSII EXERCITATIONUM ACAdemicarum Duodecas.

Ultrajecti, apud Guil. vande Water, A. 1694. in 8. Constat alphab. 2. plag. 2.

EXercitationem de *efficacia & utilitate Baptismi in electis fœderatorum parentum infantibus*, quam doctissimus Witsius A. 1693. evulgavit, in Actis nostris A. 1694. p. 90--92. late recensuimus. Eam vero nunc iterum offerri Eruditis indicamus, postquam aliarum simul Exercitationum fasciculum, in quo nonum ea locum occupat, Auctori placuit colligere. Et in eo quidem jucundam materiarum elegantium varietatem Lector deprehendet, cui jam brevissima earum enarratione ut inserviamus, nostrum institutum postulat. Primo videlicet omnium vexata illa quæstio duabus Dissertationibus excutitur: Utrum Jesu Christi Evangeliũ per Apostolos Apostolicosq; Viros primo nascentis Christianismi seculo ita in toto terrarum orbe prædicatum fuerit, ut nullæ gentes remanserint, ad quas non illius saltim fama penetrarit, ne *Americanis* quidem nationibus exceptis, & ignotis adhuc nobis, si qui sint, australis terræ incolis? Quam causam ita agit Noster, ut in Exercitatione *prima* singulas rationes, quas ab aliis ei confirmandæ adductas esse cognovit, studiose referat, & arte, quanta potuit, exornet; ast in *secunda* tamen fateatur, tanti istas haud videri, ut ab animo paulo difficiliori assensum impetrare queant: quapropter discursum illum priorem integrum ad calculos heic revocat, & argumentorum ibi allatorum examen accuratius instituit. In Exercitatione *tertia uxorem Loti* considerat, ejusque imprimis metamorphosin in salis statuam pro vera amplectendam probat, sententiam illam gravibus enervans rationibus, quam Jo. Clericus in dissertatione de statua salis Commentariis suis in Genesin subnexa defendere conatus est; dum nempe fœminam illam metu diriguisse, aut vapore sulphuris aut bituminis suffocatã in agro Sodomitico concidisse, persuasum sibi habuit. Exercitatione *quarta* περὶ τοῦ λόγου Noster disserit, quo nomine cum Joannes Apostolus Filium Dei aliquoties designet, ante omnia in fontem inquirit, undenam ille id depromserit? Ac neutiquam certe aut a Zoroastre, Pythagora, Platone, aut a Paraphrastis Chaldaicis, sed a Spiritu S. scriptisque Propheticis, sigillatim e Ps. XXXIII, 6

2. Sam. VII, 21. & Hagg. II, 5. 6. eum istud habuisse contendit; locum dehinc 1. Ioh. V, 7. tanquam genuinum prolixe vindicat; amplius idcirco Filium Dei λόγον appellari vult, quod, ut se habet sermo ad eum, qui loquitur, sic etiam is ad Deum sese habeat. Lucam denique & in Evangelio, cap. I. 2. & in Actis, cap. XX, 32. vocem hanc non alio sensu ac Johannem usurpasse, & utrobique Christum intellexisse statuit, sed a Paulo Hebr. IV, 12. per λόγον nonnisi Evangelii sermonem innui existimat. Exercitatione *quinta*, quæ de *Michaële* agit, hoc argumentum pertractat: quisnam ille sit, qui Michaëlis Archangeli nomine in sacris denotetur, an semper Dei filius, Jesus Christus, Angelus fœderis? an semper creatus aliquis angelus, princeps reliquorum? an denique in quibusdam locis Christus, in aliis creatus angelus? Ubi post uniuscujusque sententiæ latiorem deductionem, primæ tandem, ut quæ sibi vero simillima videatur, subscribit. Exercitatione *sexta*: quinam *Assyriorum* nomine in S. literis veniant? anquirit, & post alia in hunc modum concludit: quando in vaticiniis, quibus N. T. tempora describuntur, Assyriorum fiat mentio, eas gentes intelligi, quæ terræ olim ab Assyriis possessæ imperent, ac uti ob eam rationem & Babylonios, & Persas, & Seleucidas Græcos Assyrios nuncupari ostendit, ita isthoc nomine pariter Saracenos & Turcas, qui iis successerint, venire posse superaddit. Ex elegantissima illa Salomonis pericopa, quæ Eccles. XII, 1---7. habetur, *officium* pariter *juventutis* & *incommoda senectutis* in Exercitatione *septima* latius delineat, locutionesque sacri Scriptoris methaphoricas declarat. Inter cætera autem hæc verba: *dum non procul amovatur funis argenteus*, de nervorum contractione, quam senes patiantur; quassationem lenticulæ aureæ, de imbecillitate cerebri exponit. Per urceum ad fontem notari refert venas, quæ a jecore ceu fonte sanguinem hauriant; per fractionem autem urcei, cessantem usum venarum mesaraicarum; per puteum, cor; per rotam, venam cavam, quæ in dextrum cordis ventriculum sanguinem leniter immittat, & arteriam magnam, quæ ex sinistro cordis ventriculo emittat, unde continua oriatur circulatio, cui significandæ idoneum admodum emblema rotæ sit, cujus fractio cessationem συστολῆς καὶ διαστολῆς insinuet. Exercitatio *octava* vitam sistit *Timothei*, qui se Pauli frequentem in itinere comitem & diligentissimum

mum

num in Evangelio συνεργὸν exhibuit, quem uti accurato per omnia studio depingit, ita præcipue e numero Episcoporum Ecclesiæ Ephesinæ excludit, & per illum Ecclesiæ Ephesinæ Angelum, cui Epistolarum Apocalypticarum prima inscripta sit, signari penitus inficiatur. De *nona* dicere nunc quicquam amplius haud attinet. Residuæ tres prolixæ satis sunt, ac plus quam tertiam hujus voluminis partem solæ conficiunt. Singulæ autem in texenda *Hierosolimæ Historia* occupantur, quam ita pertractavit Auctor noster, ut in Exercitatione *decima* ab urbe Hierosolymorum condita usque ad excidium Babylonicum, in *undecima* ab urbe restituta ad excidium Romanum, in *duodecima* ab ipso hoc excidio ad nostra usque tempora progrediatur, ac denique sub finem e Jo. Cotovici, Icti Ultrajectini, qui sub labentis hujus seculi primordia curiosis Hierosolymam oculis lustravit, Itinerario A. 1619. edito accuratam urbis, uti nunc est, delineationem exhibeat.

HISTORIA COLLOQUII EMMENDINGENSIS ex genuinis documentis adornata a D. JO. FECHTIO.

Rostochii, typis & impensis Jac. Richelii, A. 1694. in 8.

Constat alphab. 2. plag. 15½.

DE Colloquio, quod A. 1590 Emmendingæ, in oppido Brisgojæ, religionis causa instituit Serenissimus Marchio Badensis Jacobus, Caroli filius secundogenitus, Lutheranis atque Pontificiis a die Junii tertio usque ad septimum septenis vicibus inter se congressis, eo quidem eventu, ut ad Pontificiam Ecclesiam Princeps transierit, pauca utique consignata habentur in literarum monumentis, adeo, ut nonnullos etiam eorum, qui res illius seculi ecclesiasticas data opera enarrandas susceperunt, profundo id silentio præteriisse animadvertamus. Solus Jo. Pistorius conscripta in laudem defuncti Principis oratione duplici, epistolis item de hoc Colloquio ad D. Pappum editis, res ejusdem, cui ipse tamen non interfuit, ita descripsit, ut magna inde in Jo. Pappum ac Lutheranos redundaret infamia, si vera essent, quæ is virulento calamo in chartam conjecit. Quod ipsum uti in Præfatione hujus, quod nobis jam sub manibus est, Operis observat Maxime Reverendus D. Fechtius, celebris hodie in Academia Rostochiensi Professor Theologus, Consistorii Ser. Duc. Megapolitanorum Assessor,

Ecclesiarumque in districtu Rostochiensi Superintendens; ita insimul miratur, cur projectam illam impudentiam nemo hactenus e Nostris ultus fuerit. Præterquam enim quod in Parallelorum dedicatione D. Pappus colloquii ex parte Lutheranorum innocentiam paucissimis verbis tueatur, nihil suis oculis oblatum asserit, quod vel opponeretur Georgio Hænlino & Joh. Pistorio, (quorum ille in suorum Parallelorum evulgatione, hic autem in posteriori ad Pappum epistola, quicquid ab hoc dictum habeamus, refellere conatus sit,) vel ipsius etiam colloquii ordinem & historiam quomodocunque panderet. Sibi proin eo magis incumbere existimavit, ut omne hoc negotium diligenter excuteret, reique non solum literariæ, sed & Ecclesiæ commodum hoc pacto promoveret. Multum autem ideo conqueritur, quod, cum ex archivo Durlacensi ea congerere præsidia allaboraret, quibus publicorum scriptorum vel suppleret vel solaretur defectum, belli expertus injuriam, thesaurum illum inæstimabilem flammis absumi viderit, suoque huic instituto non parvum poni obicem cognoverit. Dispersas tamen rates colligens, supellectile olim conquisita Lectori nihilosecius inservire voluit; nec est, cur ambigamus, gratissimam eidem fore isthanc operam, cum de singulis, quæ ad colloquii historiam percipiendam quis desideret, apta certe testimonia inibi reperiantur.

Telam etenim narrationis inchoatam vides ab instituti colloquii autore, Jacobo Marchione Badensi, cujus vita, eruditio, virtutes, in capite statim primo fusius celebrantur, & mox in Cap. II. disquiritur de eo, qui Principis animum ad religionem mutandam solicitaverit; ubi longius recedit Autor a Joh. Pistorio Niddano, Jacobi consiliario, qui eum divina gratia illuminatum Lutheranæ sectæ dolos persentiscere cœpisse adstruat. Potius namq; Pistorium ad mutandam religionem Principi facem primum prætulisse, Lutheranos ei reddidisse suspectos & exosos, ac tamdiu auribus ejus, donec obsequiosus esset, importunum molestumque assedisse, satis manifesto comprobat; ipsum deinceps hunc Pistorium in Cap. III. prolixius delineans, cujus sane virtutes non reticet, at e contrario taxat pudendam in religione levitatem, juxta quam a Lutheranis ad Calvinianos, ab his deinceps ad Pontificios sese contulerit; nec arrogantiam illius convitian-

tiandique libidinem, ac odium in Lutheranos Vatinianum dissimulat, ut adeo cuilibet religionis a Principe mutandæ ducem atque impulsorem eo melius pernoscere concessum sit. Cum autem jam A. 1589. institutum fuerit ad consiliū Pistorii Badense colloquium, advocatis ex Lutheranorū parte Tubinga D. Jac. Andreæ & D. Jac. Heerbrando, hinc Autor noster ejus mentionem in c. IV. injicit, utq; illud quatuor Sessionibus constiterit, sed antequā attingeretur principalis quæstio, abruptū fuerit, commemorat, ac de cætero id nonnisi ad qualemcunq; prætextum religioni mutandæ obducendum fecisse, latius demonstrat. Culpam interim præcipuam, quæ Jac. Andreæ objecta tunc sit a Pistorio & asseclis, in eo quæsitam superaddit, quod rationem disputandi dialectice parum ubivis attendere voluerit; unde & colloquii illius finiendi novique inchoandi occasionem sumtam in capite V. testatur. Huic habendo destinatam refert Emmendingam, quæ Marchionatus Hochburgici est metropolis, & eam dum in cap. VI. nominat, Ecclesiarum ad eundem districtum pertinentium una meminit, ac postea in cap. VII. eos recensere incipit, qui ipsi colloquio seu auscultantes seu sermocinantes interfuerint, Jac. Varnbühlerum, Consiliarium Principis, & supremum totius Marchionatus Præfectum; Georgium Hænlinum, Theologiæ Pontificiæ Doctorem, ejusdemque in Friburgensi Academia tunc Professorem publicum; Laur. Schyrium, Ernesti Friederici Marchionis Badensis Concionatorem aulicum & Gymnasii Durlacensis Rectorem; Jo. Nisæum, Pastorem & Superintendentem Emmendingensem; Hochbergicos denique Pastores junctim exhibens: Johannē vero Pappum, Theologum Argentoratensem Lutheranum, integro Cap. VIII, & Io. Zehenderum, Concionatorem Marchionis Jacobi aulicum, Lutheranum primum, sed post colloquium ad Pontificias partes similiter digressum, cap. IX. delineat. In cap. X. progreditur ad colloquii argumentum, quæstionem nempe de Ecclesia, ejusque perpetua in N. T. duratione, (unde ad Lutheranam facta subinde fuit excursio,) & heic, qua via Princeps ad hanc materiam proponendam fuerit inductus, uberius declarat. E Protocollis durante colloquio consignatis, quorum mentio in cap. XI. injicitur, istud imprimis celebrat, quod Schyrii manu exaratum, & in curia Durlacensi abs se re-

pertum

pertum ait, quodque integrum post historicam tractationem inserit. Hanc autem dum continuat, in cap. XII. formam & processum colloquii ita describit, ut totam illam disceptationem tumultuariam omnino, nec ad solidæ disputationis legem exactam, insuper in Lutheranos Principi oppositos multis modis iniquam, præcipitem denique ac inconsideratam fuisse, argumentis pluribus evincat. Non mirum proin videri asserit, quod ea eventum adeo adversum ex Lutheranorum parte nacta fuerit, quem una cum litis decisione a Zehendero præjecta memorat, deque horrenda cœli tempestate interim exorta judicium maxime moderatum ac prudens subnectit. Confecto igitur ad istum modum negotio, Pistorium existimasse ait, collecturum ita Principem: merito fugiendam esse ecclesiam, quæ similem ante se non habuerit; quæcunque vero ab Apostolis orta ad hæc usque tempora perpetuo duraverit, eam venire sequendam. Prius de Lutherana, posterius de Romana in colloquio ipsi fuisse persuasum. Sed noluisse tamen Principem heic acquiescere, quin potius ut omnem abs se removeret suspicionem levitatis, alios adhuc audivisse: quamobrem colloquiis finito Emmendingano a Principe quæsitis caput XIV. Auctor destinavit. Et quidem D. Pappum ante omnia excusat, quod rebus ita se habentibus novum suscipere colloquium abnuerit. Ægidii deinceps Hunnii confutationem thesium Pistorianarum Principi transmissam vindicat, tandemque Nisæum merito recusasse concertationem coram Pistorio vel Zehendero instituendam probat. In cap. XV. ipsum Principis ad Ecclesiam Pontificiorum transitum denuo considerat, causisque ejus genuinis enumeratis, spurias a Pistorio & asseclis defensas removet, sicuti & antea priorum pondus solide enervaverat; unde satis ait posse colligi, quam immerito hoc Principis institutum immensis pene laudibus prosequi Pistorius sustinuerit. Non suffecit interim solius Principis ad Romanenses accessus, sed Ecclesiæ etiam Marchionatus Hochbergensis eidem mox consecratæ sunt; quod ipsum quo pacto successerit, Autor in Cap. XVI. enarrat, negotiumque universum ex obitu Principis interveniente abruptum, & nuspiam Ecclesias Hochbergenses penitus sub jugum Pontificium missas, statim vero a Jacobi morte libertati plenissimæ redditas ostendit. Obitum denique ipsum in cap. XVII. & ultimo considerat, qui ei

ei post paucorum dierum decubitum d. 17. Augusti A. 1590. obtigerit, cum ante duos menses diesque duodecim vigesimum octavum ætatis annum superasset. Uti autem eos, qui iniquum quid in mortem Principis dixerunt, reprehensione dignos Autor omnino judicat: ita nondum satis probasse affirmat Pistorium, quod e veneno dato ipsi eadem obvenerit, productaq; illius de inspectis post mortem intestinis narratione, judicium, quod ex ea formavit D. Jo. Ernestus Schaperus, Medicinæ apud Rostochienses Professor, adjungit, e quo Lector intelligat, aliis longe causis adscribendam venire eam corporis conditionem, nec veneni accepti manifestum tunc apparuisse indicium. Appendicis in locum epistolas nonnullas, quæ susceptam a Principe religionis mutationem attingunt, tres videlicet Nysæi unamque M. Balth. Hochwarthi ad D. Pappum exaratas, & hactenus ineditas, unam item ipsiusmet Pappi ad Ernestum Fridericum, Marchionem Badensem, Cal. Martii A. 1591. scriptam, & suis Parallelis quondam in dedicationis vicem præmissam, exhibet.

Atque his ita percensitis, Protocollum, quod supra nominavimus, producit Autor, & illud quidem notis suis hinc inde illustratum: prout & accuratissimam doctrinæ orthodoxæ de perseverantia Ecclesiæ deductionem (quæ & quæstionem de Ecclesia ante Lutherum complectitur,) Germanico idiomate abs se conceptam interserit; habiti deinceps illius colloquii imaginem a Jo. Zehendero adumbratam solide redarguit, ac sub finem non literas modo Jacobi ad Argentoratenses pro adventu Pappi directas, sed Pappi etiam relationem sub ipsa colloquii initia Argentoratum Emmendinga missam, iterumque aliam post reditum coram Senatu expositam, cum Lectore curioso communicat.

CORPUS JURIS CANONICI, GREGORII XIII. P. M. jussu editum, a Petro Pithœo & Francisco fratre, Jurisconsultis, ad veteres codices manuscriptos restitutum & notis illustratum.

Lipsiæ, sumptibus Jo. Fr. Gleditschii, 1695. fol.
Constat 14 alph. 3 plag.

Constitutionum ecclesiasticarum systema *Juris Canonici* nomine venire, quod & *Pontificium* dicitur, & ex Scripturis sacris, ac sententiis priscorum Patrum, Conciliorumque decretis, & Pontificum sanctionibus conflatum, ab iisdem constitutum vel approbatum fuit, nemini ignotum est. Nec partes, quibus constat, sunt incognitæ: nempe Gratiani *Decretum*, Gregorii IX auctoritate quinque libris editæ *Decretales*; *sextus* earum liber Bonifacii IIX jussu collectus; *Clementinæ* a Clemente V congestæ, a Johanne XXII auctoritate publica donatæ, *Extravagantes* ejusdem Johannis opera promulgatæ, & *Communes* a diversis Pontificibus post sextum Decretalium editæ; quæ partes in unum corpus collectæ *Canonici Juris* titulo veniunt, sæpius hoc & superiori sæculo evulgati. Obsoletas ejus editiones præstat commemorare quam evolvere, deformibus litteris & ab usu hodierno remotis ingratas; quales sunt Moguntina, quæ anno 1472 prima post inventam typographicam artem publicam lucem adspexit; quam Veneti typi eodem sæculo decimo quinto labente tribus diversis vicibus expresserunt, annis 1474, 1479, 1493. Imitati hos sunt Parisienses anno 1508 & iterum 1522, qui Antonii etiam Democharis, Theologi Sorbonici, & Antonii Contii studio concinnatas postea tres diversis formis dederunt editiones, annis 1550, 1552, 1561. Totidem Lugdunenses dederunt: unam minorem septem voluminibus inclusam A. 1555, duas majores cum glossis A. 1559. Antverpiæ Plantiniani typi unam A. 1570 in lucem emiserunt. Post quæ tempora Gregorius XIII sedi Romanæ impositus, emendatius & excultum magis extare Corpus hoc cupiens, ante Pontificatum Bononiæ jus istud professus publice, deinde Cardinalis factus cum aliis correctoribus, a Pio IV & V selectis, plurima in eo postquam ipse emendasset, tandem axioma Pontificium adeptus, Gratiani decreto ad ipsos fontes exacto, & correctoribus ad universum Corpus lustrandum constitutis, (qua de re legenda doctissima Ant. Augustini *de emendatione Gratiani* commentatio, a celeberrimo Baluzio anno 1672 cum notis evulgata) Romæ anno 1582 quatuor tomis Corpus hoc excudi jussit. Quod deinceps diversis voluminum generibus, cum glossis & absque iisdem, Lugdunenses & Parisini typi (nam Gallia potissimum in eo excudendo se se-

se sedulam probavit) expresserunt, in Germania etiam recusum aliquoties.

Nitori tamen & cultui ejus cum deesse nonnulla animadverterent in Gallia viri docti, & in exemplaribus, quibus usi fuerant doctissimi Pithœani fratres, Antverpiano anni 1570, & Parisiensi anni 1587, multa eorum manu annotata, emendata & variis lectionibus distincta observassent; delata ea ad illustrem virum Claudium Peleterium, qui Petrum Pithœum proavum agnoscit, postquam ab ipso impetraverant Jo. Doujatius, Franc. Marcsius ac Antonius Brosius, publicæ luci & utilitati exponendas existimarunt, quibus exemplaria ista gaudebant, dotes. Quas accurate exposuit, & quæ monitu ductuque ipsius editioni huic accesserint, indicavit Jo. Doujatius Lib. V. Prænotionum Juris Canonici cap XXIII. p. 724. seq. Pulcherrima hæc & numeris omnibus absoluta editio, quæ Parisiis A. 1687 prodiit, memorata a nobis *in Supplementorum Sect. I. p. 23. seqq.* in Germania cum non prostaret, nec e Gallia accersere eam liceret; Bibliopola hujus urbis solertissimus consulendum iis ratus, qui desiderio ejus tenerentur, non minori venustate quam qua Parisinum exemplar gaudet, eam hic recudi fecit, ut in Germania non minus quam Gallia cupidis Canonici Juris satisfieret. Quia autem aliæ editiones *septimum* Decretalium epistolarum a Petro Matthæo congestum & anno 1590 evulgatum, nec non Jo. Pauli Lancelotti *Institutiones juris canonici*, anno 1563. quæ prodierunt, annexas Corpori habebant; nec has ejus particulas, etsi auctoritate pontificia non suffultas, negligendas duxit, sed operi subjecit; ut non modo editio hæc venustate cum Gallica certare, sed & integritate vincere eam dici possit.

RELATION DE L' EMPIRE DE MAROC,
h. e.

Relatio de Imperio Maroccano, Autore Dno. de S. Olon, Regis Gallici ad aulam Maroccanam Legato.

Parisiis apud viduam Mabre Cramoisy, 1695. in 12. Constat plag. 11. & figur. æneis 8.

Lectu tam jucundus hic libellus est, ut itinerariorũ scriptoribus non minus, quam eorundem lectoribus commendari mereatur. Ita enim styli concinnitate & rerum varietate oblectat legentem, ut instar esse possit iis, qui peregrinationum suarum memorabilia prolixo plerumque & fastidioso scribendi genere cum aliis communicant. Cæterum ipsa contenta ad duo capita reduci possunt, quorum prius præsentem Imperii Maroccani statum; posterius Gallicæ Legationis eventum exponit. Sub initium in compendio exhibet
p. 2. recentissimam Barbari hujus Imperii Historiam; quæ cum exacte conveniat cum iis, quæ Muetius anno 1683 tradidit, quæque copiose satis in ipsis his Actis anno 1684, p. 155 a nobis excerpta sunt, eo remittere curiosos lectores libitum est.

In sequentibus quatuor illa regna, ex quibus vastum hoc Imperium constat, ita describit, ut recentioris Geographiæ cultoribus omnino satisfaciat: quorum in gratiam sequentia, Autoris fide nixi, referre operæ pretium duximus.

p. 18. MAROCCANUM regnum subditorum, a decimo quinto ætatis anno tributa solventium, centum circiter millia, per vicos ambulatorios (non enim fixas ædes, sed vagabunda tentoria inhabitant)
p. 15. dispersa continet. *Maroc*, quæ urbium princeps est, ita a prisco splendore decrevit, indiesque decrescit magis, ut vix viginti quinque incolarum millia complectatur hodienum. Aurea illa poma,
p. 16 quæ Almanzoris Hispaniæ domitoris uxor primario hujus urbis templo, ostentandæ opulentiæ causa imposuisse, adhibitisque artibus magicis, certis Dæmonibus custodienda commisisse narratur, a mo-
.18. confer derno Rege absque sacrilegii metu ac pœna destructa sunt. *Maza-*
p. 136. *gan* ad oram maritimam, Baudrando oppidulum, Autori vero magna & splendida civitas dicta, Portugallis subest, qui copiosum ibi militem alere consueverunt.

p. 21. 25. FESSANUM regnum longe fertilius atque cultius, ter centena
p. 25. incolarum tributariorum millia laute satis sustentat. *Fez* non tantum regni cognominis, sed totius Imperii civitas primaria habetur.
p. 26. *Miquenez* urbecula duodecim milliaribus a metropoli remota, moderno Regi olim nativitatis, hactenus vero Imperatoriæ sedis locum
p. 28. præbuit. *Salé* piratarum latibulum, mediocrem portum, ædes vero rui-

ruinosas habet. *Alcassar* Sebastiani Portugalliæ Regis clade notabi-
lis fere in ruinis jacet. *Arzille* portum habet, sed levis momenti, qui p. 29.
defectus totius imperii littoribus communis est. *Ceuta*, *Melilla*, & ca- p. 13.
strum invictum *Pennon de los Velez* Hispanorum dominio adhuc sub- p. 31.
jiciuntur: *Larache* vero & *Mamorre* iisdem iterum extortæ sunt a p. 11.
Barbaris, prima quidem A. 1681, altera A. 1689. *Tanger* Portugallis p. 11.
primum, deinde Anglis concessa, sponte derelicta destructis muni- p. 11.
mentis, ad Mauros rediit. *Tetouan* Baudrando urbs munita, S. Olo- p. 11.
nio vero vicus audit.

SUSANUM regnum satis quidem exiguum, incolas tamen ha- p. 31.
bet in rebellionem proclives, qua ingeniorum ferocitate effecerunt, p. 32.
ut laxioribus, quam reliqui habenis regantur. *Illec* & *Tarudante* p. 32.
principales & satis copiosæ civitates sunt. Huc pertinet *S. Croix* p. 33.
celebre emporium ad littus maris Atlantici.

TAFFILETANUM regnum itidem angustis finibus contine- p. 33.
tur, nec nisi unicam eamque cognominem civitatem habet. Quia p. 35.
vero Taffiletani omnium Maurorum primi leges Alcorani recepis-
se creduntur, magni imprimis æstimantur a Rege, neque alium,
quam Regis filium, qui hoc tempore *Moulla Bensar* est, guberna- p. 33.
torem patiuntur.

A descriptione Regionis Autor progreditur ad *Religionem*.
Profitentur autem Mahometis errores, & in specie ad eam sectam ac-
cedunt, quam *Melich*, famosus Alcorani interpres condidit. Supre- p. 40.
mam rerum sacrarum curam gerit Muphty aliquis, qui tanta pollet
autoritate, ut ne quidem a Rege, qui alia potest omnia, ab officio re- p. 109.
moveri possit. Deum credunt; sed trinum in personis esse negant. p. 40.
Christum magnum Prophetam fuisse asserunt, non tamen crucifixum, p. 41.
sed substituto alio in cœlum elatum, rediturum aliquando in terram,
& per spatium quadraginta annorum victurum. Paradisum post p. 42.
hanc vitam expectant, in quo rivos melle, lacte & aqua rosacea flu-
entes, odores suavissimos ex ipsis etiam excrementis exhalaturos,
domos ex gemmis ac margaritis constructas, imprimis septuagenas
virgines æterno amore amplectendas singuli sibi promittunt. Præ- p. 42.
ter Alcoranum, libros Mosis, Psalmorum, & Evangeliorum ex men-
te Sergii intellectorum, pro divinis agnoscunt. Templa religiosissi- p. 48.
me

ſime colunt, adeo ut nec marito, qui paulo ante rem cum uxore ſua habuit, ingredi in ea conceſſum ſit, niſi antea aut totum corpus abluerit, aut ſequentia ſaltem verba pronuntiaverit: *non eſt Deus niſi unus, & Mahometh eſt nuncius ejus.* Infantes o-
p. 49 mnes, cujuscunque etiam religionis parentes habeant, ſi ante quintum ætatis annum moriantur, ſalvos fieri putant; ſi vero quinquennium illud excedant, non alia quam Mahometana fide ſalvari eos poſſe ſtatuunt: exceptis tamen virginibus incorruptis, quibus, etiamſi Chriſtianæ ſint, locum in Paradiſo conceſſum iri ſperant, ut ſcilicet numerus ſeptuagenarius ſupra commemoratus,
p. 53. tanto facilius adimpleatur: uxoribus autem nullam plane Paradiſi ſpem faciunt, utpote quas generationis tantum gratia creatas exiſti-
p. 50. mant. Chriſtianos tanto odio proſequuntur, ut idem ipſis, quod canibus, nomen imponant. Equos ex peregrinatione Meccana re-
p. 58. 59. duces ſanctos eſſe opinantur; e quibus unus a moderno Rege tanti habetur, ut quoties incedit, pediſſequum habeat mancipium Chriſtianum, quod caudam, quam ipſe Rex interdum oſculatur, devote attollit, & ſtercora equina ſumma cum cura colligit.

De moribus & conſuetudinibus Maurorum nuptialibus, exequialibus, conjugalibus, civilibus, multa quidem paſſim immiſcet Autor, etiam alicubi figuris æneis illuſtrat: quæ tamen cum aut nota ſatis ſint aliunde, aut non adeo magni momenti eſſe videantur, pauca notaſſe ſufficiet. Teſtium loco neminem admittunt, quem
p. 53. erecto corpore mingentem conſpexerunt; jubentibus Maurorum legibus, ut hoc naturæ opus incurvato corpore, fœminarum more fiat. Pluviarum injurias ridiculo modo evitare ſolent: cum enim libero in campo tecta ſubire nequeunt, veſtimenta omnia, etiam induſium, deponunt, iisq; ne madefiant, tamdiu incumbunt, donec tranſierit tempeſtas. Regnum Feſianum camelos producit, quorum quisq;
p. 23. ſingulis diebus toties decem milliaria abſolvit, quot dies poſt partum dormivit, ita ut ſi ſexto demum die evigelaverit, ſexaginta milliaria indies emetiri valeat.

Notatu digniora ſunt, quæ in ſequentibus de hodierno Mau-
p. 40. 60. rorum Imperatore traduntur. Nomen ipſi eſt *Moulla Iſmael*, an-
p. 65. numque ætatis agit quinquageſimum. Præter quatuor ejus uxores (plu-

(plures enim ducere vetant leges) quadringentas fere alit con-
cubinas, quibus quingentæ aliæ famulantur; ex quibus pater jam fa-
ctus est centum & octodecim masculorum, & ducentarum femella-
rum. Cujus matrem Rex omnium amavit intensissime, quique p. 66.
spem successionis præ reliquis habere videtur, vocatur *Mouley Zi-
dan*, viginti duos annos natus, & e tribus uxoribus jam octo libero- p. 61.
rum pater. Cæterum Rex animo tam est crudeli, ut intra viginti
quos regnavit annos, propemodum viginti hominum millia pro-
prio gladio interemisse censeatur: sane Autor noster, qui tamen ul-
tra tres septimanas in aula ejus non est commoratus, septem & qua-
draginta Regis manu cæsos numeravit. Præsagium talis lanienæ ve- p. 64.
stis crocea est, qua Rex haud facile induitur, nisi cum sanguinem
effundere decrevit. Interim tantum abest ut hac tyrannide subdito- p. 62.
rum animos reddat alienos, ut potius de simili morte sibi gratulen-
tur plerique, cum animas Regis manu expulsas, citra omnes ambages
recta via in Paradisum tendere persuasi sint. Thesaurum Regis, jam p. 105.
quinquaginta millionibus constantem, inutilem dicit Autor, imo plane
invisibilem: non enim in cistis repositus, sed in terram defossus est, &
ne quis subterraneum hoc gazophylacium prodat, eos e medio Rex
tollit, quorum opera auri & argenti illa vis terræ demandata est: unde
etiam mortuo Rege, is plerumque ex filiis rerum potitur, qui ab-
sconditas hasce divitias primus expiscari potest. De viribus belli- p. 117.
cis hujus Imperii ita judicat Autor, ut in casu necessitatis centum ho-
minum millia in aciem educi posse credat: classem vero nihil quic-
quam valere iterum iterumque asserit.

Altera libelli pars ipsius Legationis Historiam breviter expo- p. 72.
nit. Indigno autem plane modo hac in aula habentur Europæo-
rum Legati, quod sub hoc Rege expertus est Angliæ Legatus, quem
nonnisi nudis pedibus incedentem ad se admisit; cujus injuriæ vin-
dicandæ causa, ante hos duodecim annos, Legatus Maroccanus *Me-
hemeth Adou Ben Atar* iisdem & non aliis conditionibus in aulam p. 123.
Anglicanam receptus est. Sibi vero nihil tale evenisse jactitat S. O-
lonius, postquam demonstrata Regis Christianissimi præ reliquis
Europæ Regibus prærogativa, edocuisset Barbarum, quantum sci- p. 72.
licet distent æra lupinis. Prima vice ad audientiam admissus est die

11. Jun.

p. 153. 11. Jun. 1693 hora 11. antem. ubi quæ in mandatis habuit, nitidissima o-
p. 160. ratione p. 160. expressa exposuit. Aliam eamque valedictoriam,
p. 180 habuit die 19. Jun. quæ p. 180. exhibetur. Subjiciuntur Epistolæ ali-
p. 189. & quot, binæ Regis Maroccani ad Regem Galliæ; alia ejusdem ad S.
204. Olonium; alia S. Olonii ad Regem Maroccanum; alia Ministri Maro-
p. 195. cani ad S. Olonium, & ultima ab eodem ad Pontchartrainium data.
p. 199. Hujus Legationis causa, si quidem vera sunt quæ Autor tradit, non
p. 208. alia fuit, quam ut mancipia quædam Christiana in libertatem restitu-
p. 213. erentur; quod cum renueret Barbarus, nec majoris momenti negotia
commissa fuisse indignaretur, nullum Legationis suæ fructum fuisse
sub finem libelli conqueritur.

RELATION VERITABLE DE LA GUERISON MIraculeuse de Marie Maillard.

i. e.

Relatio vera curationis miraculosæ Mariæ Maillard, quæ fuerat clauda fere a nativitate sua, factæ die 26. Nov. A. 1693 styl. vet.

Amstelod. apud Paulum Marelt, 1694 in 12. Plag. 3.

DUo hocce libello exacta videas, historiam mirabilem curatæ miraculose puellæ XIII annorum, claudæ a nativitate fere, & judicium super hunc casum, quo asseritur, quod fuerit miraculose curata. Historia hæc est:

Maria Maillard, filia Johannis Maillard, politoris armorum, & Charlottæ Dognon, nata Conaci in Engolismensi ditione A. 1680, d. 15 Septembr. vix annum habens, observata a parentibus claudicare, cum cavitate circa coxendicem sinistram, ubi os femoris coxæ inarticulatur. Frustra consulto chirurgo, & morbo incurabili habito, non cogitatum amplius de quærendo remedio; unde crescente ætate, increvit quoque malum, adeo, ut ingens tumor oriretur supra cavitatem ischii. Inter hæc crus decurtari ultra quatuor uncias, inflari genu, intorqueri pes, ut tali malleolus interior fere plantæ pedis locum obtineret. Urgente persecutione Protestantium, parentes fugam capessentes cum hac sua filia primum Lausannam, hinc

hinc in Germaniam, tandem in Angliam venere, ante quatuor circiter & dimidium annos. His itineribus deterioratus morbus, ut indies magis claudicaret, & inter eundum corpus ab uno latere in alterum vacillaret; quodque pessimum erat, vehementissimos sentiebat dolores, ob gressum tam deformem in ludibrium cedens publicum puerorum.

Ante duos annos chirurgus miserorum exulum *Debat* vocatus, ut malum inviseret, judicavit incurabile, matri solum suadens inunctionem quorundam oleorum, ad demulcendos dolores, citra tamen effectum ullum, ut desperarent parentes de humana ope. Et hic status fuit fere ad diem 26 Nov. A. 1693. Hoc ipso die a meridie templum Gallicanæ Ecclesiæ petit, unde redux solitos experitur malitiosæ juventutis sarcasmos, prosecutiones, cœnique injectus, donec ad heram suam *De Laulan*, apud quam interpretem agebat, rediret in fletus effusa, ab eadem vero solatio erecta.

Post horam septimam vespertinam arripit Nov. Testamentum, in quo legens Marci caput secundũ, mirata incredulitatem Judæorum, *si idem hodie contingeret*, inquit ad heram (loquens de sanato paralytico) *ego illuc advolavero, idemque credidero.* Vix effata hæc, facibus dolorum accensis, cogitur crus extendere, & cum censuram incurreret heræ, esse id contra bonos mores, retractura pedem sentit crepitare os, crus sponte extendi, situm pedis & genu reddi naturalem, cessare dolorem, unaque audire sibi videtur vocem: *sanata es.* Hinc progredi facile novit, pede sinistro non minus quam dextro rite conformato, ut ut aliqua adhuc cum debilitate.

Judicium tum Auctoris in ipsa relatione, tum in epistola annexa D. *Wetwood*, illuc tendit, non curatam nisi per miraculum, & immediate per virtutem divinam, quia clauda prius, mille testibus curata simul & semel, dictum factum, citra ullam deligationem, citra quietem ac decubitũ, (alias in curatione ordinaria, & ipsa tamen difficillima, ad duas tresve hebdomadas necessaria) sublato malo inveterato, incurabili & desperato, quod XII integros annos duraverat, sine ullo humano præsidio. Diluuntur etiam objectiones; quibus addi potest, an non obortus dolor urgens extensionem, necessariam ad restitu-

tionem articuli in suum acetabulum, facilitaverit reditum in suum locum: sed num illa quicquam in contrarium probet, ob moram tam longam, ob diducta ligamenta, atque alia, Lectorum esto judicium. Annectuntur sub finem testimonia jurata, singula hæc plenius & uberius conceptis verbis confirmantia.

INSTITUTIONUM THEOLOGICARUM LIBRI DUO. Priore Credenda seu actiones fidei, posteriore Agenda seu moralia, una cum usu practico atq; experimentali, e S. Scriptura demonstrantur, notisque illustrantur a JOACH. BREITHAUPT, S. Th. D. P. P. Semin. Theolog. Direct. Consil. Consist. Ducat. Magdeb.

Halæ sumtibus Joh. Frid. Zeitleri, 1695 in 8. Constat duobus propemodum Alphab.

CUm Autor libri venerandus ex Erfurtensi Academia, ubi S. Theologiæ Professorem & Ministerii Ecclesiastici A. Confessioni addicti Seniorem & Inspectorem fidelissimum egerat, ante hos tres annos in novam Academiam Fridericiam seu Halensem evocatus esset; præter cætera id sibi negotii datum intellexit, ut juventus studiosa ad omne officii ecclesiastici genus instrueretur. Quapropter doctrinam Christianam ex verbo Dei in Analogicam Epitomen redigere instituit: ut qui ad ministerium ecclesiasticum aliquando suscipiendum, in Academia præparandi essent juvenes, haberent quandam ὑποτύπωσιν τῶν ὑγιαινόντων λόγων, adeoq; mature recte de rebus divinis sentire & loqui adsuescerent. Duces, quos hac in parte secutus est exercitatissimos, nominat *Lutherum*, *Melanchthonem* & *Martinum Chemnitium*, adhibitis subinde librorum Ecclesiæ Lutheranæ symbolicorum testimoniis, quibus assertiones suas vel illustrat, vel confirmat. Sed cum Theologia Christiana sit practica, vel ut B. Chemnitius loquitur, magis in effectu, quam in *cognitione* consistat, operis *Johannis Arndii de vero Christianismo* usum in praxi Christiana simul ostendit. In *primo* ergo Institutionum laudatarum libro *credenda*, seu articulos fidei plana & perspicua methodo proponit & adstruit: in *secundo agenda*, hoc est, Theologiam moralem, seu officia & virtutes Christianas tra-

dat:

ctat. His subjungit velut appendicis loco *tertium* librum complectentem Theologiam hermeneutico-homileticam, seu præcepta interpretandi, ex D. *Augustini de Doctrina Christiana libris IV* conquisita, quos illustrat atque ad usum ecclesiasticum accommodat; ut nihil adeo desit studioso Theologiæ, quo se Ecclesiæ ministerio præparare queat.

BARTHOLOMÆI LEONHARDI SVENDENDÖRFFERI, Antecessoris Lipsiensis, Tractatio Theoretico-Practica de ACTIONIBUS SUCCESSORIIS.

Lipsiæ apud viduam Georgii Henrici Frommanni, 1695, in 4to.
Constat 2. Alphab. & 8. plag.

IN concinnando absoluto actionum forensium Systemate, cujus duæ priores partes in Actis 1685 pag. 129 & 1688 pag. 83 recensitæ prostant, strenue pergit Autor Magnificus, ac tertiam partem publici juris facit. Substiterat ille hactenus circa actiones Confessorias & Negatorias, quæ ex servitutibus aliisque juribus, secundum fori moderni usum ad hanc sectam pertinentibus promanant; justo nunc ordine sequuntur *Actiones Successoriæ* æmula cum prioribus methodo, ejusdemque ubertate ac perspicuitate tali successu elaboratæ, ut casus successionis jus sive directe sive indirecte respiciens dari vix ullus queat, cujus scaturigines ac fontes hoc in tractatu, doctrinæ causa in duas partes dispertito, non limpidissime aperiantur.

PRIOR PARS generalia primum & ambitum hujus argumenti amplissimum per definitiones, divisiones & universam causarum seriem scite delineat. Accingit se deinde Consultissimus Autor, ad ea, quæ compendiarie & in nuce quasi exhibuerat, separatim demonstranda; membraque singula speciali interpretatione tam theoretica quam practica per libellorum sententiarumque formulas accuratissimas exornat. Et in solidum quidem priori huic parti dehinc cedunt Actiones successoriæ REALES, quarum explanatio tribus membris distinguitur. Primum ex his Actionis Successoriæ Realis momenta generalia methodo consueta exponit; duo reliqua membra ad primariam actionum istarum divisionem semet referunt, prout vel Possessoriæ sunt, vel Petitoriæ. Hac igitur ratione secundum membrum

brum seorsim recenset Actiones Successorias Reales Possessorias, ubi præmissa expositione theoretica generali, quinque articuli subsequuntur totidem species Actionum Possessoriarum distincte exhibentes, quales sunt Actio ex L.f.C.de Edicto D.Hadr.toll. Actio Quorum Bonorum, Actio quod Legatorum, Actio Salviana & Actio ne vis fiat ei, qui in possessionem miss. (in quantum videlicet hæ duæ posteriores actiones juri hæreditario subserviunt.) Tertium membrum, quod Actiones Successoriæ Reales Petitoriæ constituunt, prioribus multo robustius deprehendimus. Circa illud etenim, præter interpretationem theoreticam generalem, septem sectiones conspicuæ sunt. Singulæ harum sectionum singulare Actionis Petitoriæ genus exhibent, quod ubi rursus per certa capita secundum theoreticas visiones plene excussum est, subjiciuntur protinus exempla seu actiones speciales in distinctis articulis more solito declaratæ.

Sub hoc ordine in Sectione I. sistitur Hæreditatis Petitio, integra decade actionum specialium stipata; pertinent quippe ad eandem Hæreditatis petitio testamentaria directa, Fideicommissaria hæreditatis petitio, Hæreditatis legitimæ petitio, Querela inofficiosi testamenti, Querela nullitatis, Querela falsi testamenti, Querela rupti testamenti, Querela testamenti deserti, coacti, revocati. Sectio II. exhibet Possessoriam Hæreditatis Petitionem ex jure prætorio promanantem, circa quam illæ tantummodo adnotantur actiones, quæ post insignem juris hujus successorii mutationem in foro nostro adhuc usum sibi vindicant. Seliguntur hanc ob causam quatuor actiones seu petitiones, quæ ad Bonorum Possessiones contra tabulas, secundum tabulas, ex Edicto unde liberi & ex Edicto unde vir & uxor, semet referunt. Sectio III. explanat octo actiones, quæ sub Hæreditatis Petitionis utilis genere collocantur, & ex causa hæreditario titulo admodum conformi, jure Communi æque ac Particulari seu Saxonico obstetricante, natales suos deducunt. His Petitionibus Hæreditatem emtam, Hæreditatem ab extraneo de facto venditam, bona absentis præsumtive viventis, Hæreditatem absenti delatam, Heergewettam, Geradam persequi solemus. Cum his ipsis actionibus intuitu originis ac indolis affinitatem quandam contrahere videntur, quæ in subsequenti Sectione IV. sub genere

genere Hereditatis Petitionis Irregularis itidem sub numero octonario proponuntur actiones, ut sunt Petitio hæreditatis maritalis, hæreditatis uxoriæ (ex jure Saxonico promanans) Petitio hæreditatis Illustrium (ex pacto Confraternitatis) Petitio hæreditatis Ganerbicæ, Petitio hæreditatis militaris (ex l. 19. C. de Pactis) Petitio hæreditatis conjugalis (ex pactis dotalibus) Petitio hæreditatis ex unione prolium, Petitio fiscalis hæreditatis.

Et sic tantisper transmissæ sunt illæ Actiones Successoriæ Reales Petitoriæ, quæ juri universali hæreditario aut conformi quadantenus juri ceu fundamento innituntur, quæque adeo intuitu objecti, aut juris aut ad minimum rerum universitatem concernunt. Quæ supersunt Sectiones disparis generis actiones sub se continent. Quamvis enim & istæ occasione successionis semet exserant; loco tamen objecti res singulares afficiunt, & pro fundamento non jus quoddam universale agnoscunt, sed jus singulare, ut dominium, servitutem aut pignus; quamobrem sub Actione Successoria Reali Petitoria Speciali ceu genere stare tenentur. Postquam ergo in Sectione V. momenta communia, quæ circa hocce Actionis genus observare ordo & methodus jubet, curate explanata sunt; subjiciuntur illico actiones ex Dominii jure successionis negotium instruentes, ut sunt Vindicatio Falcidiæ, Vindicatio Trebellianicæ, Vindicatio Legati, Fideicommissi, Donati mortis causa, Actio Successoria Publiciana. Sectio VI duabus actionibus contenta est ex Servitutis jure oriundis, Actione videlicet Confessoria Successoria (quando in testamento servitus est constituta) & Actione Negatoria Successoria (si tali modo remissa est servitus antehac valide constituta.) Pignoratitiæ Actiones, in quantum hæredibus aliisque successoribus opitulantur, postremam Sectionem VII occupant, post theoreticam interpretationem, in sex articulis sub his nominibus propositæ, Actio hypothecaria testamentaria (si quando expressa hypotheca in testamento constituta est) Actio hypothecaria pro Legitima (si certum legitimæ quantum liberi ex conventione speciali obtinuerunt) Actio hypothecaria pro Trebellianica, pro Legato, pro Fideicommisso, pro Donatione mortis causa. Et hæc de priore parte hujus tractatus.

POSTERIOR PARS in tria iterum membra divisa Actiones Successorias PERSONALES exhibet, eodem quo REALES ordine ac methodo elaboratas. Primum etenim membrum, perinde ut in anteriore parte, momenta communia actionis hujus personalis explanat. Duo reliqua membra species divisionis illius facile primariæ, secundū quam actiones vel Possessoriæ vel Petitoriæ esse perhibentur, identidem inter se partiuntur; ut adeo Membro Secundo Actiones Successoriæ Personales Possessoriæ; Petitoriæ vero Membro Tertio cedant. Quo tenuior autem Actionum possessoriarum numerus compareт; siquidem tres tantummodo actiones hujus generis edere licet, ut Actionem de tabulis exhibendis, Condictionem possessionis rei successoriæ indebite solutæ, Postulationem immissionis in possessionem legatorum servandorum causa; eo locupletiorem censum Actiones Petitoriæ peragunt, dum per quatuordecim titulos late sese extendunt. Quas actiones ex tot titulis viritim evocare cum prolixum nimis foret, hinc easdem catervatim perlustrare juvabit. In fronte collocatæ conspiciuntur Actiones Præparatoriæ & quæ singularis indolis ac roboris esse videntur, ut Actio successoria exhibitoria, Postulatio aditionis hæreditatis fideicommissariæ, Querela inofficiosæ divisionis, Querela inofficiosæ donationis, dotationis, dotis, donationis propter nuptias, Actio Expletoria, cujus postremæ actionis natales & qualitates singulari cum cura excutiuntur. Medio in agmine incedunt Actio Legati & dandi & faciendi, Actio fideicommissi epistolaris, Actio fideicommissi conventionalis, Actio Falcidiæ, Trebellianicæ &c. Has sequuntur Actiones Familiæ erciscundæ & Communi dividundo tam directæ, quam utiles, quibus dehinc se proxime jungunt Petitiones Cautionum ex variis causarū figuris resultantes, v. gr. Petitio cautionis fideicommissariæ, Petitio cautionis ob substitutionem præstandæ, Petitio cautionis usufructuariæ, Petitio cautionis ob Falcidiam, & quæ adhuc sunt aliæ. In titulis postremis locum sortiuntur Actiones pœnales jus successionis respicientes, ut sunt Actio injuriarum æstimatoria (ob injuriam defuncto illatam) Actio legati ad pias causas mixta, Actio expilatæ hæreditatis, Actio sepulchri violati. His succedunt Actiones successoriæ apparentes, quæ successoribus non directo ex jure

jure successionis, sed ex alia causa competunt. Ex istarum numero bis septenario nominasse sufficiet Actionem stipulationis fideicommissariæ, Actionem stipulationis Mutianæ, Condictionem ex L. ad inæqualem divisionē reformandam. Condictionem ex L. ad Collationem, Condictionem non retentæ Falcidiæ, aut Trebellianicæ non retentæ. Ultimo prorsus loco seu titulo commemorantur Actiones ad interesse ob interversam successionem competentes, & ad triplicem casum specialius directæ: Talis etenim læsio infligitur, si quis vel alterum testari prohibuerit, vel factum testamentum mutare impediverit, aut alio modo structuræ testamenti dolose obstiterit.

Et hæc adeo fuerunt, quæ de Actionibus Successoriis tam REALIBUS, quam PERSONALIBUS, ex utraque parte accuratissimi hujus tractatus in medium proferre visum nobis fuit. Id tamen adhuc advertere par est, locupletissimum istum actionum successoriarum censum multo amœniorem reddere Quæstiones controversas locis competentibus motas ac perspicue & nervose decisas. Numerus earundem ex utraque parte contractus ad octo supra centum excrescit; ex qua uberrima messe decem tantisper controversias ceu decimas vindicare nobis integrum erit. Utque constet insimul, quam sententiam Celeberrimus Autor voto suo condecoraverit, circa singulas quæstiones eandem simplicis verbi nota adjiciemus. Sic quæritur, an relicto Petitorio possit institui Possessorium, & vice versa? Aff. p. 14. An in hæredem transmittatur actio propter turbatam possessionem? Aff. p. 32. An legatario competat actio ex L. fin. C. de Edict. D. Hadr. Toll.? Neg. p. 39. An emptori hæreditatis competat jus accrescendi? Neg. p. 138. An fisco ratione geradæ obstet præscriptio annalis? Aff. p. 155. An geradæ relictio in ultima voluntate facta valeat respectu fisci? Aff. p. 155. An vi unionis prolium hæreditas liberorum pertineat ad parentes unientes? Neg. p. 176. An pro parentum legitima detur hypotheca tacita? Neg. p. 214. An actio personalis recte dicatur petitoria? Aff. p. 246. An Actio expletoria sit species quærelæ inofficiosi? Neg. p. 273.

Exer-

EXERCITATIONES DE LINGUA PRIMÆVA ejusq; appendicibus, Auctore STEPHANO MORINO S. Theol. D. Ling. Orient. Professore & Ecclesiæ Gallo-Belgicæ Pastore Amstel.

Ultrajecti apud Guilielmum Brodelet, 1694, in 4. Constat 2 Alph. & 13 plagulis.

CUm sacer codex Hebræus scripta quævis alia tanto post se relinquat spatio, quanto solent divina humana; majorem quoque iis semper philologorum curam ac studium merito est expertus, qui, si sub antiquitatum involucris quicquam ad intimiorem ejus crisin faciens latuerit, id diu noctuque egerunt, ut suis erutum sedibus luci sisteretur publicæ. Quod tamen licet ab omnibus conatu pari, dispari tamen factum est fine. Siquidem multis ideo maxime hac in re operosiores esse placuit, ut hodiernas, quibus Biblia imprimuntur literas, non Hebraicas sed Chaldaicas esse demonstrent; contra alii diversum tenentes, nullam Hebraicarum cum Chaldaicis literis accidisse permutationem, omnibus modis ostendunt. Puncta pariter & accentus quod attinet, de iis non minus ὀρθοῖς τοῖς δόρασι καὶ κεκλιμένοις hactenus fuit dimicatum: his recentia ea esse novaque Masoretharum Tiberiensium inventa, acriter defendentibus; iis pro punctorum authoritate tanquam pro aris & focis mascule pugnantibus. In hac eadem arena lacertos movere placuit Cl. Authori, cujus ut docte elaboratum scriptum nunc recenseamus, nos accingimus: hunc enim unicum sibi in eo scopum præfixit, ut ostendat, quid de punctis juxta ac literis Hebræorum statui optime posse autumet. Et quia generalia ad accuratiorem specialium notitiam plurimum conducunt, ante omnia ea præmittit, quæ ratione naturæ & bonæ methodi necessario præmittenda ratus est, toto opere in tres partes diviso.

In parte prima linguas in genere tractans, enarratis quibus dignum habuit loquelæ organum encomiis, disquirit an sermo brutis sit attribuendus? Hanc quæstionem ut eo commodius solvat, varia prius, quæ irrationalium evincere videntur potentiam sermocinandi, enodanda sumit. Constat enim extitisse qui animalium rationis

tionis usu carentium colloquia intellexerint, Tiresiam & Apollonium Tyanæum, ac psittacos aliaque animantia homines loquendo imitari. Postea negative sententiam fert, non brutis, quia ratione sunt destituta, sed soli homini sermonem ceu proprium aliquod competere. Ast cum hic, eximium licet Dei donum, impar tamen rebus humanis ab oblivione vindicandis sit, cum ex ore emissus per auram volitet, ne vestigium quidem sui relinquens: proinde scribendi artificium, quo curiose inventa sua cum posteris communicare possent, homines excogitasse. Scripturæ porro diversas species omnes generali divisione, ut vel literis, vel figuris hieroglyphicis ad sacras res consignandas a variis populis adhibitis fiant, Author complectitur. Initio ab Ægyptiis facto totam percurrit antiquitatem, ostendens quibus potissimum gentibus usus scripturæ hieroglyphicæ familiaris fuerit: memorando Scythas veteres ac Indos, Mexicanos item, & in Europa Scotos. Sic & diversos nationum modos in adornandis literis non hieroglyphicis recenset, Sinensium scilicet & Tartarorum ab apice chartæ ad imum, (qui mos scribendi a Græcis *tapocon* dictus apud incolas Tapobranæ insulæ quoque viguerit,) Mexiquensium adversa serie ab imis ad summa literas ducentium, Ebræorumque qui cum maxima Orientis parte a dextra ad sinistram scribunt, eo superaddito qui a cypsela nomen accepit. Nec reticet, quem ob scribendi characteres alteri præferendum esse populum putet. Mexiquensium literas omnium dicit ineptissimas, meliores Sinensium, Japonensium & Tartarorum habet, quamvis in his quoque multa desiderari autumat. Inter Orientales in genere & Occidentales si de arte literas formandi disputetur, non dubitat Orientalibus palmam tradere; quippe quibus tota semper charta ad scribendum pateat, secus ac Occidentalibus, quorum manus inepte retrogrediatur, calamus vero locum, ubi litera est collocanda, occultet. Præ hieroglyphicis demum cæteras literas eligit, iis clariores, faciliores & expeditiores. His ita ventilatis quæstio annectitur, an homini aliqua sit naturalis lingua? Quod negat, probatque omnes vel extraordinario Dei dono oriri, ut Hebræam, vel consuetudine & labore addisci: proinde non insita quadam ratione vocabula esse significantia, sed solius institutionis beneficio, adeoq;

M nec

nec infauſta debere exiſtimari nec fauſta, cum nullam ad ullos reales effectus producendos vim habeant. Inter tot tamen linguarum genera quoniam primum aliquod reliquorum principium eſt agnoſcendum, meretur disquiri, an illud adhuc ſuperſtes manſerit? Author monens, linguam vel in quotidiano uſu ſupereſſe, vel in libris & monumentis, priori quidem modo linguam primam ceſſaſſe reſpondet, ſed non poſteriori. Cui ſententiæ cum Hugo Grotius imprimis & P.D. Huetius adverſentur, placita ſua non minus docte probat, quam adverſus contrarias objectiones defendit, ad ipſam Eberi linguam tranſitionem faciens. Eam ſtatuit Hebraicam fuiſſe, non tantum ideo quod ab ipſo Ebero denominationem acceperit, ſed & quia in ejus familia ſemper floruit, ejusque & filiorum Hebraica ſunt nomina. Ebræam a Chananæa diverſam eſſe linguam aſſerit. Phœnices vero quod attinet, qui in ſubſidium vocantur, quando Cappellus, Bochartus &c. Ebraicam cum Chananæa eandem fuiſſe probare volunt, non tantum ſex validis rationibus Chananæos a Phœnicibus diverſum eſſe populum evincit, ſed & contraria argumenta quævis refellit. Ultimo primam hanc partem enarratione inſigniorum prærogativarum, quibus Hebræa præ aliis linguis ſuperbit, concludit.

In parte ſecunda de Literis acturus, monet ordine retrogrado in primos quarumvis authores inquirendum eſſe, experimento in Gothis Ulphilam, Germanis ac Gallis Latinos, Latinis Græcos, Græcisque ipſis Cadmum Phœnicem ſcripturæ ſuæ inventorem agnoſcentibus, facto. Inficias quidem iri non poteſt, ab aliis alias de literatura Græca foveri ſententias. Tacitus enim refert, quosdam Cecropi Athenienſi, nonnullos Lino Thebano, aut Palamedi Argivo priores ſedecim tribuere, Simonidiq; reliquas. Sed luculenter ſatis Morinus monſtrat, Palamedem æque ac Linum Thebanum Græcis literis ætate recentiorem eſſe; Cecropem vero Athenienſem, utut Cadmo coævum, rem tamen tanti momenti excogitaſſe non debere prædicari, cum Ægyptus ipſa, e qua Cecrops fuerit oriundus, artium & literarum primatum lubenter Phœniciæ cedat. Hinc difficultatibus, quæ de ſuperadditis Cadmeo alphabeto literis moventur, ſuperatis, Phœnicum diſcutit literaturam, oſtendens eos a Chananæis (quibus Hebræa ceu

materna

materna lingua non competit) diversum esse populum. Samaritanos vero, origine Cuthæos, Ebræorum genuinos characteres usurpasse & cum cura conservasse, cum moribus victorum non convenire putat; quippe qui victis potius dant leges & vivendi rationes præscribunt, quam ut superatorum sese genio accommodent; ingenue tamen confitetur, nihil certi de vera literarum Phœniciarum figura statui posse. Ita in Samaritanas literas inquirendi occasionem nactus Author, Cuthæorum, Israelitarum in regione Samariæ successorum historiam succincte contexit, affirmans eos mores, ritus, ac suos scribendi characteres retinuisse, nec ut illos mutarent, ulla ratione adduci potuisse. Insuper literas Cuthæorum a priscis Chaldaicis formatas sentit, & quis olim Chaldaicarum conspectus fuerit, a Samaritanis disci debere; idque confirmari, si diversa Chaldæorum dicta alphabeta conferantur, præsertim Estrangelum propius reliquis ad typos Samaritanorum accedens. Ad Hieronymi Eusebiique authoritatem, quæ pluris in hac controversia æstimari solet, respondet, neutrum linguam Samaritanam calluisse, fraudes simul detegens Judæi istius, a quo quartus Esdræ liber compilatus est, quæ res multis errandi occasionem præbuerit. Hanc de literis Samaritanis, eas non genuinas Hebraicas esse, prolatam sententiam porro ipsomet Pentateucho Samaritano stabilit, qui a textu Hebræo descriptus ab eo tamen in multis differt, ita ratiocinatus: *Si maxima pars illarum diversitatum orta perhibeatur a Samaritanarum literarum similitudine, constabit a Samaritano exemplari literisque Samaritanis exarato ab initio, prodiisse hodiernos Samaritanorum Pentateuchos; sed si contra a similitudine hodiernarum literarum orta sit, adhuc clarius constare debet, ab exemplari literis illis exarato suum ortum duxisse Pentateuchos Samaritanos.* Ante vero quam hoc applicet argumentum, dignitatem Hebræi codicis firmat, imprimis inde, quod is integritatem suam incolumem per tot seculorum decursus servaverit, secus ac Samaritanus; ne dicam Judæos in codicibus suis exarandis incomparabilem diligentiam adhibuisse, quod de Samaritanis non constat. Tunc satis perspicue monstrat, in alphabeto Samaritano quamvis simillima sint ב & ר, י & צ &c. nullas tamen ideo inter describendum varias lectiones subortas esse;

aliud vero apparebit, si Hebræus curatius pensitetur codex, cujus sibi similes literæ ferme innumeram variarum lectionum copiam sint enixæ, signo infallibili, non Samaritanum exemplar Hæbræum, sed hoc illud antecessisse. Quibus in sequentibus, ubi versionis Græcæ, vulgatæ Latinæ, & Chaldaicarum paraphrasium discrepantiæ annotantur, deductis, Achilleum tandem adversus literas Hebraicas visum argumentum, quod a nummis pro Samaritanæ literaturæ antiquitate peti solet, in aciem producit & refutat. Monet enim, maxime peccari, si quis eo seductus recentiores esse credat Hebræorum literas; cum multi ex his numinis ita sint comparati, ut nihil ad præsentem statum faciens inde colligi possit, idq; ideo, quod nullam temporis aut loci circumstantiam annotatam habeant. Liberalius vero agens utut concedat, memorata numismata initio captivitatis Babylonicæ formata fuisse, sine detrimento tamen literarum Hebraicarum id fore, cum Cuthæos habeant authores, qui non ejectorum Israelitarum lingua, sed sua nummos cudi fecerint. Ad præcipuum, quod jam dictis maxime obstare videtur, inscriptionem habere, *Siclus Israelis*, non Cuthæorum, respondet a victoribus in debellatas regiones missas colonias non semper ita prævaluisse, ut nomen victæ gentis continuo aboleverint; quin potius gavisos fuisse plerumque in bello superiores, celeberrima olim nomina in victoriæ impetratæ monumentum conservare, quod plurima a Romanis occupata loca probent, quæ nihilominus sua nomina retinuerint. Ulterius cum objicitur, Hierosolymam sanctam huic monetæ insculpi tamen non potuisse, si alia quam Hebræa fuisset, reponit dispersas hinc inde Israelitarum reliquias, quarum erat siclos in animarum redemtionem solvere & varia oblationum genera Hierosolymam deferre, hos habuisse siclos, Judaicis quidem figura pariter ac pretio similes, literarum vero genere dissimiles. Ad mannæ urnam & Aronis virgã pristina tempora referentes regerit, a posteris primum in præteritorum memoriam insculpi potuisse; insuper nec opus esse, ut ante captivitatem Babylonicam hæc moneta formata dicatur. Siclos, postquam de modo pristino monetas cudendi disseruit, non habet duplicis generis, sancti & profani, sed unius: verbaque Exod. 30. v. 13 מחצית השקל בשקל הקדש de pretio, quod justum

ſtum eſſe debuerit, explicat: ut adeo totum pro duplici charactere Hebræo, ſancto & civili, fundamentum corruat. Tandem varias nummorum inſcriptiones ex Vilalpando, Waſero & aliis adductas evolvit, monſtrans ad rejiciendam adverſariorum ſententiam vel hoc ſufficere, quod horum numiſmatum literæ prima quidem fronte aliquam Samaritanarum præ ſe ferre videantur ſimilitudinem, ita tamen a ſe invicem & iis differant, ut plura fingere alphabeta, Vaticanum, R. Azariæ, numiſmaticum &c. interpretes coacti fuerint: cui maxime accedit, quod innumeri Hebraicis literis cuſi nummi exſtent, qui Samaritanis opponi poſſunt. Ita Samaritanis de throno deturbatis literis, jus principatus Hebraicis competit, cæteras omnium gentium literas innata etiam dignitate & præſtantia vincentibus. Probat id Autor celeberrimus, quia nomina literarum Ebræarum quoque Ebræa ſunt: quia earum forma ſimplicisſima eſt & quadrata. Idem ex ipſo literarum Ebræarum ordine, & ex ſublimibus myſteriis, quæ in iis conſtituunt Cabaliſtæ, oſtendit. Provocat denique ad inſcriptiones quasdam antiquiſſimas Hebraicas, ipſiusque Salvatoris effatum, cœlum potius & terram quam unum legis jota periturum.

Quantam vero Author noſter pro defendendis literis Hebraicis hactenus navavit operam, tantam e contrario, ſi non majorem, in parte tertia, ut puncta non coæva literis, ſed recens Judæorum inventum eſſe obtineat, impendit. Initio ſtatim alphabetum Hebraicum, non ſecus ac aliarum linguarum inſertas conſonantibus habuiſſe vocales aſſerit, illudque ipſum ad dignitatem ejus plurimum feciſſe cenſet, cum alias cæteris multo fuiſſet imperfectius. Poſtea ad idem probandum experientiam in ſubſidium vocat, literas Hebraicas, easque ſolas ſine punctorum ſubſidio ad exprimenda cujusvis linguæ vocabula ſufficere. Quibus præter argumenta e Joſepho, Tremellio, Elia Levita &c. petita, ex antiquitate jungit, Samaritanos Pentateuchum ſuum omnibus punctis deſtitutum ſervare & promptiſſime legere, Origenemque textum Hebraicum primo Ebraicis, deinde Græcis literis, inſertis ubique vocalibus ſcripſiſſe, in certiſſimum argumentum, codicem Hebræum adjunctas quidem ſuas vocales, ſed non ſubſignata puncta habuiſſe. Facile vero prævidit, deſiderari adhuc

huc, ut determinetur, quas putet in alphabeto Hebraico literas olim vocales fuisse. Quamobrem e tota serie א, ה, ו, ח, י, ע, eligit. Primum locum occupat א, quia omnium primo ab infante, simul ac in hunc mundum ingreditur, editur. ה dicit referre Græcorum E, nec figura ab eo multum differre, si a dextra parte in sinistram mutatis mutandis scribatur; ו vero Græcum ὑψιλὸν ad calcem alphabeti, ne receptus ordo turbaretur, rejectum. ח esse ἦτα, & י Græcum ἰῶτα; ע Ἀῖν τῷ o respondere. Ad dubium, figuram τῦ *Ain* superne apertam esse & in caudam abire, τῦ o vero rotundam; præterea non dici oïn sed aïn, propius ad sonum τῦ a, quam τῦ o: respondet rectius pronunciari oïn quam aïn, sono ex o & a misto; figuram vero quod concernit, commodius ab Ω vel ω deduci eam, quam ex o.

Assignat porro jam memoratis vocalibus, quem statuit ipsis competere, genuinum sonum. א vult efferri per a, v. gr. אב *Ab* pater; ה idem nomen & eundem sonum cum E tribuit, modo aspiratio, quæ ex abusu orta sit, rejiciatur. ו cum υ coincidere ait, ח cum η esseque ε longum, י cum jota, ע cum o, ut supra visum. In sequentibus operosus est, ut, quomodo vocales Ebrææ hactenus assertæ inter se unitæ diversa vocabula componant, & inde, quod literæ ad exprimendas omnes aliarum linguarum voces secundum hodiernum Judæorum usum idoneæ sint, confirmetur jam recensitas veras vocales esse, monstret. Verum cum toti asserto maxime obstet, puncta cum literis vocalibus, quibus subscripta sunt, sæpe nullam habere convenientiam, (v. g. in vocula אד *vapor* א signatur .., quod cum sono Aleph tributo non congruit) omnem cessare difficultatem sperat, si dicat, *puncta quidem non semper antiquis & genuinis vocalibus perfecte respondere, attamen non propterea legitimo suo officio abdicandas esse illas vocales, quoniam puncta non semper sunt regularia, & lectionem intolerabilem nonnunquam reddunt.* Unde punctationem ex Pentateucho Samaritano, versione Græca, Latina, & paraphrasibus Chaldaicis, inconstantiæ arguit. Movet postea quæstionem illam, an Judæi quidem habuerint puncta, quæ tamen S. Hieronymo manifestare noluerint? statuens negari non posse, Judæos suarum rerum dominos aditum ad my-

ſteria aliis gentibus non permiſiſſe; hanc vero ceſſaſſe invidiam, iis in Chriſtianorum poteſtatem redactis: ut adeo non potuerint non puncta Hieronymo nota eſſe, ſi tunc temporis extitiſſent.

Solicitus deinde, ut objectiones ſuæ opinioni contrarias removeat, oſtendit, puncta quamvis recentia, nihilominus inſignem, eumque quadruplicem præcipue habere uſum. Nec obeſſe ſuis placitis vult, quod vocales in conſonantes, a quibus ſunt diverſiſſimæ, mutari non poſſint; conſtet autem, vocales Ebræorum hactenus ſtabilitas paſſim in conſonantes tranſire, & conſonantium inſtar vocales admittere; & punctorum, duntaxat beneficio ſonare: nam inauditum non eſſe, unius Linguæ vocabula in aliam tranſeundo novas accipere conſonantes aut proprias omittere. Puncta igitur cum recentia eſſe oporteat, quando cœperint, quærere liceat? Hæc res utut dictu difficilis ſit & impoſſibilis ferme, ita tamen expeditur, ut nec Moſis, nec Eſdræ, nec Chriſti Salvatoris ætate puncta adfuiſſe ſentiat, quin nec quartum poſt Chriſtum natum ſeculum attigiſſe, ſed circa ſextum poſt approbata ſolennibus Judæorum ſuffragiis Miſchnæ & Talmudis opera, ab Arabibus demum orta eſſe, affirmet. Quod varie probat, præſertim ſilentio Talmudis, & quod recentiores Judæi puncta inter traditiones orales habeant; quem quoque in finem locus aliquis, qui in ערוגת הבשם ſeu *Area aromatica* R. Moſe Aben Ezræ exſtet, allegatur. Satis vero conſtitit Cl. Authori, ſi hæc de punctorum recenti ætate ſententia perſiſtat, tantum non de tota Scriptura Vet. Teſt. actum fore; ideo hactenus dicta ita emollit, ut licet puncta humanum inventum dicantur, aliquo tamen modo authentica ea pronunciet; idque eam ob cauſam, quod antiquum legendi morem fideliter exprimant, & monſtrent qua ratione Prophetæ ſancti voces pronunciaverint. Ita vero hoc ſuum attemperat judicium, ut velit homines fuiſſe punctorum inventores, adeoque ab omni errore immunia ea non prædicanda eſſe, eodem illo argumento per totum caput ultimum prolixius deducto.

FASCI-

FASCICULUS IV. OPUSCULORUM, QUÆ AD Historiam & Philologiam Sacram spectant.

Roterodami, apud Petrum van der Slaart, 1694. 8. Alph.1, pl.13.

OPuscula, quæ primo Fasciculo continentur, in Actis Eruditorum A. 1691, p.335. quæ secundo & tertio, A.1693.p. 544. indicavimus. Nunc cum institutum suum, de quo jam tum a nobis dictum est, prosecuturus Bibliopola Roterodamensis, quartum non ita pridem Fasciculum publici juris fecerit, nec eorum, quæ is complectitur, ignarum Lectorem benevolum esse volumus. Sunt vero opuscula sequentia, olim jam diversis locis ac temporibus edita, nunc junctim recusa: Jacobi Windeti liber de vita functorum statu, ex Hebræorum & Græcorum comparatis sententiis concinnatus: Joh. Vorstii Dissertationes de Sceptro ac Magistratu non recessuro a Juda, antequam venisset Messias; de quatuor vulgo sic dictis Monarchiis, & de Paradiso: Ejusdem de Synedriis Hebræorum Dissertatio: Tredecim modorum, quibus explicari potest Sacra Scriptura, Explanatio latior & facilior, ex variis Rabbinorum libris: Antonii Thysii JCti Exercitationes Miscellaneæ. Subjicitur, quod in prioribus quoque fasciculis factum fuerat, rerum & verborum index.

ERRATA.

In Actis A.1693.p.154.lin.5.& 23. pro *Bernhardi* lege *Bernhardini*.lin. 22. pro *Et iste Octavius patruus fuit* &c. lege: *Et hujus Octavii patruus fuit hic, quem nunc sistimus, Bernhardinus Ferrarius, Theologiæ &c. Doctor.* Mense Octob.A.1694.p.395.l.24.27.28.pro *Bb* leg. *Bβ*.l.26 pro *EP* leg. *AP*.p.397.pro *AM9* leg. *AMq*. p.398. l.12. pro *TZ* leg. *TQ*, pro *AZ* leg. *AQ*. Mens. Novembr. p.436.l.6. pro *utiq;* leg. *ubiq;*. p.437. l. penult. leg. *revocetur*.p. 438.l.4.præponatur signum -. ibid.l.penult. denominatores r,r,r, r^3, r^4, afficiendi sunt numeris 1,2,3,4. p.439.l.4. pro *ddn* leg. *dddn*. pag.440, pro & leg. *est*. p.439.l. antepen. in denominatoribus tertii & quarti termini deleantur 3 & 5. ibid. l.ult. in serie numeratoris pro a^3 & a^5 ponatur aa & a^4.

* * *

ACTA ERUDITORUM

publicata Lipsiæ

Calendis Martii, Anno M DC XCV.

Georg Lohmeiers Historische und Genealogische Erläuterung der Europäischen Reiche und Fürstenthümer 2c.

Georgii Lohmeieri Tabulæ Historico-Genealogicæ Regnorum & Principatuum Europæ, auctæ per A.N.P.I.

Luneburgi apud Jo. Georg. Lipperum, A. 1695 in fol. Alph. 2, plag. 3.

QUæ ante hos quatuor, vel quod excedit, annos, primum aspexere lucem, Tabulæ Lohmeierianæ, a nobis *in Actis A. 1690, p. 152* indicatæ, longe nunc auctiores prodeunt, atque accuratiores. Cum enim tot avidos nacta esset emtores prima editio, ut brevi tempore vix unicum bibliopolis superesset exemplar, intermittere haud potuit Vir illustris *Jacobus Wilhelmus Imhoff*, Lohmeiero, dum viveret, amicissimus, quin novam operis hujus longe utilissimi adornaret editionem, cujus in fronte literis ipse indicatur A. N. P.I. i. e. Auctor Notitiæ Procerum Imperii. Præterquam vero, quod, qui in priorem irrepserant, in hac editione emendati sunt errores, additiones historicæ & multorum Principum nomina antehac omissa singulis tabulis accessere, totumq; opus plus quinquaginta novis tabulis auctum est; quas inter lubuit referre celeberrimo Imhofio Caroli Magni prosapiam, Regum item Siciliæ, Hierusalemi & Cypri, Byzantinorum Christianorum æque ac Turcicorum Imperatorum, supremorum Moscoviæ Principum, Marchi-

onum atque Ducum Austriæ, veterum Sleswici & Holsatiæ Ducum Comitumq;, ac aliorum complurium Italiæ maxime Principum, & ipsius Pontificis moderni familias. Ex quo apparet, novam pene faciem induisse has Lohmeieri Tabulas, cum & supra quartam partem accreverint, & Principum in iis posteritas ad præsens usque tempus fuerit producta.

S. EUSEBII HIERONYMI STRIDONENS. PRESBYTERI Operum tomus I. seu Divina Bibliotheca antehac inedita, complectens translationes Latinas V. ac N. Testamenti, cum ex Hebrais, tum e Græcis fontibus derivatas, innumera quoq; scholia marginalia antiquissimi Hebræi cujusdam scriptoris anonymi, Hebræas voces pressius exprimentis. Prodit e vetustissimis MSC. codicibus Gallicanis, Vaticanis &c. Studio & labore Monachorum Ordinis S. Benedicti e Congregatione S. Mauri.

Parisiis, apud Ludov. Roulland, 1693, in fol. Constat 10 alphab.

DOctissimos Ordinis Benedictini e Congregatione S. Mauri Monachos de S. Patrum scriptis præclare hactenus mereri, novæ eæque egregiæ Ambrosii, Augustini, Hilarii, Hieronymi, & Bernhardi editiones, Parisiis illorum studio procuratæ, abunde testantur. Et Bernhardi quidem opera Mabillonius sibi vindicavit. Reliqui, quos nominavimus, Patres sub communi totius Congregationis nomine prodierunt; etsi Augustinum imprimis *Thomæ Blampino*, Hilarium *Petro Coutant*, & Hieronymum *Johanni Martianay* debeamus, qui jam A. 1690 *Divi Hieronymi prodromum* duodecim plagulis constantem publicavit, de quo nonnulla prius afferre lubet, quam primum Hieronymi tomum recenseamus.

Primam igitur illius prodromi partem constituit prædicti *Johannis Martianay ad viros doctos & studiosos epistola*, in qua, quam necessaria sit nova operum Hieronymi editio, ostendit, & eruditos ubique gentium degentes humaniter invitat, ut si quid Hieronymi ineditum in bibliothecarum forulis delitescere noverint, indicent, aut si quid in privatis commentariis schedisque suis habeant singulare, quod ad exornanda & illustranda Hieronymi opera faciat, in publi-

in publicam ecclesiæ ac studiosorum utilitatem illud conferant, epistolasque suas, si rescribere dignentur, vel sibi, vel socio suo *Antonio Pouget* in cœnobio S. Germani a Pratis, quod Parisiis est, inscribant. Accuratam enim operum Hieronymi editionem magnæ molis opus esse agnoscit, tantisque difficultatibus obseptum & intricatum, ut totius Reipublicæ literariæ studia mereri videatur. Quamobrem etiam Regiæ bibliothecæ Præpositos dignis laudibus celebrat, quod facilem MSCtorum copiam sibi quotidie faciant. Nec minus doctissimum *Baluzium* commendat, quem Colbertinam bibliothecam sibi sociisque suis velut communem domum aperire, ultroque ad eam invitare, & MSC. copiam, quotiescunque opus habeant, liberaliter impertire, gratus deprædicat. Nec immemor est beneficii a Dn. *de Tilmon* accepti, a quo se commodatam habere dicit vitam Hieronymi, quam ipse ex variis autoribus, maximeque ex ipso Hieronymo, magna cum diligentia nec minori cum judicio digestam, Gallico idiomate conscripsit, & hactenus nondum edidit, qua ad multa obscuriora Hieronymi loca illustranda, & imprimis chronologiam operum ejus facilius assequendam, aditum sibi apertum non dissimulat. Necessitatem autem novæ editionis operum Hieronymi probaturus, etiam post Herculeos Erasmi Roterodami & Mariani Victorii Reatini labores, magnam adhuc erratorum sylvam in his operibus relictam esse, exemplis nonnullis probare satagit, & imprimis eo nomine in Erasmum & Victorium invehitur, quod Hebraicis vocibus & textibus ab Hieronymo allegatis subinde puncta apposuerint, & hoc facto Hieronymi sensum & interpretationem sæpe plane subverterint, effecerintq; , quod in editis Hieronymi libris, quoad res Hebraicas, nihil prorsus sinceri occurrat, sed totum sit vel Masoretharum, quos sæpe ex præjudicio erroris Judaici textui Hebraico puncta vocalia apposuisse statuit, vel Grammaticorum Hebræorum hodiernorum, quorum tricas, ut vocat, & interpunctiones Hieronymi ævo inauditas fuisse præsupponit.

Altera prodromi pars exhibet *S. Hieronymi epistolam ad Sunniam & Fretelam*, ad MSC. codices optimæ notæ castigatam, cui in altera paginarum columna oppositæ sunt vitiosæ lectiones in Erasmi & Mariani editionibus occurrentes, quarum tantus apparatus

ratus est, ut vix tertia epistolæ hujus satis licet prolixæ pars cum MSC. codicibus conveniat. Cujus diversitatis hanc esse causam prodromi autor pronunciat, quod Marianus Victorius & Erasmus Hieronymum non ex Hieronymo, sed ex hodierno Masoretharum Hebraico textu, & e Seniorum LXX editione Sixtina emendare præsumpserint, non intelligentes, longe diversam fuisse Hebraicam veterem lectionem ab ea, quæ nunc Masoretharum punctis circumscripta est, & Græcarum interpretationum exemplaria, quibus Hieronymus usus est, multum ab iis diversa fuisse, quæ Romæ cum notis Nobilii edita hodie leguntur. Subjiciuntur autem huic epistolæ notæ in epistolæ titulum & inscriptionem, in tempus hujus epistolæ, in difficiliora & celebriora ejus loca, in variantes lectiones Græcas, nec nô in Hebraica verba hujus epistolæ, quibus notis subjungitur index codicum MSC. ad quos epistola hæc nunc recognita & castigata prodiit.

Tertia denique & ultima pars hujus prodromi continet *epistolam Gallico idiomate ad fratres Covetos ab eodem prodromi Autore scriptam, & Michaeli Lequienio oppositam.* Etsi enim ille Lequienius perinde ac Martianay noster Pauli Pezronii antiquitatem temporum restitutam peculiari tractatu confutaverit, nonnulla tamen etiam in nostri Martianay tractatu reprehendit, militum instar, ut Autoris nostri simili utamur, qui cum tela in hostes dirigunt, improvide socios suos lædunt. Duo autem imprimis in Autore nostro Lequienius desideraverat, unum quod de versione Græca quæ *κοινὴ* appellata fuit, non recte judicasset; alterum quod de Sunnia & Fretela tanquam de viris locutus fuisset. Ad utrumque Martianay noster breviter respondet, qui etiam in notis ad titulum & inscriptionem hujus epistolæ, quarum supra mentionem fecimus, Sunniam & Fretelam viris, non fœminis accensendos, hoc argumento probat, quod in MSC. codicibus inscriptio hujus epistolæ ita se habeat: *dilectissimis fratribus Sunniæ & Fretelæ* &c. Confirmat hanc sententiam ex ipso contextu; siquidem Hieronymus de iis dicit, *quod callosa tenendo capulum manus & digiti tractandis sagittis aptiores ad stylum calamumque mollescant, & bellicosa pectora in mansuetudinem Christianam vertantur*, quod elogium viris potius quam fœminis competere animadvertit. Denique observat, quod virilia nomina

sint

ſint apud Gothos, Attila, Totila, Agila & ſimilia. Verum hæc de prodromo D.Hieronymi,qui ante quinquennium in quarta, ut loqui amant, forma ſeorſim prodiit, dicta ſufficiant.

Quantum autem ad primum operum Hieronymi tomum attinet,*divinam* ille *S. Hieronymi Bibliothecam*, ſeu tranſlationes Latinas Veteris ac Novi Teſtamenti ex Hebræis & Græcis fontibus derivatas complectitur. Quæ divina Bibliotheca in tres partes diſpeſcitur. Prima exhibet Canonem Hebraicæ veritatis, ſeu libros canonicos V.T.ex Hebraicis fontibus expreſſos ac annotationibus marginalibus Hebræi cujusdam, qui tempore Rabani Mauri in ſcientia legis claruit, illuſtratos, & triplici ordine diſtinctos. Primus enim ordo libros legis ſeu Pentateuchum; ſecundus libros Prophetarum, nempe Joſuæ, Judicum, Ruth, Samuelis, Regum, Jeſaiæ, Jeremiæ cum Threnis, Ezechielis & duodecim Prophetarum qui minores appellari ſolent; tertius hagiographa ſeu libros Jobi, Pſalmorum, Proverbiorum, Eccleſiaſtæ, Cantici Canticorum, Danielis, Paralipomenon, Eſdræ, Nehemiæ & Eſther complectitur. Altera Bibliothecæ divinæ pars continet libros quosdam V. T. partim ex Chaldaico partim ex Græco ſermone tranſlatos, in quibus primum locum tenent liber Tobiæ & liber Judith, e Chaldaico ſermone per Hieronymum in Latinum tranſlati & ſæpius editi. Hos excipiunt libri quidam biblici, quos Hieronymus e Græcis LXX Interpretum exemplaribus Latine vertit: nempe liber Jobi cum aſteriſcis & obelis hactenus ineditus, & nunc demum ex tenebris, in quibus pe multa retro ſeculorum ſpatia jacuit, protractus, & ex majori monaſterio a *Claudio Martino* ad Hieronymi editores tranſmiſſus; & duplex Pſalterii editio, quorum unum Romanum audire ſolet, quod eo Romana Eccleſia antiquitus uteretur, ejusque uſus etiam ad huc in Eccleſia Vaticana perſeveret, alterum quod obelis & aſteriſcis ſignatum eſt, Gallicanum dictum, quod Galli primi inter omnes ad uſus eccleſiaſticos illud adhibuerint. Etſi autem duplex hoc Pſalterium jam olim a Joſepho Caro editum fuerit, Benedictini tamen noſtri conquiſitis plurimis MSC. codicibus, ut ea, quæ cum in textu, tum in obelis & aſteriſcis deeſſe videbantur, ſupplerent, operam navarunt. Duplici autem huic Pſalterio ſubjecerunt



runt duas Hieronymi præfationes, unam in libros Paralipomenon, & alteram ad libros Salomonis, & dolent, quod ipsa illorum librorum versio ab Hieronymo ad Græcam LXX Interpretum versionem conformata non amplius supersit, & reliqui etiam libri sacri omnes, exceptis Jobi & Psalterii voluminibus, ex illa Hieronymi versione, quam juxta 70 Interpretes additis præterea obelis & asteriscis diligenter emendavit, pridem perierint, vel forte adhuc in tenebris delitescant; unde omnes S. Scripturæ studiosos hortantur, ut manuscriptos codices sacros cum editis diligenter conferant. Hac enim ratione fieri posse sperant, ut aliorum quoque librorum biblicorum versiones, ab Hieronymo juxta Græcos codices adornatæ, indagari possint. Cæterum secundæ huic divinæ Bibliothecæ parti appendicem aliquam addere constituerant Benedictini nostri, nempe libros Tobiæ, Judith, Esther & Psalmorum cum canticis quibusdam Scripturæ S. ante Hieronymum ad Græcorum codices latinitate donatos, & nunc ad plurimorum MSCtorum codicum fidem edendos, quæ appendix proxime ante p. 1157. promittitur. Verum pag. 1419. hanc appendicem propterea a se omissam dicunt, quod ob magnam MSCtorum differentiam, & variarum lectionum copiam, res illa majori otio reservanda videretur. Tertia denique Bibliothecæ hujus divinæ pars libros Novi Testamenti continet. Ad calcem paginarum passim in hac Bibliotheca divina variæ lectiones aliæque notæ conspiciuntur, quibus Hieronymi in libros sacros præfationes & ipse librorũ sacrorum textus illustrantur, ex quibus nonnulla delibabimus. Ad dictum Gen. III. *ipse conteret caput tuum*, adnotatur, in multis MSC. codicibus legi *ipsa*, sed Hieronymum in quæstionibus Hebraicis legisse *ipse*, & in codice perantiquo bibliothecæ S. Germani a Pratis prima manu scriptum superesse *ipse*, etsi recentior manus hanc vocem in *ipsa* mutare conata fuerit. Observant præterea Benedictini, quod olim veteres pronomina & adverbia in *e* terminata per diphthongum scripserint, ut est illud: *Ipsæ dixit, & facta sunt, superba loqueris, stulta egisti*; ex quo scribendi modo facile contingere potuisse dicunt, ut pro ipsæ ipsa scriberetur. Ad verba Exod. 34. v. 6. annotatur, hactenus illum locum a Latinis ita intellectum, quasi Moses Domino transeunte clamaverit:

Domi-

Dominator Domine Deus misericors &c. sed ex canone Hebraicæ veritatis apparere, quod non Mosis sed Dei sint illa verba. Ne quis tamen vulgatam lectionem ob discrepantiam ab Hebraica veritate reprehendat, ei Targum Hierosolymitanum adstipulari observant Benedictini nostri, quod ita legit: *& cum transiret gloria Majestatis Domini coram eo, oravit Moses, & dixit: Domine Domine Deus* &c. Ad Deut. I,1. notatur, Christianorum feces *Hobbesium*, *Spinosam* & similes ex his verbis perperam concludere, quod Moses totius Pentateuchi autor non fuerit, cum hoc argumentum profligetur scholio marginali ad canonem veritatis Hebraicæ apposito, quo verba *trans Jordanem* ita explicantur: *in transitu Jordanis*. Unde gratulantur sibi Benedictini nostri, quod divina Hieronymi Bibliotheca, cum appositis a docto quodam Hebræo scholiis marginalibus, palmarium eorum scriptorum argumentum evertat, quo Mosen totius Pentateuchi autorem extitisse negant. Ad c. 21 Josuæ observatur, exemplaria Hebraica Hieronymi quadam sui parte mutila fuisse, nec versus omnes bibliorū habuisse, cum versus 36 hujus capitis de 4 urbibus Rubenitarum ab Hieronymo omissus deprehendatur. In præfatione ad libros Samuelis & Regum asserit Hieronymus, Sapientiam, quæ vulgo Salomonis inscribitur, & librum Jesu filii Sirach, & Judith, & Tobiam, & Maccabæorum libros non esse in canone. Illa verba *Marianus Victorius*, *Richardus Simonius* plurimiq; alii ita interpretantur, quasi Hieronymus de Hebræorum, non de ecclesiæ canone locutus fuisset. Verum Benedictini ex præfatione Hieronymi in libros Salomonis demonstrant, Autores illos procul a vero recedere, & propriam potius quam Hieronymianam opinionem lectoribus obtrudere. Qua in re candor Benedictinorum nostrorum, & imprimis Martianay noster laudandus est, qui in prolegomenis ad primum hunc Hieronymi tomum, a sui ordinis socio, quam a veritate discedere maluit. Cum enim *Petrus Coutant* in suo Hilario, cujus exemplar propediem ad nos allatum iri speramus, dixerit, ab Hilario librorum sacrorum canonem recensitum fuisse juxta Hebræorum, non juxta ecclesiæ usum, non dissimulat sibi id displicere Martianay noster, cum ad Hilarii usque ætatem non plures a Christianis quam a Judæis libri in canonem V. Test. recepti fuerint, quam

in rem

in rem Melitonis Sardensis, Origenis, Synodi Laodicenæ, Athanasii, Cyrilli Hierosolymitani, Gregorii Nazianzeni, Amphilochii aliorumque testimonia allegat. In notis ad libros Regum p. 421. perstringitur nuperus quidam Chronologus (*Paulus Pezronius*) qui Josepho adhærens, Regem Salomonem per 80 annos regnasse, contra Scripturæ textum & unanimem Græcorum & Latinorum Patrum consensum audacter asseruerit. Scribit Hieronymus in præfatione ad Jobum, apud Latinos ante suam translationem, quam sub asteriscis & obelis edidit, septingentos fere vel octingentos versus defuisse. Quem locum *Simonius* in Critica V.T. emendandum, & pro 700 vel 800, septuaginta vel octoginta versus in verbis Hieronymi reponendos esse censet. Verum Benedictini nostri in loco illo Hironymi nihil mutandum esse putant. In notis ad Psalmum 45 indicatur, totum hunc psalmum cum bona parte psalmi 2. Hebraice, sed Latinis literis in antiquo codice MSC. monasterii Carnutensis legi. Ut autem omnibus constet, quantum hodierna lectio Hebraica ab antiqua discrepet, in appendicula ad canonem Hebraicæ veritatis, totus hic psalmus cum bona parte secundi psalmi ex codice illo MSC. exscriptus exhibetur. In annotationibus ad prologum Hieronymi in epistolas catholicas, Benedictini nostri contra *Simonium* prolixe disputant, ac primum fidem ejus vacillare, vel nonnihil diligentiæ in eodem desiderari judicant, cum asserit, prologum illum in illis tantum exemplaribus reperiri, quæ proximis sexcentis annis descripta sunt, in antiquioribus raro inveniri; cum tamen certum sit, longe rariores esse antiquiores codices, in quibus prologus ille abest, quam eos, in quibus legitur. Quod ne gratis dixisse videantur, memorant, duos in Regia, duos item in Colbertina bibliotheca vetustissimos codices reperiri, quos ante Caroli Calvi ætatem, vel circa illius Imperatoris tempora scriptos esse nemo refragetur, & in his præstantissimis & optimæ notæ codicibus unum tantum esse, in quo prologus ille ante epistolas catholicas omissus deprehendatur; quatuor item codices octingentis annis antiquiores in San-Germanensi bibliotheca haberi, & ex his unum tantum illo prologo carere. Contra negant, in recentioribus MSC. hunc prologum constanter legi, cum meminerint, se in plurimis codicibus ante quadringen-

gen-

gentos annos scriptis eundem minime invenire potuisse. Ulterius notant, nonnullas præfationes Hieronymi, quæ ab omnibus pro genuinis agnoscuntur, in antiquissimis codicibus deesse, quod exemplis quibusdam demonstrant: unde inferunt, ex eo, quod Hieronymi prologum in epistolas catholicas nonnulli antiqui codices adscriptum non habent, colligi non posse, quod Hieronymi nomen mentiatur. Infirmum quoque ipsorum judicio est Simonii argumentum inde depromptum, quod ille prologus in multis exemplaribus Hieronymi nomen adscriptum non habeat; cum etiam illas Hieronymi præfationes, quas genuinas esse Simonius neque negat neque negare potest, in plurimis exemplaribus nomen Hieronymi appositum non habere, demonstrari possit. Porro falsum esse observant, quod Simonius asseruit, in bibliotheca S. Germani a Pratis duos esse MSC. codices, in quibus prologus ille non legitur; cum ex omnibus hujus monasterii codicibus unus tantum illo prologo carere deprehendatur. Non minus in eo hallucinatum Simonium animadvertunt, quod auctorem, qui libros Vulgatæ Latinæ uno volumine complexus est, prologum in fronte epistolarum catholicarum positum edidisse probaturus, pro certo asserat, præfatiunculam in exemplari Caroli Calvi Actis Apostolicis præfixam ex Hieronymi prologo galeato excerptam esse; cum tamen in prologo Hieronymi galeato altum sit de libris novi testamenti silentium, & locus, quem Simonius intendit, non in prologo galeato, sed in epistola Hieronymi ad Paulinum reperiatur. Concludunt ergo infirmas esse rationes, quibus Simonius suppositionem illius prologi probare voluit: in re ipsa tamen Simonio consentiunt, quod prologus ille alium quam Hieronymum habeat autorem; quod tribus argumentis demonstrant. Primum inde petitum est, quod Hieronymus epistolas catholicas nunquam canonicas appellare soleat; ut catalogus scriptorum ecclesiasticorum ab ipso concinnatus in illis capitibus, quæ de Petro, Jacobo & Juda agunt, testari potest. Autor autem prologi has epistolas non aliter quam canonicas appellat, quo nomine etiam a Cassiodoro c.8. de Instit. divin. literarum & a Synodo Laodicena illas epistolas appellatas deprehendimus. Alterum argumentum hoc est, quod prologi autor se rem maximi momenti

& ecclesiæ utilissimam procurasse glorietur, dum septem has epistolas proprio ordini restituerit, quarum series hactenus apud Græcos orthodoxos a Latinis exemplaribus diversa fuerit. Benedictini enim observant falsum esse, quod apud Græcos orthodoxos alia epistolarum illarum series fuerit, quam est illa quæ in Latinis exemplaribus reperitur. Contrarium probant ex canone 59. vel 60. synodi Laodicenæ, Athanasii epistola festiva, synopsi librorum Scripturæ Athanasio tributa, Gregorio Nazianzeno, Johanne Damasceno & aliis. Deinde se non videre dicunt, quid ad utilitatem ecclesiæ magnopere faciat, quacunque serie illæ epistolæ locentur. Præterea ordinem illum, quem falsus Hieronymus tanti fecit, a vero Hieronymo non observatum animadvertunt. Nam in divisione Scripturæ apud Cassiodorum, qui eam secundum Hieronymum factam esse dicit, alia epistolarum illarum series deprehenditur; quemadmodum etiam apud Augustinum libr. 2. de doctr. Christ. c. 8. alia occurrit. Tertium denique argumentum e stylo Benedictini depromunt. Etsi enim autor prologi Hieronymi in 12. Prophetas prologum imitari annisus fuerit, infeliciter tamen hoc ipsi cessit, cum præter vocem infimæ latinitatis *quodquia* aliæ quoque phrases Hieronymi stylum minus sapientes ipsi exciderint. Cum autem hic prologus imprimis occasione verborum Johannis, quæ v. 7. capitis 5. in prima ejus epistola occurrunt, scriptus videatur, de illo etiam testimonio nonnulla Benedictini nostri subnectunt. Observant igitur, testimonium illud Johannis de tribus in cœlo testibus in plurimis vetustissimis exemplaribus desiderari, nec in paucis ejusdem ætatis ad marginem suppleri; in recentioribus autem semper adesse, etsi non in omnibus eodem ordine legatur, sed in quibusdam exemplaribus versus octavus septimum præcedat. Omissionis vitium inde natum non dubitant, quod nonnulla versus 7. verba in octavo repetantur; quemadmodum ob similem eorundem verborum recurrentium causam, in c. 30. Jeremiæ verba quædam a 70. interpretibus omissa, Hieronymus ad v. 14 & 15 illius capitis observavit. Commodiorem locum & exemplum probandæ hujus omissionis efficacius Josuæ c. XXI, v. 36 occurrere observant. Nam cum tribus vicibus v. 35, 36, 37. legantur illa verba *civitates quatuor cum suburbanis ejus*, librariorum

riorum incuria factum est, ut in multis exemplaribus, & in illo quoq; quo Hieronymus usus est, versus 36 omitteretur. Postremo non sine animi mœrore se videre posse testantur, quod autor communionis catholicæ, qualis Simonius esse velit, probare contendat, hoc Johannis testimonium librariorum veterum temeritate additum fuisse. Neque in eo se acquiescere posse testantur, quod dicat, ecclesiæ autoritatem hodie hoc testimonium nobis tanquam authenticam scripturam ingerere. Nullam enim ecclesiæ autoritatem tantam esse agnoscunt, ut corruptelas, interpolationes aliaque librariorum vitia in verbum Dei & canonicam Scripturam commutare possit; quo nihil obtusius & divinarum Scripturarum fidei magis exitiale dici posse arbitrantur.

Superest ut de prolegomenis hujus tomi aliquid dicamus, in quorum primo de nomine Bibliothecæ divinæ, & de modo, quo edita est, disseritur. Narrant igitur Benedictini nostri, Hieronymum primum ea, quæ librariorum incuria, vel temporum injuria, vel imperitia interpretum in exemplaria Latina e Græcis derivata irrepserant, diligenter emendasse; postea vero, ne Judæi amplius Christianis Græcæ versionis errores exprobrarent, novam ex Hebraico textu versionem adornasse, ac ut ea tanto felicius progredi posset, addiscendæ linguæ Hebraicæ maximos labores nec minores sumtus impendisse. Referunt quoque, quorum precibus & hortatu Hieronymus varios libros Biblicos in Latinum sermonem transtulerit, & quales calumnias a Rufino aliisque æmulis ob novas suas versiones passus fuerit, animadvertentes, ita eum in versionibus suis fuisse versatum, ut ea imprimis, quæ sensum pervertebant, mutaret, & simplicitati potius verborum, quam styli elegantiæ studeret, etiam vitiis quibusdam sermonis admissis, sicubi intelligentiæ facilitas & vulgi consuetudo id postulare videretur. In prolegomeno secundo de tempore translationum Hieronymi earumque in ecclesia usu agitur; ubi inter alia disquiritur, num omnes libros veteris instrumenti juxta 70. interpretes emendaverit? & collatis utrinque rationibus concluditur, etsi paucissimæ ex illis versionibus Hieronymi ad nos pervenerint, universa tamen Græcæ editionis volumina ab eo Latine versa, seu potius juxta hexaplorum fidem emen-

data fuisse. Hinc exponitur, quo ordine canonem Hebraicæ veritatis interpretatus fuerit, & ostenditur Hieronymianas utriusque generis versiones statim apud Græcos & Latinos in magno pretio habitas fuisse. Quod ut probetur, inter alia ex nonnullis Hieronymi locis adducitur, quod Latinæ ejus versiones a Græcis in Græcum sermonem translatæ fuerint. Quæ Hieronymi loca celeberrimus *Huetius* in tractatu de claris interpretibus ita accepit, ac si prior Hieronymi editio e LXX seniorum interpretatione expressa Græce iterum versa, & a Græcis suscepta fuerit. Verum Benedictini in hoc a Viro eruditissimo dissentiunt, cum necesse non fuerit, ea quæ in Hexaplis Græce extabant, e Latino Hieronymi sermone denuo Græce vertere & actum agere; unde probabilius ipsis videtur, posteriorem Hieronymi translationem ex Hebraicis fontibus derivatam, & imprimis versionem psalterii & duodecim prophetarum a Sophronio Græce redditam & a Græcis susceptam fuisse. Confirmatur hæc sententia de translationibus Hieronymi apud Græcos susceptis exemplo Hesychii, qui in commentariis in Leviticum nonnulla loca juxta editionem Hieronymianam ex Hebraicis fontibus derivatam explicavit. E Latinis patribus, qui Hieronymi tanslationes in pretio habuerunt, adducitur præter alios Philippus, qui in suis ad Jobum commentariis Hieronymi versione, & quidem illa, quam ex Hebraico textu reddidit, usus est, & ipse Augustinus, qui etsi primum novas Hieronymi translationes, confusionem aliquam ecclesiarum metuens, improbaverit, postea tamen quam insignem translationum illarum utilitatem perspexit, non raro easdem laudavit, & in scriptis suis usurpavit; quod multis Augustini locis adductis demonstratur. Tandem post Gregorii M. & aliorum quorundam de translationibus Hieronymi testimonia additur, quod ecclesia Romana Hieronymianam bibliorum versionem authenticam declaraverit: ubi tamen notatur, aliquos in vulgata libros contineri ab Hieronymo non translatos, ac propterea in hac Bibliotheca divina Hieronymi omissos, nempe librorum Baruch, Sapientiæ, Ecclesiastici, & duos Maccabæorum; præterea Psalterium, quod in vulgata extat, esse non illud quod Hieronymus ex Hebraico textu expressit, sed illud, quod secundis curis juxta Græcam editionem emendavit, in re-

liquis.

liquis autem veteris testamenti libris, ac imprimis in libris Regum ac Proverbiorum, Hieronymianæ versioni nonnullas sententias ac integros versus ex antiqua seu Itala versione admistos deprehendi, qui in hac Hieronymi Bibliotheca admissi non fuerunt. In prolegomeno III Hebraica veritas commendatur, & ostenditur, Græcos & Latinos Patres, quanto fuere cæteris doctiores, tanto plus eos Hebraicæ veritati studuisse. In eodem prolegomeno de divisione Scripturæ V.T. in Legem, Prophetas & Hagiographa agitur, & nuperus quidam Scriptor perstringitur, qui asseruit, ecclesiam Christi Hieronymi translationem castigasse, & eas Danielis partes in canone restituisse, quas sensu Judaico & Rabbinico spiritu Hieronymus absciderit; cum tamen Hieronymus illa Danielis additamenta non omiserit, etsi ea, quia in Hebraico textu non inveniuntur, obelis signaverit: qua occasione etiam de signis illis disseritur, quibus apocryphas illas Scripturæ partes Hieronymus signavit. Postremo loco in autorem scholiorum marginalium inquiritur, quibus in hac divina Hieronymi bibliotheca libri V. T. ac imprimis tres posteriores Pentateuchi libri, nec non Josuæ liber, Regum volumina, Jobus, Psalterium & quidam alii illustrantur. Observat autem doctissimus Martianay, quem horum prolegomenorum autorem esse nulli dubitamus, scholiasten hunc, etsi doctus, & Hebraicæ linguæ peritus agnoscatur & ad stylum Hieronymi quodammodo accedat, ab Hieronymo tamen diversum esse, sed eundem cum autore quæstionum in libros Regum & Paralipomenon, quæ inter Hieronymi opera habentur. Notat insuper Autorem hunc seculo IX floruisse, & a Rabano Mauro Hebræum in scientia legis non mediocriter celebrem appellari, eidemque ex opusculis inter Hieronymi opera editis tribui debere librum de 10 tentationibus & epistolam ad Dardanum, quin etiam extare nondum hactenus editam ejusdem autoris lucubrationem in canticum Deboræ & commentarium in primam lamentationem Jeremiæ, etsi de posteriori tractatu nondum asseverare ausit, quod Hebræum illum scholiasten autorem habeat. In quarto denique eodemq; ultimo prolegomeno de variis librorum biblicorum in Capitula, Titulos & Breves divisionibus, deque illorum autoribus agitur, nec non distinctionibus versuum

 antiqui-

antiquitus usurpatis, item de metris in codice sacro ac imprimis in Psalmis occurrentibus. Verum cum ista sine prolixitate quadam recenseri non possint, pedem hic figere quam relatione nimis longa lectorem fatigare malumus. Illud tamen celare lectores nostros nolumus, esse penes doctissimos hos Monachos, quibus divinam Hieronymi bibliothecam debemus, etiam libros quosdam Biblicos ex antiqua versione Latina, Italica vulgo dicta, quos suo tempore se publici juris facturos pollicentur, initium a Matthæo facturi, propter ferventem controversiam duorum hujus temporis Scriptorum (*Simonii* & *Arnaldi*) qui occasione manuscripti Cantabrigiensis de antiqua versione Evangeliorum Latina, quæ in ecclesia occidentali ante Hieronymianam castigationem obtinuit, multa disputarunt. Utrius autem causæ potissimum MSC. codices faveant, post ipsorum codicum impressionem plenius cognitum iri dicunt; interim indicant, multa in suis exemplaribus manuscriptis legi, quæ ab utriusq; conjecturis longe absint, nonnulla vero, quibus nunc hujus nunc illius dicta vera esse comprobentur.

AD VIRUM MAGNIFICUM, D. JO. GEORGIUM Bœrnerum, JCt, &c. Epistola Christfridi Wachteri, D.

Dresdæ 1694, plag. 3. Prostat Lipsiæ apud F. Groschuff.

CONsultissimus Author (cujus epistolas quasdam alias, quibus perinde ac in hac Jo. Spenceri de origine legum ac rituum Mosaicorum doctrina examinatur, in Actis A. 1690 p. 182, A. 1692 p. 124, A. 1693 p. 35 & 519 recensuimus) cum vidisset Spencerum se passim locis e Chrysostomo petitis tueri velle, atque incautis tanti præsulis auctoritatem objicere, argumentum præsentis epistolæ non aliud statuit, quam ut extantiora illa loca omnia aut plurima saltem excuteret. Monens igitur primum quædam circa Henrici Savilii præfationem a Jacobo Gothofredo ad L. 1. C. Theod. de Respons. Prud. laudatam, adducit locum omnium difficillimum ex Homilia VI in Matthæum, καὶ γὰρ ἐξ Ἑλληνικῆς ταύτης παχύτητος ἔλαβε τὴν ἀρχήν, ostenditq; ex continua oratione Chrysostomi eum sensum emergere, qui Spencero parum placeat; etsi is verba hæc veluti pomum

mum aureum arripuerit, & Diſſertationes aliquot integras, Commentariorum inſtar, in hanc illius Homiliæ partem elaboraverit. Alter locus eſt ex Homilia XV. ad Ebræos, πάντα ταῦτα σεμνὰ ἦν καὶ λαμπρὰ τῆς Ἰουδαϊκῆς ἀγνωμοσύνης ὑπομνήματα; ubi iterum mens auctoris ita exponitur, ut divinum illud aſſertum de depoſitis in arcam tabulis teſtamenti aliiſque ingratitudinis & ferociæ Judaicæ monumentis, non tam Chryſoſtomo, quam Moſi Exod. XVI, 33. vindicetur, & a trophæis ignorantiæ multum differat. Poſt hæc textus alius Chryſoſtomi in Pſalmum CXXI illuſtratur ex ejusdem dictis ad Pſalm. XLIX, atque iterum locus ex Oratione ſecunda adverſus Judæos ex Oratione adverſus eosdem tertia lumen ſuum accipit. Rurſus Oratio prima ex Homilia de S. Acacio, iterumque ex Hom. XIII, XXXII & XXXV in Johannem Hom. VIII ad Romanos, ac præſertim ex Hom. XVI in Matthæum ita conciliatur, ut appareat Chryſoſtomum tantum non ipſam Spenceri hypotheſin tetigiſſe, *Si Chriſtus implevit legem, tantummodo ſtudio attrahendi ad ſe Judæos*, (quæ illius perpetua chorda eſt,) *cur non etiam Gentilium ritus & conſuetudines ſervavit, ut per hoc quoq; Gentiles poſſet attrahere?* Jam ne ex Homilia de S. Acacio quidquam prodeſſe videatur Spencero, quam pro ſua ſententia allegavit, integra verba afferuntur in medium, ex quibus pateat, Spencerum illa aut non legiſſe aut diſſimulaſſe. Equidem in Homil. XII ad Pop. Antioch. conſentientem videri habere Chryſoſtomum; Homiliam autem XXII. ad Hebræos docere plane alia. Ac ne ſuſpicetur quisquam, eum vel ex Pythagoræ, vel Platonis ſchola attuliſſe quædam ſecus dicta in Eccleſiam, recitantur judicia Chryſoſtomi de iisdem ex Hom. LXV in Johann. & Hom. IV. in Acta Apoſt. Imo in Hom. LXV. in Johann. Porphyrii etiam mentionem ſequiore admodum encomio fieri, ex conjectura Savilii: quod cum Spenceri ſtudiis, ſubinde laudantis Porphyrii placita, omnino pugnet. Additur huic conjecturæ locus alius ex Homil. VIII in Johann. ex Hom. VI in I. ad Cor. & Hom. IV. in Acta. Quæ omnia ab interpretibus Latinis paſſim depravata, non pauca etiam omiſſa, aut diverſo ſenſu & ordine collocata innuit Auctor & ſubinde emendat. Atque ex his adeo judicandum eſſe, an Chryſoſtomus locutus alicubi ſit imprudentiuſcule, & num-

& num ei aliud agenti & in fervore orationis quædam elapsa sint, quod Cl. Wayeno Diss. de Hirco Azaz. §. 220. & 403. fuerit visum. Nuper etiam Jo. Meyerum, Academiæ Hardervicianæ Professorem, de Orig. & Causs. Festorum Cap. 1. §. 14. dicere, *Chrysostomum ritus & antiquitates Hebræorum haud satis penetrasse*. Nihil allatum tamen, quod imperitum quomodocunque arguat. Detersisse sane Meyerum loca nonnulla Rabbinorum; Synagogam autem Buxtorfii toties ab eo laudatam, legendam potius cum observatione Cl. Dassovii, *eum intendisse præcipue describere vivendi rationes Judæorum hodiernorum Germanorum, qui ad fæcem gentis Judaicæ referri debeant: a quibus ad florentem Dei populum concludere velle fore absurdissimum.* Atq; ea occasione stimulum addi Cl. Viro optat ab illustri Dn. Bœrnero, ut Spenceri & Grotii Mornæique allegationes Rabbinorum, quod auditoribus ille suis pridem obtulerit, excutiat. Ita enim fore, ut non una aquila facile deplumetur. Inde ad Criticum sacrum Riveti respiciens Autor dubitat, an apud Chrysostomum repererit notabilem illam confessionem, *se sæpe declamatorie loqui, non vere.* Sane Sixtum Senensem vocari in partes probationis hic non posse, qui Chrysostomum Ambrosio & Hieronymo atque Tertulliano diserte anteponat. Vossium etiam in Historia Pelagianismi omnia a Chrysostomo dicta excusare potius quam reprehendere. Joannem Dallæum, si in confessionem istam incidisset, tum vero Petrum Martyrem perpetuum nostri censorem, utique eam non fuisse dissimulaturos. Mirumque, ne ab Hottingero quidem rem istam accuratius indagatam & dilutam Georgium Hornium autem in Historia Philosophica vix meminisse Chrysostomi, eo etiam loco, quo id fieri commode potuerit. Colbergium tamen fundum hunc, circa dogmata priscorum eorumque successionem, colendi spem aliquam fecisse, primis erroribus hæresiarcharum ex Platonis schola arcessitis. Nisi quod Chrysostomum Hom. XVI & XVII in Matthæum, ab ista labe plane excuset. Sed & de eo dubitari posse, an Simon Magus, & Cerinthus, atque Ebio, ac Cerdo, Marcioque occasionem errorum suorum vere a Platone acceperint, num vero indocte & ingrate titulo Platonis fuerint abusi? Quod posterius a Clemente Alexandrino summo jure

jure assertum ex Thomæ Stanleji Historia Philosophiæ Orientalis ita illustrat Autor, ut in locum Platonis rectius Zoroastrem, eumque non Chaldæum sed Persam substituendum, atq; adeo brevi manu monstrandum hunc potius, circa principia duo coæva, errantium ducem, conveniens videatur. Genuinam autem originem dogmatis Simonis illius Samaritani, quod Lex & Prophetæ non sint a bono Deo, in medium productam jam pridem esse ab Irenæo, Platonicæ Theologiæ parum consonam. Et Platonis mentem in diversa omnia flectere Petr. Dan. Huetium in Quæstionibus Alnetanis. Spencero etiam an faveat Huetius L. II. cap. 20, lectori arbitrandum fore. Quæ enim ibi dicantur de sacramentis, adeo non jugulare Gentiles, vel Spencerum ipsum, ut consentanea queant apparere. Deniq; discrimen aliquod, ut pro Spencero non minus dicatur, constituitur, quo ejus tradita a Spinozæ hypothesibus distinguantur. Illum enim origines legum Dei adhuc sacras ponere, hunc plane profanas, atq; in quendam Machiavellismum sacrum incidisse, neque hos invicem Scriptores facile miscendos.

M. VELLEII PATERCULI QUÆ SUPERsunt.

Oxoniæ, e Theatro Sheldoniano. A. 1693, in 8, chart. aug. Constant plagulis dimidiatis 36.

NItidissimo huic Scriptori, quem sub Tiberio floruisse constat, exornando plures jam olim suam commodarunt operam. Postquam enim seculi superioris anno vigesimo *Beatus Rhenanus* ad fidem codicis MSti Morbacensis Basileæ ipsum edidisset, ibidem postea A. 1546 *Frobenius* eum evulgavit, repertique sunt ex illo tempore multi alii, quos inter *Justus Lipsius* qui A. 1607, *Antonius Thysius* qui A. 1668, *Robertus Riguez* e Soc. Jesu qui A. 1675. in usum Delphini, Historiam hanc non sine notis atque observationibus legendam orbi erudito exhibuerunt. Ut nihil nunc dicamus de *Aldo Manutio*, *Henr. Stephano*, *Jano Grutero*, *Jo. Ger. Vossio*, *Nic. Heinsio*, quin & aliis idem cum recensitis negotium accurate prosecutis. Sed *Jo. Henr. Bæclerum* reticere nefas esset, qui in Characteribus præcipue Vellejanis, A. 1642. primum impressis, optime omnino de eodem meruit.

ruit. Horum itaque vestigia secuturus noster Editor, Autorem hunc una cum integris insignium criticorum notis sistere constituerat, sed alii reservare tempori industriæ hujus publicationem coactus, id solum egit hac vice, ut textum, quoad fieri potuit, sanum atq; integrum exhiberet, & ad impressorum exemplarium indicium (MSta enim omnia, Morbacensem quoque codicem, qui unicus Vellejum conservarit, injuria temporum erepta queritur) variantes lectiones excerperet, easque ad imam paginam subjiciendas curaret. Indicem præterea novum & uberrimum rerum & verborum, seu potius, ut ait, locutionum Vellejanarum subjunxit; quemadmodum præmisit communicatos secum ab eruditissimo *Dodwello* Annales Vellejanos, seu Vitam Velleji Paterculi pro temporum ordine dispositam; ubi, id quod nemo fecit hactenus, natales ejus ad annum Urbis Varronianum 735 referuntur, & alia jucunda pariter ac utilia, quæ ad Velleji conditionem plenius noscendam faciunt, copiose deducuntur. Ex accurata enim, quam Dodwellus in eo genere exercitatissimus instituere voluit, computatione temporis, & annorum, quibus diversos honores Vellejus adierit, strictiori denominatione id patere affirmat, quod anno Urbis Varron. 749, ætatisque Velleji decimoquarto finiente, togam is virilem induerit, ac inde tyrocinium ejus in militia equestri deducendum veniat, cujus primum gradum Præfecturam cohortis hoc anno susceptam constituit. Anno 752 ad secundum equestris militiæ gradum, Tribunatum scilicet, eundem adscendisse, cumque isto laticlavium etiam cepisse; anno 754 ad gradum militiæ equestris tertium, castrorum nempe Tribunatum, hunc fuisse evectum, & ab anno 757 continuo novennio Tiberio in Germania bellanti se adsociasse perhibet. A. 765 triumphasse refert Tiberium, quodq; illum triumphantem secutus sit Vellejus, donis militaribus tunc insignitus, superaddit. Ejusdem anni die decimo Decembris hunc inivisse plebis Tribunatum, A. 767 Prætorem designatum, istamque dignitatem A. 768. eum tenuisse docet. A Prætura autem hac nullum reperiri notat honorem Velleji alium, ne provinciam quidem Prætoriam, multo minus Consulatum. Nec satis patere arbitratur, utrum studiis ille an deliciis Tiberii annos secutos impenderit; fieri tamen posse, ut ab utrisque se non alienum gesserit.

rit. Ingenii interim sui primitias in gratiam Vinicii consulis, ipso ejus consulatu, annoque adeo Varroniano 783, illum emisisse, ac tandem A. 784, Christi, pro æra recepta, A. 31, ætatis vero suæ vel 49 ad finem exeunte, vel 50 fortasse cœpto, cæsum videri propter Sejani amicitiam, concludit.

LEXICON PHILOSOPHIÆ MORALIS, AUTORE M. DANIELE RINGMACHERO, in Gymnasio Ulmensi Moralium Professore Publico.

Ulmæ, literis & impensis Kühnianis, A. 1694 in 8.

Constat 2. alph. $2\frac{1}{2}$ plag.

L*Exici Philosophiæ Moralis* titulum libro huic indere Cl. Autori eam ob rationem placuit, quod necessarias plerasque & præcipuas in Ethicis Politicisque occurrentes definitiones & divisiones, non paucis exemplis monitisq; illustratas, in eodem exhibuit. Eo namq; tendunt partes singulæ, ex quibus opus hoc componitur, & quarum cognitio ex ipsa libri inscriptione prolixiori haurienda conceditur. Primo nimirum loco *Theatrum sive Catalogum virtutum & vitiorum* cernas, ubi utrinque brevi ac perspicua methodo natura uniuscujusq; exponitur; prout & antehac virtutum heic occurrentium & uno perpetuoq; benevolentiæ vinculo connexorum fontes atque rationes, quatuor Dissertationibus de benevolentia universali omnibus erga omnes sincere colenda ostenderat, easque sub titulo *Cumberlandii illustrati* separatim ediderat. Istum deinde Catalogum excipit *Tabula Tabularum Ethico-Politicarum a B. Jac. Thomasio adornatarum*, quam Noster geminam effecit, & observationibus quibusdam auxit atque illustravit. Sed cum nondum explicari singula, quæ ad hoc negotium requiruntur, in his duobus opusculis potuerint, tertio loco *Manuductionem ad B. Dürrii Institutiones Ethicas* addidit, singulorum capitum summaria, Auctoris ipsius, si forte recudantur, Institutionibus commode præfigenda condens, & axiomata quædam practica, itemq; exempla non ex Ethica solum paradigmatica B. Dürrii, sed lectione quoq; propria, adjungens. Quemadmodum vero doctrinam *de medius & adminiculis virtutum, deque affectuum & vitiorum remediis*, uberiori excussione prosequi constituit, ita

nunc prodromi velut cujusdam vice, ea in compendium redegit, quæ de remediis modo memoratis a Cl. Omeisio in arte regendorum affectuum, Ethicæ suæ Pythagoricæ addita, congesta sunt, atque his excerptis monita, axiomata, & exempla nonnulla politica, juxta seriem Tabularum Politicarum J. Thomasii disposita, in locum appendicis subjecit, ac denique sufficientem horum omnium *indicem* studiose construxit, explicatis in eo simul terminis, qui superius omissi fuerant. De cætero in exemplis monitisque hactenus commemoratis sacra subinde profanis, sed salvis tamen Philosophiæ ac Theologiæ discriminibus, jungere Autori libuit, ut isto pacto naturæ, quatenus ea recti quid in sese adhuc continet, cum Scriptura, & hujus cum illa, in moralibus harmoniam eo felicius ostenderet.

AUGUSTANA CONFESSIO XX. DISSERTATIOnibus proposita a JOH. KAHLER, S. Theol. D. ejusdemq; ac Mathem. & Metaphys. Prof. Ordin. in Academ. Rinteliensi.

Rinthelii, typis Godofredi Caspari Wächter, A. 1694, in 4. Constat 1. alph. $8\frac{1}{2}$ plag.

EXemplum eorum, qui in Augustanam Confessionem, librum inter Ecclesiæ nostræ Symbolicos primarium, justa divulgarunt commentaria, nuper etiam celeberrimus Kahlerus sequi voluit, dum in Academia Rintheliensi, ubi jam Doctoris fungitur officio, has ipsas, quas nunc exhibemus, Dissertationes publice proposuit. In iis enim sibi hunc scopum præfixit, ut sensum ante omnia articulorum ibi occurrentium dilucidet, doctrinam quoque invariatam dictis Scripturæ potioribus corroboret, controversias, sicubi obveniunt, illustriores explanet, adversariorum argumenta in contrarium urgeri solita passim enervet, factamque a Confessoribus antithesin subinde prolixius deducat, studiose interim Lectorem ad probatos Auctores, qui cuncta pertractaverint uberius, remittens. Dabimus in specimen vel unicum exemplum, summam nempe Dissertationis *tertiæ*, quæ spectat ad articulum de *peccato originis*, cujus causam statim ab initio investigat, videlicet lapsum Adamiticum, verbaque A.C. *post lapsum Adæ* non tempus solum, quo esse P.O.

ince-

inceperit, sed causam præterea qua posita in actu effectus eodem momento fuerit secutus, denotare asserit. Postea P. O. non meram esse privationem ostendit, & quo sensu Apologia A.C. id vocarit concupiscentiam, declarat. Dissentientes autem ex suis hypothesibus corruptionem humanæ naturæ non recte explicare posse superaddit, nec privativum cum positivo heic concurrens pugnam aliquam involvere largitur. Ulterius de P.O. una cum natura in posteros propagatione agit, controversiæ de immaculata B.Virginis conceptione agitatæ historiam recenset, propagationem animæ rationalis commodissimam esse viam statuit transfusionem hujus peccati in posteros vindicandi; quoddam etiam Curcellæi argumentum, adversus doctrinam de inordinata concupiscentia per generationem ab Adamo in nos transmissa, ferente ita occasione elidens. Denique nonnihil disserit de reatu P. O. & ejus robore ad condemnationem, ac sententiam, quæ istud pro causa sufficiente, non adæquata, damnationis habet, examinat, locoq; ultimo de infantium non baptizatorum salute bene omnino sperandum esse contendit. Ad modum ergo hactenus recensitum cum & in cæteris ubiq; processerit, dubium haud est, quin valde commendari mereatur hæc Max. Rev. Auctoris industria, pariaq; sibi Lector pollicebitur de iis dissertationibus, in quibus abusuum Confessioni subjectorum delineationem ab eo institutam propediem conspiciet.

IL FUOCO RISTRETTO ET UNITO &c.

h. e.

Ignis coarctatus & unitus, sive novus modus ignem alendi, conjunctus singulari cum munditie, commoditate & utilitate, editus a Laurentio Maria Pagliarini, & illustriss. ac reverendiss. Dn. Ciampino dedicatus.

Romæ apud Franc. Leonem, 1694. 8. plag. 2. tab. æn. 3.

NOva, quam Pagliarinus a se inventam describit, ratio ignem alendi modico cum sumtu, tripodis requirit fabricam fasciis ferreis cincti, & muniti operculo, quique fornaculæ instar chymicæ calorem, ne dispergatur, cohibet. Is foco imponitur crassis lami-

nis ferreis aut lapidibus constrato, quibus insunt foramina hemisphærica, in quæ inseruntur globi ferrei aut ænei 25 circiter librarum, annulis, quibus apprehendi rursusque eximi possint, instructi. Quo fit, ut dum calor ascendens res tripodi impositas excoquit, ille qui deorsum fertur, ita globos ferreos calidos reddat, ut, si ollæ aqua plenæ ipsis adponantur, non secus ac validus ignis eam bullientem reddant. Accedit hæc utilitas, quod globi probe igniti, si aquæ frigidæ immittantur, eam statim ferventem reddunt, possuntque illis, qui hyeme iter faciunt, inservire ad frigus arcendum, vel alias etiam ad lectos calefaciendos, quia metalla, inprimis pannis involuta, conceptum calorem diu retinent. Quos aliosque usus laudatus Auctor pluribus exponit, adjectisque schematibus ostendit, quomodo tripodis constructio variari possit. Non ingratum vero Lectori benevolo fore putamus, si commemoremus, ferramenta tum oblonga tum rotunda candefacta, ad usus quoque chymicos adhibere docuisse Adamum Bruxium Sprotta Silesium, Medicinæ Doctorem & Medicum Halensem apud Saxones, qui in epistola, qua Simonidem redivivum, editum Lipsiæ A. 1610, dedicavit illustrissimo Hassiæ Landgravio Mauritio, fornaculæ descripsit constructionem, qua in museo mensaq; spiritus vini destillari, olea rectificari, & extracta, salia, aliaque id genus calorem mediocrem oculumque diligentem desiderantia, sine flammæ aut carbonum ope præparari possunt.

LE SECRET DES COURS.

i. e.

Arcana Aulica, sive Diarium Walsinghami, Reginæ Elisabethæ quondam Secretarii Status, cum notis Roberti Nantonii.

Coloniæ, 1695. in 12. Plag. 16.

HAud ignobilem esse eam civilis doctrinæ partem, quæ aulicum instruit formatque, omnes quidem, ut puto, concedent, nemo autem æque intelligit, ac qui experiundo didicit, quam sit varia vitæ aulicæ commutabilisq; ratio, quam vaga volubilisq; aulicorum fortuna. Vix equidem fieri posse arbitror, ut certis præceptionibus, regulisq;, quantumvis præclaris & exquisitis, tradi & explicari queat,

quo

quo pacto ubique munere suo rite fungi aulicus possit. Prudentum tamen non spernenda sunt monita, præsertim eorum, qui non umbraticam vitam sectati sunt, sed usu & experientia didicerunt, quid fœdum inceptu exituque sit. Rem itaque prudentiæ civilis cultoribus longe gratissimam eum fecisse arbitramur, qui huncce Walsinghami libellum publicæ exposuit luci. Fuit sane Walsinghamus inter proceres prudentissimosq; viros, quibus Elisabethæ Angliæ Reginæ aula superbiebat, non infimus. Camdenus hujus rei testis locuples est: sed & Jacobi Melvilli hoc nos edocent Commentarii *p. 460.* Gravissimis insuper negotiis admovebatur, ut si quis alius, Walsinghamus certe, & aulæ & fortunæ aulicæ, ipsorum quoque Principum genium, perspectum plane exploratumque habuerit, aliisq; adeo viam, quam calcaverat ipse, monstrare potuerit.

Ast eundo per capita rerum, summam operis designabimus. Non omnibus aulicis unum eundemque constitutum esse finem, nec eandem omnes, ut voti damnentur, ingredi viam, asserit *Capite I.* Ad Principis favorem comparandum, aditum munit *Cap. II. & III.* Principis illorumque, quos favore suo complectitur, genium explorare accuratius docet *Cap. IV.* aulici quoque esse contendens, Principis cupiditatibus suas attemperare. Bonos vero cordatosq; viros in aulis infrequentes esse, improbis contra, scelerumq; & flagitiorum architectis aulas omnes affluere: quia in hos, quam illos, propensiores ut plurimum esse Principes, conqueritur *Cap. VI.* Sed & assentatorum non minor adest copia. Non tamen nefas est assentari & adulari quandoq; Principi, modo honestatis & prudentiæ limites, ab Auctore hic constitutos, non transgrediatur adulatio, *Cap. VII.* Consilium si ab aulico exigat Princeps, ut caute in eo suppeditando & modeste se gerere debeat, Autor docet *Cap. VIII.* Si aulicum ea exequi Princeps jubeat, quæ fieri secus non possunt, quam ut & se & Principem det præcipitem, muneri imposito ita se subducat, ne tamen Principis a se alienetur animus, *Cap. IX.* Principes, æque ac ceteros homines, vel ad amorem rapit sanguinis vis, vel ad iram bilis: ad ætatem quoque, vel præsentis negotii rationem, consuetudinem itidem, atque morbos, aliam indolem & mens & corpus induunt; accedit vanissimorum hominum turba, fumum Principi

cipi venditantium: alios itaq; aliosque subinde Principum esse mores, mirum non est. Aulici vero est, polypodis instar semper ad genium Principis se componere: atq; hæc inculcat sedulo *Cap. X, XI, XII.* Eos quorum consuetudine Princeps delectatur, quiq; illi a servitiis primariis sunt, novus aulæ hospes præcipue sibi conciliet. Viam rationemq; monstrat Auctor *Cap. XIII.* Aulicorum quatuor sunt genera. Quosdam natalium commendat claritas, utut Principis destituantur favore. Aliis Principis frui favore contingit, qui nullis tamen ceteroquin honoribus sunt insignes. Sunt, quos munerum & dignitatum splendor in sublimiori collocat gradu, ast minus propenso in eos est animo Princeps. Aliqui utroque fortunæ munere gaudent. Omnes quidem, si eos irritaveris, æque nocere, ast non omnes æque prodesse possunt. Quo pacto igitur aulicus erga singulos sese gerere debeat, edisserit *Cap. XIV. XV.* Vix tamen fieri potest, ut quis omnibus placeat. Sæpius etiam contingit, ut quis vel ideo displiceat, quia aliis est addictus. Interdum penes ipsum stetit, ut alieno ab eo sint animo. Hæc ergo tela rite excipere, artibusque malevolorum, quæcunq; demum eos in nos armaverit causa, prudentia munitum opponere pectus docet *Cap. XVI & XVII.* Quandoque latet odium, quandoque erumpit. Sæpius nec ab injuriis sibi temperant. Hæ quandoque ferendæ, interdum vindicandæ. Vindictæ tamen non nimis quis indulgeat, aut potentioribus se opponendo, iræ suæ prodat vanitatem. Nec tamen lenem nimis facilemque se præbeat, aliosque, impune sibi insultari posse, doceat, ne omnium exponatur contemptui, *Cap XVIII.* Ad pugnam cum invidia prompte feliciterque ineundam aulicum præparat *Cap. XIX.* Æmulos vincere docet *Cap. XX.* Fortunæ varietati & inconstantiæ obviam ire monstrat *Cap. XXI.* Nimirum prudentis est, imminentem fortunæ adversæ ictum aut declinare, aut ipsa quoque adversa ad gloriam suam commodaque flectere. Hæc omnia exemplis virorum illustrium comprobat dicto capite, præcipue illorum quos perfidia præcipites in casum dedit. Sejanus hic primum tenet locum, cujus fata accuratius expendit. Perit autem aulicus vel per sua vitia, vel per inimicorum artes, vel per genium aut mortem Principis. Ut suis sibi quis vitiis perniciem attrahat,

hat, multiplici iterum contingit ratione. Multos ſane aut jactantia, aut arrogantia, aut nimia cum Principibus familiaritas & conſuetudo peſſumdedit. Hoc demonſtrat *Cap. XXII.* Faſtus præcipue, Procerum & illorum, qui gratia Principis florent, animos ab aulico alienat: hunc ergo, ut procul faceſſere jubeat, denuo monet *Cap. XXIII & XXIV.* Secretorum proditores ſiſtit ibidem; ubi addit, felices eſſe eos, quibuscum arcana ſua non communicant Principes. Eſt & alia aulicis ad perniciem via, multorum ſignata veſtigiis, fœdera nimirum cum hoſtibus inita & ſceleſtiſſimæ conſpirationes. Documenta huc ſpectantia *Cap. XXV.* ſiſtit, cauſasq; & varios conſpirationum modos expendit. Conſilia quoque parum oportuna auctoribus ſæpius pernitioſa fuiſſe, experientia docuit. Quare ut nunquam ſuadeat aulicus, quæ ſuaſiſſe eum pœnitere poſſit, inculcat *Cap. XXVI.* Jam & aliorum fraudibus multos ſuccumbere, in ſequentibus oſtendit. Enimvero perquam ſolenne eſt, illos quibus male cupiunt rerum domini, ſub honoris ac dignitatis ſpecie ab aula amovere, ut abſentes facilius perdant; aut contra, alios quos munerum auctoritas, resque feliciter geſtæ, extra fortunæ ictum collocaverant, in aulam arceſſere; aliis denique alia ratione inſidias ſtruere, *Cap. XXVII.* Quin ad calumnias ſe recipere, fictos teſtes dare, literas comminiſci, ſumere amicitiam obtentui, genioque Principis fraudes ſuas attemperare, quotidianæ ſunt aularum artes. Haſce ergo evitare docet Noſter *Cap. XXVIII* usque ad *XXXI.* Addit quædam de laudibus, quibus eum ornare callidi homines ſolent, quem dare præcipitem decreverunt, *Cap. XXXII.* Tandem & nonnulli per pravam Principum indolem ſalvi incolumesq; eſſe nequeunt. Tantum enim abeſt, ut merita miniſtrorum ſemper Principis amorem illis concilient, ut ſæpius attrahant odium. Principibus quippe & id obtingit, ut tantum de ſua detrahi gloria exiſtiment, quantum accedit alienæ. Hic ergo, quodnam prudentis viri ſit officium, ediſſerit *Cap. XXXIII.* Sed &, cum per mortem Principis aliam aula induat faciem, plerumq; perdifficile eſt, in eodem fortunæ gradu, in quo quis poſitus eſt, ſe tueri. Prudentiæ tamen omnia cedere, evincit Auctor *Cap. XXXIV.* Subnectit monitum ſaluberrimum, ne unquam ſe oſtentet aulicus, quantoq; ipſum Princeps proſequatur affectu, quanto polleat auctoritate, glorietur, *Cap.* XXXV. Nec

Q abu-

abutatur favore Principis: adversa autem æquo animo ferat, *Cap.* XXXVI. Sitne stabilis ac constans Principis favor, exploret, *Cap.* XXXVII. Obsequium suum semper quidem Principi probet, ast non tamen in iis, quæ sine turpitudine fieri nequeunt. Nimirum Principes libidinum turpiumque cupiditatum ministros, utut initio pluris facere eos videantur, tandem tamen execrari & aversari, observat. Reliqua capita varia monita, utique non contemnenda, promiscue exhibent.

Ceterum præcepta sua exemplis illustribus ex historiarum monumentis depromptis, Walsinghamus roborat. Cumprimis vero C. Cornelius Tacitus, utramq; hic facit paginam. Uno alteroque hoc demonstrare documentis, ut genius libri eo rectius omnibus innotescat; non abs re fortasse erit. Nimirum, postquam *Cap. II.* asseruerat, alios eundo per gradus variaque munera ac dignitates, quosdam Principi semper adhærendo, utut muneribus non sint admoti, favorem Principis sibi comparare, Sallustium atque Mellam, ad fidem huic asserto faciendam, in subsidium vocat. Et ille quidem, *quanquam prompto ad capessendos honores aditu, Mæcenatem æmulatus, sine dignitate senatoria, multos triumphalium consulariumque potentia anteiit. Diversus a veterum instituto, per cultum & munditias; copiaq; & affluentia luxu proprior. Suberat tamen vigor animi ingentibus negotiis par; eo acrior, quo somnum & inertiam magis ostentabat,* teste Tacito *Annal. lib. III.* Hic autem iisdem *quibus Gallio & Seneca parentibus natus, petitione honorum abstinuerat, per ambitionem præposteram, ut eques Romanus consularibus potentia æquaretur. Simul acquirendæ pecuniæ brevius iter credebat, per procurationes administrandis Principis negotiis. Annal. lib. XVI.* Sic de adulatione præcipiens *Cap. VII*, servilem illam atque absurdam, ne ipsis quidem probari Principibus, observat. Tiberius sane, teste Tacito, sordidam talem Senatorum adulationem detestatus est. *Memoriæ proditur,* inquit, *Tiberium quotiens curia egrederetur, Græcis verbis in hunc modum eloqui solitum: O homines ad servitutem paratos! Annal. lib. III.* Contra ea demum adulatio Principibus non displicet, quæ laudibus, quas se promeruisse putant, cumulantur; quæve adeo nihil a veritate aut ratione alienum illis tribuit, atque ingenuæ cujusdam libertatis sese commendat specie. Hoc postquam exemplo Crœsi & Cam-

& Cambysis comprobavit, Valerium Messalam etiam prodire jubet, cujus adulatio in exemplum, apud posteros etiam, merito abiit. Cum enim dixisset, renovandum per annos sacramentum in nomen Tiberii, interrogatus a Tiberio, num se mandante eam sententiam prompsisset, sponte dixisse respondit, neque in iis quæ ad rempublicam pertinerent, consilio nisi suo usurum, vel cum periculo offensionis. *Vid.* Tacitus *Annal. lib. I.* Huc & illud refert, quod apud eundem de Atejo Capitone legitur *Annal. lib. III.*

In Observationibus Roberti Nantoni, tum Elisabethæ Reginæ Anglicanæ, tum aulicorum ejus mores & fata referuntur & examini subjiciuntur. Hic ergo, quæ præceperat Walsinghamus, exemplis, quæ aula longe celeberrima florentissimaq; suppeditavit, comprobantur. Præter ipsam vero Elisabetham in hac scena comparent Leicestriæ Comes, Sussexiæ Comes, Guilielmus Cecilius, Philippus Sidney, Franciscus Walsingham, ceterique qui Elisabethæ aut a consiliis, aut a ministeriis aulicis, quamdiu rerum summam tenuit, fuerunt. Quantam vero lucem hæ observationes, elegantissimæ profecto, & non quotidianæ, præceptis Walsinghami afferant, vel unico comprobandum est documento. Nimirum, ut aulicus dignitatis, quem occupavit, gradum, cum per mortem Principis aulæ mutatur facies, retineat, raræ cujusdam felicitatis esse, consummatæq; prudentiæ virum arguere, Walsinghamus *Cap. XXXIV.* docuit. Apprime huc facit, quod Robertus Nantonus, de Winchestriæ Marchione & magno Thesaurario refert. Huic enim tam felici esse licuit, ut sub quatuor, qui se invicem ordine exceperunt, Principibus, faventem sibi semper propitiamque fortunam, & propensum Principum in se animum fuerit expertus. Interrogatus itaq;, qua ratione tamdiu, in tanto fortunæ fastigio, inter tot illustrium virorum casus, & aulæ crebras mutationes, se tueri potuerit, sapientissime respondit: *Ortus sum ex salice, non ex quercu, p. 266.* Sed hæc delibasse sufficiat.

JO. HELVICI SINOLDI DICTI VON SCHUZ AD Jus publicum & Feudalia placita Prælectiones academicæ.

Francofurti & Wezlariæ, sumptibus Christophori Olfen, 1694, in 4.
Constant alph. 6. plag. 11.

QUia in examinandis & decidendis controversiis Rerumpublicarum, juris civilis usus non adeo est frequens & magnus, non minori studio jus publicum excolendum est quam privatum. Quo enim magis quisquam in illo profecerit, hoc ad publicas causas dijudicandas erit aptior, & negotiis publicis admoveri poterit rectius. Hinc factum, ut seculo hoc multi Scriptores in publico jure tradendo, inque artis formam redigendo, utilem operam posuerint. Quibus merito annumerandus illustris & in magna dignatione constitutus, dum viveret, aulæ Brunsuico Cellensis Cancellarius *Jo. Helvicus Sinoldus Schützius*, qui artem quam magna cum laude & provinciarum potentissimi Heri sui utilitate aulæ admotus exercuit, cum in Academia Giessensi ætate viridiori juvenum studia regeret & jura doceret, dexterrime commonstravit. Quod cum compertum haberet bibliopola, & publici juris scientiam a pluribus hodie expeti, illustrem autem hunc Virum in eo tam præclare versatum intelligeret, ut istius cognitio & usus ad ingens dignitatis & splendidissimi muneris decus ipsum evexerit; non religioni duxit, Systemati juris publici & feudalis, quod alius composuerat, excelsum Viri nomen præfigere, lucrum tanto certius sibi pollicitus, quo majori fama iste pollet. Non inquiremus in libri indolem, nec quo loco habendus sit definiemus, quod arbitrium instituti etiam nostri prohibet ratio. Id modo indicandum fuit, quod illustris Viri Hæredes summo loco constituti nobis suggesserunt, ab ipso librum hunc conscriptum non esse, nec Prælectiones ad jus publicum, quas ante hos triginta & amplius annos ab eo expositas in privatis scholis, & a jurisprudentiæ hujus cultoribus calamo exceptas fuisse Bibliopola memorat, eum agnoscere auctorem quem titulus præfert, solaq; adeo lucelli spe adductum librarium hederam tam splendidam libro suo suspendisse. Cæterum cum opus ipsum, quisquis ejus auctor fuerit, ante complures annos fuerit elaboratum, ex eo autem tempore mutationes insignes aliaq; observatu digna in Imperio Rom. Germanico contigerint; non dissimulamus, adjectum illi esse a Viro quodam negotiorum publicorum curioso Spicilegium, quo & recentiores indicantur scriptores, ex quibus Prælectiones illæ suppleri possint, & Acta quædam publica exhibentur non ubivis obvia.

IN

IN HIPPOCRATIS APHORISMOS AD CHIRURgiam ſpectantes commentaria, edita a BERNARDINO GENGA de Mundulpho Status Urbini, Phil. ac Med. Doctore, in venerabili Archioſpitali S. S. Chirurgo, Primario Decano, ac Chirurgiæ & Anatomes Profeſſore, Latino ac Italico idiomate ad communiorem intelligentiam exarata.

Romæ typis Rev. Cam. Apoſt. 1694. in 8. Conſtant alph. 1. plag. 10.

UT in genere, qui inexhauſti quaſi ſunt textus, diverſimode tractati viſuntur in omni genere literaturæ; ita idem & circa Aphoriſmos Hippocratis factum videas. Hinc & non univerſi æq; & conjunctim a commentatoribus illuſtrati ſæpe, ſed hi illi ſolum, pro autorum placito. Inter hos nobiliſſimus hic noſter quinquaginta ſibi e reliquorum numero ſelegit, eosque ad Chirurgiam ſpectantes ſolum.

Explicat ergo eosdem in hunc ſcopum & applicat. V. gr. in carbunculis neceſſariam ſcarificationem commendans, ſenes cautius heroicis operationibus ſubjiciendos monet, imprimis hyeme, ubi ſenes bis ſenes, ſicut æſtate ſemiſenes vocat. Conſultationes plurium chirurgorum & medicorum damnoſas ſæpe ſcribit, non aliter, ac ſi vitrum mundandum pluribus committatur. Tumores circa anum & in canto interno oculi quam citisſime aperiendos memorat, ne in fiſtuloſa ulcera abeant.

Materiam puris cum Anglis a ſucco nutritio, non a ſanguine derivat, ſecretione partium albarum & lactearum, in ipſomet ſanguine contentarum, facta, conferente acido. Nervos & tendines vulneratos conſutos fuiſſe & ad perfectam ſanitatem perductos, nugas cenſet & ridiculas jactationes. A contuſione capitis ſanguinem extravaſatum poſt aliquod tempus, tum per alias partes, tum per oculos extrudi, apparentibus ecchymomatibus; ubi cavendum monet a repellentibus. Non promiſcue ad trepanationem vel paracenteſin thoracis vel abdominis deveniendum eſſe, ſed ſolum quando ipſa natura repurgandi modum non aſſequitur.

Per cancrum occultum intelligit non tantum non exulceratum, vel in recondita aliqua parte, ſed in ſanguine latentem cum ſuo inquinamento, unde etiam curatos per duos plus minus annos

visos, redundante tandem ad lienem malo, ibique cancro contracto, mortuos refert; in quibusdam etiam symptomata cancri, modo in mamma, modo in toto se exerentia reciprocasse, historia monialis confirmat.

Ossium separationem in ulceribus, non tam siccantibus & rasione, quam facilius longe humidis & pinguibus præstari asserit. Ossium glutinationem interdum difficillimam, quin impossibilem esse, peculiari naturæ vitio, & non artis defectu, exemplis comprobat. Observavit etiam ligamenti rotundi femoris defectum, ustionem ischiadicam cum successu, dolore statim sedato factam, & modum hepatis inurendi docet.

Hinc inde quoque quæstiones dilucidat & problemata, ut de medico sene, chirurgo juvene, de usu albuminis ovi in recentibus vulneribus &c. Addit animadversiones, interspergit exempla & observationes, ut abscessus circa umbilicum aliaque, quæ partim directe & speciatim spectant ad Chirurgiam, partim communia sunt, & illuc applicari queunt, ex veterum & recentiorum hypothesi.

DIVERS OUVRAGES DE MATHEMATIQUE ET de Physique par, Messieurs de L'Academie Royale des Sciences.

h. e.

Varia Opera Mathematica & Physica ab Academicis Regiis Scientiarum elaborata.

Parisiis ex typographia Regia, 1693. fol. plag. 108.

Maximam hujus operis partem constituunt *Dn. Frenicle*, & *Dn. Roberval* Opera posthuma, quorum editioni præfuit *Dn. de la Hire*, adjutus a *Dn. Sedileau* & *Dn. Pothenot*. Quandoquidem autem opera Dn. Frenicle junctim edita sola spissum volumen complerent, ex omnibus quædam selegit, primoq; loco posuit *Tractatum de Exclusionibus*, quoniam methodus illo comprehensa peculiaris fuit Freniclio, & solicite ab ipso celata, quum ea usus fuerit ad difficillima problemata Arithmetica solvenda. Summa hujus methodi sequentibus ab ipso traditur regulis, quas ipsas deinde pluribus exemplis illustrat. (1) Si id quod propositum est, generaliter quidem cognitum fuerit, non vero particulare quod proponitur, inve-

inveniendum, oportet ope plurium particularium cognitorum invenire aliquam regulam omnibus convenientem, & hujus adminiculo indagare quæsitum. (2) Si id quod propositum est, nec in genere nec in specie cognitum fuerit, proprietates ejus per id, quod cognitum est, sunt inquirendæ. Et hunc in finem construendi & efficiendi sunt numeri similes illi, qui quæritur, omnibus modis possibilibus, ita ut nullus omittatur incipiendo a minimo & continuando, donec numerus sufficiens eorum habeatur, ex quibus comparatis proprietates elici possint. (3) Ne omittatur aliquis ex illis numeris, qui construendi sunt, ordo aliquis stabiliendus est, ne in hac perquisitione aberremus. Et hic ordo debet esse maxime simplex & minime omnium perplexus, talisq; ut eo mediante possimus continuare numerorum constructionem, quantum lubet, sine ulla confusione. Oportet etiam, ut hæc disquisitio sit maxime brevis & facilis, ad eamque obtinendam duobus uti possumus mediis principalibus. Brevis enim erit, si tam paucos consideremus numeros, quam admittit natura quæstionis; facilis vero, si utamur numeris omnium possibilium minimis. (4) Ad prius obtinendum servit *Exclusio.* Per hanc nimirum omittuntur numeri, quos inutiles cognovimus, quique nihil ad quæstionem faciunt, quosq; adeo possumus omittere; quales sunt plerumque multipli, qui tamen duobus præcipue in casibus sunt considerandi, quando scilicet nullam adhuc scientes proprietatem numeri quæsiti, omne id quærimus quod eidem competit, sive primitivus sive multiplus fuerit, ac deinde quando accidit, ut non repugnet quod quæritur factum esse, partim per primitivos, partim etiam simul per multiplos. (5) Exclusio hæc quoque fit considerando characteres finales numerorum. Accidit enim sæpe, ut ex his intelligamus, plurimos numeros non posse habere qualitatem requisitam. (6) Possumus etiam considerare qualitates particulares quasdam rei quæsitæ, ad exclusionem illam faciendam. 7) Facilis redditur disquisitio *diminutione*, ad quam pluribus viis pervenitur. Nimirum quærendo aut eligendo aliquam proprietatem, quæ efficiat, ut id quod quæritur, possit per minores obtineri numeros quam sunt illi, quos invenimus per aliam proprietatem. (8) Quandoque postquam via inventa est, qua possumus invenire numerum quæsitum, determinatumque fuit, quod alius quærendus sit numerus, ut habeatur

atur

retur quæſitus, ſecundus hic invenietur adhuc per tertium, & hic tertius per quartum, id quod in problematis impoſſibilibus inſervit quandoque ad eorum impoſſibilitatem demonſtrandam. (9) Si quæſtio plures numeros inveniendos proponat, quærenda ſunt media, ut ſinguli ſeorſim conſtruantur. Deinceps conferendæ ſunt proprietates ſingulorum numerorum inventorum, notandumque eſt, utrum unius proprietates ſimul ſtare posſint cum proprietatibus alterius. Si enim ſe invicem deſtruerent, quæſtio foret impoſſibilis. (10) Si in disquiſitione inventi fuere plures tales numeri, quales quærebantur, notandæ ſunt particulares illorum qualitates, quibus ab aliis numeris diſtinguuntur, quæq; communes ſunt omnibus ejusdem ſpeciei numeris, conſiderando num omnis qui hanc habet proprietatem, habeat quoque alteram, quæ quærebatur. Nonnunquam etiam certæ exceptiones inveniuntur ad quas reſpiciendum eſt, & conſiderandum omne, id quod his exceptionibus comprehenditur, annotando earum originem & unde proveniant.

Sequitur *Freniclii Compendium Combinationum*. Quatuor autem facit Auctor Combinationis ſpecies. Primam vocat combinationem *ordinis*, quando ſcilicet quæritur, quot modis diverſis aliquot res diſponi poſſint. Secundam combinationem *variationis* aut electionis dicit, quando quæritur, quot modis diverſis aggregata ejusdem magnitudinis ex quantitate propoſita deſumi poſſint, nullo ad ordinem reſpectu habito. Tertia *mixta & generalis* appellatur, quia tam ordinem quam variationem reſpicit: quarta tandem *multiplex*, quando combinatio ordinis aut variationis multiplicatur. Pro ſingulis autem ſpeciebus regulas tradit perſpicuis exemplis declaratas. Ad calcem voluminis rejectus eſt ejusdem auctoris tractatus *de Quadratis* aut tabulis *Magicis*, ubi regulas communes paribus & imparibus, tum cuilibet ſpeciei proprias tradit, erudite oſtendens variationem quadratorum, cujus ſpecimen exhibet in variatione quadrati paris ſedecim cellularum, quod 880 vicibus transmutavit.

Inter *Robervallii Opera* comparent (1) *Obſervationes ſuper compoſitionem motuum*, quam ad doctrinam de tangentibus ex geneſi curvarum per motuum compoſitionem facta inveniendis adplicat

plicat, & exemplis tangentium SectionumConicarum, Conchoidum, Spiralis, Quadratricis, Cissoidis, Trochoidis, Sociæ Trochoidis & Parabolæ Cartesii illustrat. (2) *Delineatio libri Mechanici* de Motu composito agentis. (3) *De Recognitione Æquationum* liber, in quo etiam de Geometrica planarum & cubicarum Æquationum Resolutione agit, & locorum doctrinam explicans Dioptricas curvas seu ovales considerat, locos in diversos gradus dividit, eosque ad Æquationem analyticam revocare, & conjungendo duos locos problemata solida docet construere. (4) *Tractatus de indivisibilibus*, in quo linea quidem in infinitas lineolas, superficies in superficieculas, & corpus in corpuscula dividi posse concipitur. Sed quia lineæ punctis, superficies lineis, corpora superficiebus terminantur, loco quantitatum, ex quibus magnitudines componuntur, ipsarum termini assumuntur, ut hinc deducantur superficierum corporum dimensiones illa ratione, quæ ex Cavallerio & Wallisio passim jam nota est. (5) *Liber de Trochoide* ejusq; spatio, in quo ostenditur, rationem Solidi Trochoidis, quam habet ad suum Cylindrum secundum Evangelistæ Torricellii opinionem ut 11 ad 18, vera esse minorem. (6) *Epistola ad Mersennum* de Torricellii quibusdam propositionibus. (7) *Torricellii Literæ* ad Robervallium missæ, occasione præcedentis epistolæ. (8) *Robervallis Epistola*, qua sua sibi inventa contra Torricellium Italosque alios vindicat.

Post Robervalliana sequuntur Illustris *Hugenii* opuscula nonnulla, quorum primum de causa gravitatis typis exscriptum in ActisEruditorum Anno 1690, p. 481, indicavimus; reliqua in eo versantur, ut (1) *Æquilibrii* in libra adferatur *demonstratio* Archimedæa validior; (2) *Potentiarum fila funesq; trahentium* vires determinentur; (3) *Nova vis movens* ope pulveris pyrii & aeris describatur; (4) *Constructio ingeniosa loci ad hyperbolam* per asymptotos explicetur; (5) *Regula Fermatii de maximis & minimis* demonstretur, & ad mirabilem brevitatem perducatur; (6) tandemque Problema Opticum sive 39 Prop. l. V. Alhazeni, sed 22. lib. VI Vitellionis erudite *construatur*.

Inter Opuscula *Picardi* occurrit (1) *Praxis magnorum Sciatericorum* per calculum absolvenda. Quandoquidem enim vulgares Gnomonicæ regulæ admodum difficulter in magno aliquo

muro exerceri possunt, optimum censetur, linearum mensuras ad numeros revocare, atque hunc in finem certas instituere observationes umbræ apicis styli, ut ex illis linea substylaris, altitudo poli super planum datum, plani declinatio, lineaque meridiana determinetur, secundum regulas ab Auctore propositas, & a Dn. de la Hire notis illustratas. (2) Schediasma *de mensuris*, ubi longitudo penduli, cujus vibrationes singulis temporis medii secundis absolvuntur, $36\frac{708}{1000}$ poll. pedis Parisini, sed ped. Rihnl. $37\frac{874}{1000}$ poll. esse dicitur. (3) *Mensura ab originalibus desumta* & cum pede castri (*Chastelet*) Parisiensis comparatæ a *Dn. Auzout*. (4) *De mensura liquidorum & aridorum*. (5) De *proportione aquarum effluentium*. (6) *Experimenta circa aquas effluentes*. (7) *Fragmenta dioptrica*, quæ maximam partem in vitrorum focis determinandis versantur. (8) *Dn. Auzout Tractatus de Micrometro*, ad quem Picardus suam quoque symbolam contulit.

Ultimo loco positæ sunt *Mariotti* Regulæ *de aquæ jactibus*, *Romeri* vero *de crassitie & viribus tuborum* in aquæductibus secundum diversas fontium altitudines diversasque tuborum diametros, nec non ipsius *experimenta circa altitudines & amplitudines projectionis corporum gravium*, instituta cum argento vivo.

LOGICA PRACTICA, QUÆ USUM IN THEOLOGIA, Jurisprudentia, Medicina, Philosophia, Historia, Oratoria, & in vita civili clare ac perspicue commonstrat, adornata a M. EBERHARDO RUDOLPHO ROTHIO, Rectore, Logicæ atq; Historiarum Prof. Publ.

Ulmæ, apud Christ. Balthasaris Kühnii heredes, 1694, in 8. plagul. 47.

PRopositum clarissimo Autori fuit, non solum præcepta artis hoc scripto comprehendere, verum & utilitatem, quæ ex sedula ejus cultura ad quodvis studiorum & facultatum, quas vocant, genus, vitamq; universam redundat, breviter ostendere. In præceptis servatam methodum quod attinet, probatissimi artificis, D. Bechmanni vestigiis ita inhæret, ut ab evolutione simplicium terminorum exorsus, ad enunciationis theoriam, & hinc ad structuram syllogismi progrediatur: cui usitato receptoque ordine apodicticam & topicam subjun-

jungit. Prædicationis indolem quando evolvit, personales in Theologia revelata annumerare extraessentialibus non dubitat, quod hominem esse extra primum Dei conceptum sit, & vicissim; usitatas tamen dicere veretur, quod singularis unio modum quoq; prædicandi singularem pariat. Prædicationem, quæ omnipotentem humanam Christi naturam asserit, de intrinsecarum numero esse, adversus Molanum tuetur. p. 24. p. 27.

Ad substantiæ categoriam analogice & morales, quas vocant, substantias relatas voluit, usumq; multiplicem, ex moralium entium contemplatione in judicia & contractus, in status omnes & ordines promanantem, cum *Pufendorffio*, *Schiltero*, *Hartungio*, *Weissio*, studium Logicæ professis admodum commendat: neque contemnenda sunt, quæ de usu ex accurata relationum notitia: quæque in genere de usu Logicæ in oratoria, ex terminorum simplicium, & enuntiationum doctrina sperando monuit. 83. p. 121.259.

Dilucidandis consequentiæ syllogisticæ regulis ubi dat operam, inter alia: *Quis ἀσυλλογιστίαν*, quærit, *& regularum logicarum contemtum Salvatori nostro tribuat, aut Spiritui S. in sacris literis loquenti?* Et alibi: *Omnes*, inquit, *Epistolæ Paulinæ arte syllogistica conscriptæ sunt, ut Johannes Cluverus in Orthotomia Apostolica ostendit.* Qua in parte rectius, quam Scriptor *anonymus* sentit, qui *in Mose vindicato* suo *p. 178* aliquem se dialectices contemtum in virorum sanctorum scriptis reperisse putat. *Paulum videmus*, ait, *secuturo ex proposita sibi objectione incommodo illam solvere, quod per leges artis illius non licere, vel ipsis tyronibus exploratum est. Cum ex eo quod ad cœlos Christus ascendisse dicitur, Apostolus infert, illum prius debuisse εἰς τὰ κατώτερα μέρη τῆς γῆς descendere, quis non exclamet, illud non sequi? Nonne enim & Enochus & Elias ad cœlos evecti sunt? Nonne eo bonorum animæ, nonne angeli quotidie ascendunt; licet ad infimas terræ partes non devolvantur, neque vero unquam descenderint? Et quis non miretur, Petrum posito adstructoque antecedente, deducendum ab eo consequens omittere? Indicare scilicet mentem suam sat habebant viri sancti, legibus ferendis magis quam sequendis intenti, Logicesque minus, quam fidei ac Theologiæ principiis addicti.* Hactenus anonymus ille. Verum quis primo loco propius inspecto non animadvertit, longe aliud esse, incommodo ali- p. 303. p. 269. Rom. III, 6. Gal. II, 17, 18. Eph. IV, 9. II Petr. II, 4, 5, 6, 7, 8, 9.

quo ex objectione secuturo, motam objectionem solvere; & aliud incommodo isto datam solutionem confirmare. Non prius a D. Apostolo, sed posterius factum, idque Logica non invita, legimus. Negationem quippe, qua latens in objectione vitium detexerat, ratione ab incommodo & impossibili petita, statim roborat hoc sensu: absit ut hæc cogitatio, injustum Deum esse, pio homini in mentem unquam veniat. Quo enim pacto, injustitia posita, judicare is mundum posset? Nec aliud Gal. II, 17, 18, divinus facit Autor, quam quod solutionem, diserta negatione peractam, simili ex architectura desumto illustret: quod Logicæ opinor, legibus nusquam facere prohibemur. Tertio autem loco, qui ex IV. ad Ephes. cap. 1. vers. 9. adducitur, non enunciatum universale, sed singulare prorsus, ad Enochum, Eliam, Sanctorum animas, & Angelos nullatenus extendendum continetur. Mirum scilicet, ob identitatem personæ, quam vers. 10. maxime & undecimo divinus Scriptor urget, nemini debet videri, ascendisse Christum, donaque promissa sua distribuisse, cum idem e cœlo antea descenderit. Aut cur non ipsius Christi effato, quod Joh. III, 13. legitur: *Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cœlo, filius hominis qui est in cœlo*; allatæ instantiæ, si locum inveniunt, & Paulinam labefactare sententiam ullo modo possunt, opponuntur? D. Petrus denique citato loco non omisit consequens, sed ex antecedentibus, quin & consequentibus attento lectori subaudiendum reliquit, sensu admodum plano, perfecto & perspicuo: Si angelis peccantibus, si originali mundo, si Sodomorum & Gomorrhæorum civitatibus non pepercit Deus, quanto minus Evangelicæ doctrinæ corruptoribus parcendum statuet? imo & hi in corruptione sua peribunt certo certius, suæque injustitiæ mercedem a justissimo judice accipient, v. 12, 13. Aut edisserat nobis anonymus, quonam in loco enthymematice concludere, oratori unquam prohibuerit Dialectica: Ut adeo certum nimis & evidens esse videatur, dictis e locis plenius inspectis, neglectum Dialecticæ ne minimum quidem exsculpi aut extorqueri posse.

Cæterum, ut in viam redeamus, ratio, quam Julius Pacius adhibet in explicando eo argumenti genere, quod Syllogismum ex hypothesi appellat Philosophus, ipsius est Aristotelis. *In omnibus*, ait, (quoties puta sensu Aristotelico probatur quidquam ex hypothesi

thesi) *syllogismus fit de eo quod transsumtum est: quod vero propositum ab initio fuit* (κύϱιον ζήτημα) *per confessionem probatur, aut aliam aliquam hypothesin.* Et rursus objicienti forte: *atqui necesse est hoc fateri; verum*, respondet, *non ex syllogismo, sed ex hypothesi*, seu conventione inita. Vid. I. Prior. XXIII, 12. XLIV, 1, 2, 3. II. Top. III, 4. & III, Top. VI, 11. Quam Philosophi sententiam cum ipsius rei conditio & veritas satis approbet, non erat, nostro quidem judicio, cur interpretum optimus hoc nomine a quoquam reprehenderetur, p. 314. Calculum interim non denegamus iis, quæ de syllogisticæ doctrinæ usu in Oratoria, nec non de Politico, ut vocant, dilemmate, allatis eam in rem clarissimis ex historia exemplis, traduntur. Ad quam forte dilemmatum classem nec immerito duplicatum illud, imo triplicatum dilemma Ciceronis referas, ex secunda libri sexti ad familiares epistola: *Necesse est*, inquit Politicorum disertissimus, *aut armis urgeri rempublicã sempiternis, aut his positis recreari aliquando, aut funditus interire. Si arma valebunt, nec eos a quibus recesseris, vereri debes, nec eos quos adjuvisti. Si armis aut conditione positis, aut defatigatione abjectis, aut victoria detractis, civitas respiraverit, & dignitate tua frui tibi, & fortunis licebit. Sin omnino interierint omnia, fueritque is exitus, quem vir prudentissimus M. Antonius jam tum timebat, cum tantum instare malorum suspicabatur, misera est illa quidem consolatio, tali præsertim civi & viro, sed tamen necessaria: nihil esse præcipue cuiquam dolendum in eo, quod accidat universis.* Quo quidem in exemplo membrorum numerum, solito majorem, nemo facile mirabitur, qui subdivisione alterius membri, ex dichotomia reliqui, eundem contigisse meminerit.

p. 357.
p. 363.

Demonstrationis principia dum examinat Autor, Cartesianos equidem Dogmaticorum maluit, quam Scepticorum senatui adjungere; hypothesin tamen eorum, quæ fidem omnem sensibus adimit, cum injuria in sapientissimum Creatorem asserit esse conjunctam, utpote qui animal non nisi cognitionis causa sensibus instruxerit. Credere jam si nemo his tuto posset, frustra a Deo datos videri. Quæstionem, num ex falsis legitima nasci demonstratio queat? sic negat, ut diversi generis rationes, quæ opposita pro sententia ab aliis consueverunt urgeri, eadem opera diluat & retundat. Primum Peripateticorum principium cum Cartesii primo cognito con-

p. 375.
p. 389. sqq.

p. 407. tendere mavult ex Dn. Rotenbeccii sententia, quam cum quibusdam aliis prorsus explodere. Quo autem præclarus usus artes apodicti-
p. 427. 437. cæ illustrior redderetur, non exiguum Demonstrationum cumu-
seqq. lum ex probatissimis scriptoribus adjecit, & Theologicarum quidem
p. 449. seqq. ex gravissimi quondam Theologi D. Joh. Musæi scriptis: Juridicarum
p. 458. ex D. Joh. Schilteri & Joh. Neldelii monumentis: Medicarum ex
p. 465. D. Vito Riedlino, Augustanorum Medico: Practicarum denique ex
p. 477. Herm. Conringio, & Sam. Pufendorffio. Definiendi & dividendi
p. 151. artificium annexuit analyticæ: disponendi vero rationem, seu methodum, expositis demum topicorum locis, sophistarumq; strophis detectis, subjecit per modum appendicis.

Herrn Veit Ludwigs von Seckendorf / Chur-Brandenburgischen geheimen Raths / und Cantzlers der Universität zu Halle in Sachsen / Politische und Moral Discurse über M. Annæi Lucani dreyhundert auserlesene Lehrsprüche / und dessen Heroische Gedichte / genannt Pharsalia / auff eine sonderbahre neue Manier ins Teutsche gebracht.

hoc est,

Dn. Viti Ludovici a Seckendorf, Consiliarii Brandenburgici intimi & Cancellarii Academiæ Hallensis in Saxonia, *Meditationes* in trecentas M. Annæi Lucani sententias selectas, ejusq; POEMATA HEROICA, quæ PHARSALIA dicuntur, nova eaq; singulari ratione in idioma Germanicum translata, & notis illustrata.

Lipsiæ, sumptibus Jo. Ludovici Gleditschii, 1695, in octavo. Constant Alphab. 3 & plag. 10.

ULtimum hoc opus est, quod Vir ob illustria in rempublicam literariam merita memoriæ immortalis, VITUS LUDOVICUS a SECKENDORF, post tot alia celeberrima ingenii monumenta, quæ sæpe in *Actis* nostris & recensuimus, & prout par est, laudavimus, elabo-

elaboravit, elaboratumque, cum beatissima morte absolveretur, suis reliquit hæredibus, typis publicis exscribendum. Quæ vero ad eum laborem subeundū ipsi oblata occasio fuerit, in luculenta Præfatione prolixius edisserit Vir Perillustris. Cum enim ipsi annis abhinc circiter viginti a viro quodā nobili ex peregrinatione Gallica reduce, Poeta iste veste Gallica indutus offerretur, adderetq;, qui munus illud attulerat, versionem istam magni adeo in Gallia fieri ab eruditis, ut & ipsi archetypo præferatur; reposuisse se ait, nullam versionem, qualiscunque sit, elegantias emphaticumq; scribendi genus, quo Auctor usus est, assequi simpliciter & accurate satis posse; esse etiam Gallicam, uti & reliquarum linguarum poesin, ex rhythmis consistentem, ad Latinorum versiones Poetarum penitus ineptam, utpote qui Veneres suas ex metro & grandi illo ac sublimi dicendi charactere arcessant: in quærendis vero rhythmis sæpe propter unicum, ut æqualiter versus cum altero cadat, verbum, longe a proposito recedendum esse. Quod ipsum ut manifestū fieret, collationem se inter aliquot plagulas tum versionis illius, tum ipsius operis Lucani instituisse subjungit; ubi quidem patuerit, interpretem Gallicum eleganter satis & erudite scripsisse, sed ut tamen sensum Auctoris non recte semper expresserit, nec ingeniosam Viri grandiloquentiam adæquare potuerit. Unde in eas se cogitationes devenisse ait, numquid non satius esset, Latinam & Græcam poesin, sine rhythmis, & servatis tamen certo syllabarum numero, & quæ plura ad poeseos constitutionem pertinent, in lingua Germanica imitari, hoc etiam inter alia fine, ut occasio pulchriores provocandi inventiones ingeniis non servilibus subministretur. Tentasse ergo se rem ipsam, & cum tum temporis itinerum faciendorum sæpe necessitatem habuisset, in via cum versaretur, vel in diversoriis, ut otium suum oblectaret, & remissione honesta animum pasceret reficeretque, nonnulla ex Lucano juxta institutum hoc suum se ait vertisse, idque dum egerit, & lusibus istis veluti indulserit, majorem Lucani partem Germanicis verbis loqui docuisse, usque dum plenum nactus otium jam perfecta cursim retractaverit, & quæ restabant, eadem ratione translata addiderit. Nec tamen hæc, uti erant, destinasse se prælo, quam cum & a viris doctissimis id ut faceret instigatus fuerit, & ipse cum Viro harum rerum callentissimo *Dan. Georgio Morhofio* per literas de

hoc

hoc negotio communicaverit, transmissis insuper ad legendum & arbitrandum operis sui aliquot plagulis: ubi ille, tametsi alias scribendi hoc genus sine rhythmis in lingua Germanica non æque probaverit, perlectis istis veluti speciminibus, mutata jam sententia priori, assensum *Seckendorfio* præbuisset, auctorque extitisset, ut novam hanc poetandi rationem exire in orbem eruditum pateretur. Quæ res ipsum commoverit, ut allubescente magis tempore, ad Lucanum suum denique absolvendum & typis exscribendum, animum adjecerit. Et hac occasione inceptum hoc opus & perfectum in publico nunc apparet.

Ut vero labor iste tanto esset commendatior, selegit trecentas ex Poeta sententias, in quas ex prudentia politica pariter & ethica utiliter, pro admiranda, quam tot gravissimis officiis per tot annorum spatium sibi comparaverat, experientia commentaretur: nam non sine fructu meletemata hæc fore, bona spe sustentatus *Auctor* illustris affirmat. Primum enim ex meditationibus his politicis, Lectorem bonæ & sinceræ mentis rectas de justis & bonis actionibus, quæ in omni vitæ genere ex fundamentis pietatis & prudentiæ exiguntur, haurire opiniones; contra vero a pernicialibus & periculosis consiliis, ad utilitatem propriam consectandam tantum spectantibus, quomodo ipse abstinere debeat, doceri cum fructu posse. Maxime vero id exempli loco fore, quemadmodum Ethnicorum etiam aliorum scripta, non ob linguæ tantum nitorem & elegantias, sed & ob utilitatem & profectũ in bono legere aliquis debeat, observaturus etiam, quousq; lumen naturæ pertingat, & quomodo ad divinius & altius homines invitet. Posse etiam adolescentes, in quorum gratiam omnis ista suscepta sit opera, observationes hasce in linguæ exercitium Latino idiomate donare, ulteriusque ex Horatio aliisque bonæ notæ Auctoribus petitis sententiis illustrare, atq; adeo instar Locorum communium, quos vocant, iisdem uti.

Heinrich Anßhelms von Ziegler und Kliphausen/ Churfl. Sächsischen Raths und Assessoris des hohen Stiffts Meissen zu Wurtzen / Täglicher Schau-Platz der Zeit.

hoc

hoc est,

Henrici Anshelmi a Ziegler & Kliphausen, Consiliarii Electoris Saxonici & Ingenui Præsulatus Misnensis Assessoris Wurzenæ, QUOTIDIANUM TEMPORIS THEATRUM, in quo uniuscujusque per totum annum diei gesta memorabiliora a mundi usq; origine ad nostra tempora sistuntur.

Lipsiæ apud Jo. Frider. Gleditschium, 1695, in Fol. chartæ augustæ.
Constat Alphab. 17.

HAud uno specimine, eoque luculento atque pulchro, de lingua vernacula bene meritus est splendidi hujus operis generosissimus Auctor: id quod ex *Banise Asiatica*, quo libro res Asiæ, in regno potissimum Pegu, superiori & hoc nostro seculo peractæ, sub fabulæ Romanensis imagine repræsentantur; & ex *Epistolis Heroicis*, quibus ad exemplum incomparabilis Christiani ab Hofmanswaldau, amorem Patriarcharum, & aliarum in sacris literis occurrentium personarum, versibus amœnissimis describit, satis patescere potest: quippe in quibus lucubrationibus id studiose sibi proposuit, ut præter argumenti, qua præstant, dignitatem, linguæ Teutonicæ & magnificentiam, & venustissimas, quibus alias linguas vel adæquat, vel superat, Veneres eximio nitore explicaret. Sed vincit sane sine dubio hæc omnia præsens hoc, quod nunc exire in lucem publicam patitur, *Theatrum Temporis Historicum.*

Senserat Vir elegantissimus jam a primis adolescentiæ annis, ad historias penitius scrutandas pariter & cognoscendas jucundo impetu se trahi, qui & augebatur plurimum, cum ipsas scientiarum solidiorum disciplinas huic veluti fundamento inniti conspiceret. Hinc cum tam vasto pelago se credidisset, in eam devenit opinionem, annon tota historia, quam late patet, juxta ordinem dierum, quibus res quæque peracta fuit, tradi possit; præsertim cum ab Ebero aliisq; ejusmodi aliquid tentatum magis, quam perfectum esse observasset. Admovit ergo ipse operi manum, & duces secutus in Chronologicis Calvisium, in Genealogicis Rittershusium atque Imhofium, in Geographia Baudrandum, in Topographia denique

Merianum, universam pene historiam, intra octo annorum spatium, operi huic sane laboriosissimo inclusit. Certe mille quadringentis & ultra relationibus, omnium Imperatorum, & Pontificum, plerorumq; Regum, Electorum, Cardinalium, belli Ducum, Eruditorum, & quicunque modo nomen sibi eminentiori aliquo facto comparavit, originem, nativitatem, educationem, res gestas, virtutes, vitia & finem denique delineavit; non minus tamen & nobiliora urbium obsidia atque occupationes, incendia, terræ motus, eluviones, cædes, atque parricidia hic repræsentat; ut adeo nucleum historiarum ex corticibus suis singulari cura & dexteritate evolutum ex probatissimis auctoribus, qui semper laudantur, interdum & ex codicibus nondum impressis, sed manu adhucdum scriptis, lectoribus exhibere censendus sit.

Adjunxit vero & historiæ poesin, ut eximia ipse scribendorum Germanice carminum facultate pollet, hanc quidem secutus rationem, ut fere mille & ducenta *Epitaphia* historiis de mortibus Virorum illustrium subjecerit, in quibus paucis lineis relationis ipsius veluti compendium continetur; quæ poemata ut acumine egregio plerumque atq; amœno sese commendant, ita lectorum studium non possunt non excitare, ut ad reliqua pergere, quam deponere ex manibus librum malit.

Non est vero, quod *Theatrum hoc Historicum* nostris verbis commendemus prolixius, cum per se ipsum apertas jam omnibus lautitias suas atque opes ostentare abunde possit. Id vero dicere liceat, præter quamplurimas omnis generis historias, (quarum recensione cujuscunque demum animus non libenter ducitur?) linguæ patriæ singularem hic explendescere nitorem & puritatem, cum verba ubiq; propria & ad rem exprimendam, oculisque veluti subjiciendam imprimis accommodata, atque ab usu hominum politiorum probata, periodi ipsæ suavi quodam decursu sponte fluentes ubique usurpatæ deprehendantur, adeo quidem, ut linguæ studiosus vel e lectione hujus Auctoris ad quamcunq; scribendi promtitudinem atque elegantiam proficere, cæterum unusquisque hoc veluti laxamento curas severiores interstinguere, animumque laboribus defatigatum reficere possit: quæ omnia ipsius libri lectio melius docebit.

CA-

CASPARIS SAGITTARII D. HISTORICI SAX. ET Historiarum P.P. Introductio in Historiam Ecclesiasticam & singulas ejus partes.

Jenæ, sumptibus Henr. Christoph. Crôkeri, 1694. in 4. Constat 7 alphab.

DEcem priora hujus Introductionis capita Auctores illos enumerant, qui a primis Ecclesiæ incunabulis, usq; ad reformationis tempora, historiam ecclesiasticam vel universalem literis tradiderunt. Sequitur capite 11 & 12 commemoratio præcipuorum chronographorum & scriptorum historiæ universalis, qui superiori & præsente seculo claruerunt. Centuriarum autem Magdeburgensium recensioni Autor celeberrimus caput 13 impendit, in quo de centuriarum illarum collectoribus ipsoq; opere nunquam satis deprædicando prolixe agit. & imprimis etiam de Marco Wagnero, qui ad conquirenda antiquitatis monumenta operi huic necessaria, in varias urbes & regiones missus est, ex ejusdem libello Germanico de regno Thuringiæ in pagos diviso, qui A.1593. Jenæ prodiit, multa notatu non indigna refert. Accedit capite proxime sequenti ad celebratissimos Baronii annales, & de illorum autore, epitomatoribus, continuatoribus, adversariis & patronis erudite differit. Sequentia capita in recensendis variis historiæ ecclesiasticæ universalis auctoribus occupantur, sive Lutheranæ ecclesiæ addictis, quibus caput 15. destinavit, sive Reformatis, ut vulgo audiunt, quos capite 16 commemorat, sive Pontificiis, qui c. 17 enumerantur, sive Neo-Arianis, e quorum numero Sandius nucleum historiæ ecclesiasticæ, qui capitis 18 argumentum est, publici juris fecit. Capite 19 & sequentibus ad scriptores historiæ ecclesiasticæ particularis pergit, qui vel singulorum regnorum, rerumpublicarum & provinciarum, vel certarum urbium historiam ecclesiasticam condiderunt, item eorum qui Patriarcharum, Episcoporum, Abbatum & Superintendentium, vel Monasteriorum, vel Imperatorum & Regum Romanorum, vel Pontificum & Cardinalium Romanorum historiam literis consignarunt, nec non eorum qui Pontificum Romanæ ecclesiæ primatum vel propugnarunt vel impugnarunt. Ultimis deniq; capitibus Autores hæresiologiæ universalis & particularis exhibentur.

Propositum fuerat Viro celeberrimo, si fata dedissent, non solum ad calcem primi hujus tomi errata quædam, quæ partim suis, partim amicorum oculis animadverterat, indicare & omissa quædã supplere, sed etiam alterum tomũ addere, in quo apparatum conciliorum & rituũ colligere, Bosianam scriptorum ecclesiasticorum Notitiam notis suis illustrare, aliaque ad hanc rei literariæ partem non ignobilem spectantia, historiæ ecclesiasticæ studiosis communicare decreverat. Verum dum adhuc in scriptoribus hæresiologiæ particularis enarrandis versaretur, cum magno rei literariæ, quam indefesso studio hactenus strenue adjuverat ornaveratque, detrimento supremum diem obiit, ultimosque primi hujus tomi quaterniones Amico & Collegæ suo, *Jo. Andreæ Schmidio*, Professori Jenensis Academiæ celeberrimo perficiendos reliquit; a quo etiam alterum Introductionis hujus tomum aliaque clarissimi Sagittarii scripta expectamus, siquidem jam omnia beati Viri scripta sive edita sive manuscripta, eaque partim inchoata & affecta, partim prælo parata peculiari catalogo complexus est, eaque se obstetricante in lucem edenda intimavit. Nec dubitamus, quin omnes, quibus historiæ studium aliæq; bonæ literæ curæ cordique sunt, promptam ejus in amici scriptis perficiendis & publicandis voluntatem grato animo agnituri, illique otium & vires, ad hæc aliaque in publicum emolumentum peragenda, nobiscum sint animitus apprecaturi.

AMOENITATUM HISTORICO-PHILOLOGICArum quinq; Decades. Quibus accesserunt Orationes & Epistolæ selectiores, elucubratæ studio M. JUSTI GODOFREDI RABENERI in illustri Gymnasio Misenensi Rectoris.

Lipsiæ, sumptibus Joh. Christiani Wohlfarti, A. 1695 in 8.
Constant alphab. 1. plag. 19½.

QUod de programmatibus orationibusque publicis, quæ in Academiis exponi ac haberi consueverunt, merito pronunciavit B. Scherzerus noster, cum sua is programmata ac orationes nonnullas A. 1679. junctim ederet, scripta nempe talia, quamprimum vel valvas, quibus affiguntur, vel cathedras cum Oratore reliquerint, præsentium memoriæ & cæterorum notitiæ se confestim subductura,

instar-

instarque ephemeri ipso ortus sui die intermoritura, nisi ea quis solicite in justos colligare fasciculos sustineat; idem quoque dicendum venit de illo fato, quod premere utplurimum videmus industriam eorum, qui Gymnasia illustriora moderantur, ac schedia ejusmodi in studiosæ juventutis commodum similiter aut typis committunt, aut viva saltim voce recitant. Id ergo cum secum Cl. Rabenerus perpenderet, laudabili sane instituto eo sibi annitendum ratus est, ut fœtibus hisce suis, qui ad genus modo memoratum referri postulant, vitam paulo prolixiorem conciliaret, eaque de re quinquaginta programmata, diversis olim vicibus abs se evulgata, in unum corpus voluit redigere. Amœnitatum vero Historico-philologicarum titulum haud præter rem iisdem indidit, quandoquidem historiæ pariter ac philologiæ studiosis in amœnum veluti campum heic exspatiari, flosculosque licet decerpere pulcherrimos, quibus & oblectare suum animum, & elegantiorem imprimis eruditionem adaugere valeant. Et ad historicam quidem classem ea spectant, quæ v. g. de quæstione: *an Oracula nato Christo desierint?* (progr. 2) *an Pythagoras proselytus?* (progr. 16.) *de ruina Babylonis*; (pr. 10.) *de Juliani apostata & Arii morte*; (pr. 12. & 19.) *de Ovidii exilio & sepulchro*, itemque *sepulchro Cyri*; (pr. 20. & 21.) de *septem Sapientibus*; (pr. 22.) de *hominibus a bestiis enutritis*; (pr. 32.) de *Hierosolymorum conditore*; (p. 39.) de *Christi forma & statura* (pr. 45.) disserit. Philologiam vicissim excolentibus imprimis sese commendabunt, quæ studiose congessit Auctor de *Athenis utrum superstitibus?* (pr. 3.) de *septem mundi miraculis, quo ea pervenerint?* (pr. 4.) de *monstris Herodoti*; (pr. 7.) de *reliquiis navis Noachicæ*; (pr. 8.) de *turris Babylonicæ*, (pr. 11.) *Trojæ*, (pr. 14.) *sepulchri Christi* (pr. 13.) *reliquiis*; *de geniis domesticis*; (pr. 18.) de *inventore carminis heroici*, (pr. 23.) & *literarum*; (pr. 24.) de *fabis Pythagoræ*; (pr. 26.) de *palladio*; (pr. 30.) de *aureo seculo*; (pr. 35.) de *redituris in vitam*; (pr. 37.) de *loco exilii Adamitici*; (pr. 42.) de *mari Caspio* (pr. 47.) &c. Sed præterea orationes etiam ac epistolas aliquot adjunxit, & hæ quidem aut consolatoriæ sunt in exequias, aut gratulatoriæ in nuptias diversorum, quos vel patronos veneratus fuit, vel ut amicos coluit, exaratæ. Inter orationes autem alia maximi Theologi, *Martini Geieri*, laudes persequitur; alia *obsidionem Freibergæ urbis po-*

stremam commemorat; alia in dedicationem renovati auditorii Freibergensis habita est, & quæstionem: *an & cur hodie quam olim moribus corruptioribus vivatur?* pertractat; alia denique, cum Auctor ad Rectoris partes in illustri Gymnasio Misenensi imposterum obeundas evocaretur, ultimum Freibergensibus vale accinit, ac potissimas, quæ *Rectorem* deceant, virtutes breviter enumerat.

JOH. WEISSENBORNS, S.S. THEOL. D. ECCLESIÆ Prædic. Evangelic. Erfurt. Pastoris Primarii & Gymnasii Ephori, Delineatio Atheismi & Enthusiasmi.

Jenæ, sumptibus Joh. Bielkii, 1694 in 4. Constat plag. 11.

NAtus est hic eruditissimus Tractatus ex Oratione inaugurali, quam Jenæ habuerat maxime Reverendus Autor, cum A. 1693 Doctor Theologiæ solenniter renunciaretur. Enimvero depinxerat jam tum has pestes ad vivum, sed ὡς ἐν τύπῳ & Oratorum in morem, qui sua voce rem, quam describunt, decenter eloquuntur. Postquam autem, ad nutum Fautorem & Amicorum suorum, publicam in lucem emittenda erant hæc elegantissima turpissimorum monstrorum lineamenta, jusque fasq; erat plenius exprimere singula, indicareque fontes illos, ex quibus pleraque sint hausta & ubi plura possint reperiri. Factum hinc est, ut integra quidem Oratio typis impressa sit, non mutata facie, quam secundum regulas artis induerat antea illi Autor; notæ tamen subjectæ sint singulis paginis numero non minus quam pondere suo graves commendabilesque, adeo ut in cursu Orationis θέσιν, ἔκθεσιν vero in Notis simul ante oculos habere possis. Hæ vero cum selectæ sint ex apparatu librorum haud exiguo; eminent tamen inter omnes, reliquisque frequentius comparent, quæ ex ipso Luthero depromi potuerunt, maxime, ut Enthusiastæ ne habeant, quod ex eo, more suo, pro suis somniis allegent, sed tanto potius magistro recte sapere discant ipsi. Adjectus etiam est index rerum potiorum, haud inutilis hoc in utilissimo libello finis.

COMPENDIUM THEOLOGIÆ ELENCTICÆ FRANCISCI TURETINI.

Amste-

Amstelodami, apud Georgium Gallet, A. 1695 in 4, chartæ augustæ. Constat alphab. 1. plag. 17.

F Ranciscus Turretinus, Theologiæ Doctor & Pastor in Ecclesia atq; Academia Genevensi, A. 1688. denatus, inter alia *Theologiæ* quoq; *Elencticæ* Institutionem edidit, cujus seriem in Actis hisce nostris A. 1682. p. 207. late indicavimus, ut adeo plura jam de eadem dicere supervacaneum merito existimemus. Repetita tamen ejus mentio heic facienda venit, posteaquam operis inter Reformatos non parum probati compendium hoc nuperrime in lucem emissum est. Ubi quidem sequi placuit Editori *Summam Theologiæ seu Methodum Didactico-Elencticam a Leonardo Riissenio*, Theol. D. & verbi divini Ministro Daventriensi, conscriptam. Locorum etenim ac capitum, quem ille ibi designavit, ordo & heic servatur, & quæstiones ejusdem verbis proponuntur, at argumenta una cum suo robore e Turretino decerpuntur, loca Scripturæ, ubi flagitat necessitas, exscribuntur, πρῶτον ψεῦδος ubique detegitur, status controversiæ breviter ac perspicue formatur, exceptiones dissentientium potissimæ excutiuntur, ac tandem calumniæ, ut audiunt, adversariorum solicite abstergantur. Atque isthac ratione non modo ad διδασκαλίαν veri falsique ἔλεγχον lectores commode manuduci, sed tria quoq; haud parva Turretini volumina in succum atque sanguinem optime converti posse, Typographus in sua, qua hoc institutum commendat, præfatione perhibet, & quod in tollendis, quæ priorem Riissenii editionem fœdaverant, erratis chalcographicis quamplurimis, debita nequaquam fuerit omissa diligentia, in ipso libri frontispicio testatur.

LA VIE DU CARDINAL JEAN FRANÇOIS COMMENDON.

i. e.

Vita Cardinalis Joannis Francisci Commendoni, e Latino in Gallicum sermonem translata a Dn. Flecherio, Episcopo Nemausensi.

Parisiis, apud viduam Seb. Mabre-Cramoisi, 1695. 12. Alph. 1.

Vigin-

Viginti & sex anni lapsi sunt, ex quo Commendoni Cardinalis, cujus illustre fuit superiore seculo nomen, Vita ab *Antonio Maria Gratiano*, Episcopo Amerino, Latino sermone composita, in manibus eruditorum versari cœpit. Etsi enim diu ante elaboratum ab auctore suo opus hoc esset; siquidem constat, Gratianum hunc jam A. 1611 Ameriæ diem obiisse) typis tamen nonnisi A. 1669 Lutetiæ Parisiorum fuit exscriptum, sed magno statim omnium exceptum applausu. Commendabat enim librum tum styli, quo usus Auctor est, nitor ac elegantia, qualem & alia ejus opera, *Libri* nimirum *quinque de Bello Cyprio* Romæ A. 1624 editi & Norinbergæ A. 1661, forte & alibi, recusi, & *Tractatus* de *Casibus virorum illustrium* Parisiis demum A. 1680 luci publicæ expositus, spirant; tum mira rerum varietas, quæ non potuit non se offerre vitam describenti Viri, maximis, dum viveret, negotiis adhibiti, & octo nobilissimis legationibus defuncti; tum maxime, quod auctor Gratianus perpetuus Commendoni comes, omniumque ejus consiliorum particeps, censendus esset accuratissime & debita fide posteritati ea tradidisse, quorum ipse quondam pars magna, conscius certe & subinde arbiter fuerat. Quapropter non multo post, quam in lucem liber utilissimus prodiisset, bene se de civibus suis, Latini forsan idiomatis non satis peritis meriturum existimavit Dn. Flecherius, Gallorum disertissimus, si Vitam illam Commendoni in patriam linguam transferret, omnibusque adeo cum fructu legendam exhiberet. Id quod ea felicitate præstitit, ut Gallica veste indutus liber, atque prima, ut putamus, vice Parisiis A. 1672 excusus, postea semel iterumq;, & denuo nuperrime recudi meruerit. Quam editionem novam, in Hollandia, ut apparet, adornatam (etsi Lutetiam Parisiorum titulus libri præ se ferat) dignam censuimus, quam Lectoribus nostris indicaremus: ut ex Opere ipso, quod tanto jam tempore publici juris ac usus fuit, quædam huc transscriberentur, supervacaneum arbitrati.

LA VIE DU TASSE. i. e.

Vita Torquati Tassi, Poetarum Italorum principis.

Parisiis, apud viduam Mabre-Cramoisi, 1695. in 12 plag. 12.

Ex hoc opusculo, eleganti utiq; & lectu dignissimo, Excerpta satis luculenta Tomo II Supplementorum, Sectione II. pag. 17, sqq. dedimus. Unde & hujus novam tantum editionem, in Hollandia itidem ut censemus, curatam, hic indicasse suffecerit.

* * *

N. VI.

ACTA ERUDITORUM

publicata Lipsiæ

Calendis Aprilis, Anno M DC XCV.

SPECIMEN DYNAMICUM, PRO ADMIRANDIS Naturæ legibus circa Corporum vires & mutuas actiones detegendis, & ad suas causas revocandis,

Autore G. G. L.

Ex quo *Novæ Scientiæ Dynamicæ* condendæ mentionem injecimus, multi Viri egregii variis in locis uberiorem hujus doctrinæ explicationem postularunt. Quando igitur librum componere nondum vacat, dabimus hoc loco, quæ lucem aliquam accendere possint, fortasse etiam ad nos cum fœnore redituram, si quidem sententias eorum eliciamus, qui vim cogitandi cum eloquendi humanitate conjunxerint, quorum judicia etiam grata nobis fore profitemur, & ad profectionem operis profutura speramus. In rebus corporeis esse aliquid præter extensionem, imo extensione prius, alibi admonuimus, nempe ipsam vim naturæ ubique ab Autore inditam, quæ non in simplici facultate consistit, qua scholæ contentæ fuisse videntur, sed præterea conatu sive nisu instruitur, effectum plenum habituro, nisi contrario conatu impediatur. Hic nisus passim sensibus occurrit & meo judicio ubique in materia ratione intelligitur, etiam ubi sensui non patet. Quod si jam Deo per miraculum transcribi non debet, certe oportet, ut vis illa in ipsis corporibus ab ipso producatur, imo ut intimam corporum naturam constituat, quando agere est character substantiarum, extensioque nil aliud, quam jam præsuppositæ nitentis renitentisque id est resistentis substantiæ continuationem sive diffusionem, dicit; tantum abest, ut ipsammet substantiam facere possit. Nec refert, quod omnis corporea actio a motu est, motusque ipse non est nisi a motu sive in corpore jam ante existente sive aliunde impresso. Nam motus (per-

inde ac tempus) nunquam existit, si rem ad ἀκρίβειαν revoces, quia nunquam totus existit, quando partes coëxistentes non habet. Nihilque adeo in ipso reale est, quam momentaneum illud, quod in vi ad mutationem nitente constitui debet. Huc igitur redit quicquid est in natura corporea præter Geometriæ objectum seu extensionem. Eaque demum ratione simul & veritati & doctrinæ veterum consulitur. Et quemadmodum jam Democriti corpuscula, & Platonis ideas, & Stoicorum in optimo rerum nexu tranquillitatem, nostra ætas a contemtu absolvit; ita nunc Peripateticorum tradita de Formis sive Entelechiis (quæ merito ænigmatica visa sunt, vixque ipsis Autoribus recte percepta) ad notiones intelligibiles revocabuntur; ut adeo receptam a tot seculis Philosophiam explicare potius, ita ut constare sibi possit, (ubi hoc patitur) atque illustrare porro, novisque veritatibus augere, quam abolere necessarium putemus.

Atque hæc studiorum ratio mihi & prudentiæ docentis, & utilitati discentium maxime accommodata videtur, ne destruendi quam ædificandi cupidiores videamur, neve inter perpetuas doctrinæ mutationes, audacium ingeniorum flatibus quotidie incerti jactemur; sed tandem aliquando humanum genus, refrenata sectarum libidine, (quam inanis novandi gloria stimulat) constitutis certis dogmatibus, inoffenso pede non in Philosophia minus quam in Mathesi ad ulteriora progrediatur. Cum in scriptis præstantium Virorum veterum & recentiorum (si ea fere adimas quibus in alios durius dicunt,) plurimum esse soleat veri & boni; quod erui & in publicos thesauros digeri meretur. Idque utinam facere mallent homines, quam censuris tempus prodigere, quibus tantum vanitati suæ litant. Nobis certe, quibus in novis & nostris quibusdam ita favit fortuna, ut de his solis cogitare nos passim juberent amici, nescio quomodo tamen pleraque etiam aliena non displicent, & suo quodque pretio, etsi diverso censetur; cujus rei fortasse causa est, quod plura agitando nihil spernere didicimus. Sed nunc in viam redeamus.

Duplex autem est *vis Activa* (quam cum nonnullis non male *Virtutem* appelles) nempe aut *primitiva*, quæ in omni substantia corporea per se inest, (cum corpus omnimode quiescens a rerum natura abhorrere arbitrer) aut *derivativa*, quæ primitivæ velut limitatione, per corporum inter se conflictus resultans, varie exercetur. Et primitiva

mitiva quidem (quæ nihil aliud est quam ἐντελέχεια ἡ πρώτη) *animæ vel formæ substantiali* respondet; sed vel ideo non nisi ad generales causas pertinet, quæ phænomenis explicandis sufficere non possunt. Itaque illis assentimur, qui formas in rerum sensibilium causis propriis specialibusque tradendis adhibendas negant: quod monere operæ pretium est, ne, dum eas velut postliminio ad fontes rerum aperiendos reducimus, simul ad vulgaris scholæ battologias rediro velle videamur. Interim necessaria earum notitia est ad recte philosophandum, nec quisquam se corporis naturam tenere satis putet, nisi animum talibus adverterit; intellexeritque imperfectam, ne dicam falsam esse notionem illam substantiæ corporeæ crassam & ab imaginatione sola pendentem, ac philosophiæ corpuscularis (per se egregiæ verissimæque) abusu ab aliquot annis incaute introductam. Quemadmodum vel hoc argumento constat, quod omnimodam cessationem ac quietem a materia non excludit, nec legum naturæ vim derivativam moderantium, rationes afferre potest. Similiter vis quoque passiva duplex est, vel primitiva, vel derivativa. Et quidem *vis primitiva patiendi* seu *resistendi* id ipsum constituit, quod *materia prima*, si recte interpreteris, in scholis appellatur, qua scilicet fit, ut corpus a corpore non penetretur, sed eidem obstaculum faciat, & simul ignavia quadam, ut sic dicam, id est ad motum repugnatione sit præditum, neque adeo nisi fracta nonnihil vi agentis impelli se patiatur. Unde postea *vis derivativa patiendi* varie in *materia secunda* sese ostendit. Sed nostrum est generalibus illis ac primitivis sepositis suppositisque, quibus ob formam corpus omne semper agere, & ob materiam corpus omne semper pati ac resistere docemur, nunc quidem pergere ulterius, & in hac doctrina de *virtutibus & resistentiis derivativis* tractare, quatenus variis nisibus pollent corpora, aut rursus varie renituntur; his enim accommodantur leges actionum, quæ non ratione tantum intelliguntur, sed & sensu ipso per phænomena comprobantur.

Vim ergo derivativam, qua scilicet corpora actu in se invicem agunt, aut a se invicem patiuntur, hoc loco non aliam intelligimus, quam quæ motui (locali scilicet) cohæret, & vicissim ad motum localem porro producendum tendit. Nam per motum localem cætera phænomena materialia explicari posse agnoscimus. Motus est con-

tinua loci mutatio, itaque tempore indiget. Mobile tamen in motu existens, ut in tempore habet motum, ita in quovis momento habet *velocitatem*, quæ tanto major est, quanto plus spatii percurritur, minusque impenditur tempus. Velocitas sumta cum directione *Conatus* appellatur; *Impetus* autem est factum ex mole corporis in velocitatem, ejusque adeo quantitas est, quod *Cartesiani* appellare solent quantitatem motus; scilicet momentaneam, tametsi accuratius loquendo ipsius motus, quippe in tempore existentis, quantitas ex aggregato impetuum durante tempore in mobili existentium (æqualium inæqualiumve) in tempus ordinatim ductorum, nascatur. Nos tamen cum ipsis disputantes, ipsorum loquendi morem secuti sumus. Quin etiam quemadmodum (non incommode ad usum loquendi doctrinalem) ab accessu jam facto faciendove distinguere possumus accessionem quæ nunc fit; tanquam incrementum accessus vel elementum; aut quemadmodum descensionem præsentem a facto jam descensu, quem auget, distinguere licet: ita possemus præsentaneum seu instantaneum motus elementum ab ipso motu per temporis tractum diffuso discernere, & appellare Motionem; atque ita *quantitas motionis* dicetur, quæ vulgo motui tribuitur. Et quanquam in verbis faciles simus post interpretationem habitam, antea tamen nos in iis curiosos esse oportet, ne ambiguitate decipiamur

Porro ut æstimatio motus per temporis tractum fit ex infinitis impetibus, ita vicissim impetus ipse, (etsi res momentanea) fit ex infinitis gradibus successive eidem mobili impressis; habetque elementum quoddam, quo non nisi infinities replicato nasci potest. Finge tubum A C in plano horizontali hujus paginæ certa quadam uniformi celeritate rotari circa centrum C immotum, & globum B in tubi cavitate existentem liberari vinculo vel impedimento, atque incipere moveri vi centrifuga; manifestum est, initio conatum a centro recedendi, quo scilicet globus B in tubo tendet versus ejus extremitatem A, esse infinite parvum, respectu impetus quem jam tum habet a rotatione, seu quo cum tubo ipso globus B, a loco D tendit versus (D) retenta a centro distantia. Sed continuata aliquandiu impressione centrifuga a rotatione procedente, progressu ipso oportet nasci in globo impetum quendam centrifugum, completum (D) (B) comparabilem cum impetu rationis D (D) Hinc patet duplicem esse *Nisum*, nempe ele-

elementarem seu infinite parvum, quem & *solicitationem* appello, & formatum continuatione seu repetitione Nisuum elementarium, id est impetum ipsum. Quanquam non ideo velim hæc Entia Mathematica reapse sic reperiri in natura, sed tantum ad accuratas æstimationes abstractione animi faciendas prodesse.

Hinc *Vis* quoque duplex: alia elementaris, quam & *mortuam* appello, quia in ea nondum existit motus, sed tantum solicitatio ad motum, qualis est globi in tubo, aut lapidis in funda, etiam dum adhuc vinculo tenetur; alia vero vis ordinaria est, cum motu actuali conjuncta, quam voco *vivam*. Et vis mortuæ quidem exemplum est ipsa vis centrifuga, itemque vis gravitatis seu centripeta; vis etiam qua Elastrum tensum se restituere incipit. Sed in percussione, quæ nascitur a gravi jam aliquamdiu cadente, aut ab arcu se aliquamdiu restituente, aut a simili causa, vis est viva, ex infinitis vis mortuæ impressionibus continuatis nata. Et hoc est quod *Galilæus* voluit, cum ænigmatica loquendi ratione percussionis vim infinitam dixit, scilicet, si cum simplice gravitatis nisu comparetur Etsi autem impetus cum vi viva semper sit conjunctus, differre tamen hæc duo, infra ostendetur.

Vis viva in aliquo corporum aggregato rursus duplex intelligi potest, *totalis* scilicet, vel partialis; & *partialis* iterum vel respectiva vel directiva, id est vel propria partibus vel communis. *Respectiva* sive *propria* est, qua corpora aggregato comprehensa possunt agere in se invicem; *directiva* seu *communis* est, qua præterea ipsum aggregatum extra se agere potest. Voco autem directivam, quia directionis totalis vis integra in hac vi partiali conservatur. Ea autem sola superesset, si subito aggregatum congelascere fingeretur motu partium inter se intercepto. Unde ex vi respectiva & directiva simul sumtis componitur *vis totalis absoluta*. Sed hæc melius ex tradendis infra regulis intelligentur.

Veteres, quantum constat, solius vis mortuæ scientiam habuerunt, eaque est, quæ vulgo dicitur Mechanica, agens de vecte, trochlea, plano inclinato, (quo cuneus & cochlea pertinent) æquilibrio liquorum & similibus; ubi nonnisi de conatu primo corporum in se invicem tractatur, antequam impetum agendo conceperunt. Et licet leges vis mortuæ ad vivam transferri aliquo modo possint, magna

tamen cautione opus est; ut vel hinc decepti sint, qui vim in universum, cum quantitate ex ductu molis in velocitatem facta confuderunt, quod vim mortuam in ratione horum composita esse deprehendissent. Nam ea res ibi speciali ratione contingit, ut jam olim admonuimus, quoniam (exempli gratia) gravibus diversis descendentibus, in ipso initio motus, utique ipsi descensus seu ipsæ quantitates spatiorum descensu percursorum, nempe adhuc infinite parvæ, seu elementares, sunt celeritatibus seu conatibus descendendi proportionales. Sed progressu facto, & vi viva nata, celeritates acquisitæ non amplius proportionales sunt spatiis descensu jam percursis, quibus tamen vim æstimandam olim ostendimus, ampliusque ostendemus, sed tantum earum elementis. *Galileus* de vi viva (alio licet nomine, imo conceptu) agere cœpit, primusque explicuit, quomodo acceleratione gravium descendentium motus nascatur. *Cartesius* recte discrevit velocitatem a directione, & vidit etiam in conflictu corporum id sequi, quo minime mutantur priora. Sed minimam mutationem non recte æstimavit, dum solam directionem, vel solam velocitatem mutat;cum contemperata ex ambobus instituenda esset mutatio: quod quomodo fieri deberet, ipsum fugit; quia res tam heterogeneæ comparari ac contemperari posse, ipsi, modalibus potius tunc, quam realibus intento, non videbantur. Ut alios ejus in hac doctrina lapsus taceamus.

Honoratus Fabri, *Marcus Marci*, *Joh. Alph. Borellus*, *Ignatius Baptista Pardies*, & *Claudius Dles Chales*, aliique acutissimi viri in doctrina de motu non contemnenda dedere, sed errores tamen eosque capitales non vitavere. Primus, quod sciam, *Hugenius* qui ætatem nostram præclaris inventis illustravit, in hoc quoque argumento ad puram & liquidam veritatem pervenisse mihi videtur, & doctrinam hanc a paralogismis liberasse, regulis quibusdam olim publicatis. Easdem fere regulas *Wrennus* quoque, *Wallisius*, & *Mariottus*, viri in his studiis diversa licet ratione excellentes, obtinuere. Sed de causis tamen non eadem sententia est; unde neque easdem conclusiones egregii in his studiis viri semper admittunt. Atque adeo veri fontes hujus scientiæ, nondum, quod constat, fuere reclusi. Nec sane ab omnibus agnoscitur, quod mihi certum videtur: repercussionem sive reflexionem non nisi a vi elastica, id est intestini motus

tus

tus renisu proficisci. Nec notionem ipsam virium quisquam ante nos explicavit; quæ res hactenus turbavit *Cartesianos* aliosque, qui motus vel impetus summam (quam pro virium quantitate habent) post concursum a priore diversam prodire posse, vel ideo capere non potuerunt, quod eo ipso etiam virium quantitatem mutari crediderunt.

Mihi adhuc juveni, & corporis naturam cum *Democrito* & hujus ea in re sectatoribus *Gassendo* & *Cartesio*, in sola massa inerte tunc constituenti, excidit libellus *Hypotheseos physicæ* titulo, quo Theoriam motus pariter a systemate abstractam, & systemati concretam exposui: quem ultra mediocritatis suæ meritum, multis præclaris viris video placuisse. Ibi statui, supposita tali corporis notione, omne incurrens suum conatum dare excipienti, seu directe obstanti qua tali. Nam cum in momento incursus pergere conetur, adeoque secum abripere excipiens; conatusque ille (ob corporis ad motum quietemve creditam mihi tunc indifferentiam) suum effectum omnino habere debeat in excipiente, nisi contrario conatu impediatur; imo etiamsi eo impediatur; quando tantum diversos illos conatus inter se componi oportet: manifestum erat, nullam causam reddi posse, cur non incurrens effectum ad quem tendit, consequatur, seu cur non excipiens recipiat conatum omnem incurrentis; adeoque motum excipientis ex pristino suo & recepto novo seu alieno conatu compositum esse. Ex quo porro ostendebam: si solæ mathematicæ notiones, magnitudo, figura, locus, horumque mutatio, aut in ipso concursus momento mutandi conatus, in corpore intelligerentur; nulla habita ratione notionum metaphysicarum, potentiæ scilicet actricis in forma, & ignaviæ seu ad motum resistentiæ in materia; atque adeo si necesse esset concursus eventum sola compositione conatuum Geometrica, ut explicuimus, determinari: tunc sequi debere, ut incurrentis, etiam minimi, conatus toti excipienti, licet maximo, imprimatur; atque adeo maximum quiescens a quantulocunque incurrente sine ulla hujus retardatione abripiatur: quandoquidem tali materiæ notione nulla ejus ad motum repugnatio, sed indifferentia potius continetur. Unde non magis difficile foret impellere magnum quiescens, quam parvum, essetque adeo actio sine reactione, nullaque fieri posset potentiæ æstimatio, cum quidvis a quovis

præ-

præſtari poſſet. Quæ aliaque id genus multa, cum ſint ordini rerum adverſa, & cum principiis veræ Metaphyſicæ pugnent; ideo tunc quidem putavi (& vere quidem) ſapientiſſimum rerum Autorem ſtructura ſyſtematis vitaſſe, quæ per ſe ex nudis motus legibus a pura Geometria repetitis conſequerentur.

Sed poſtea omnia altius ſcrutatus, vidi in quo conſiſteret ſyſtematica rerum explicatio, animadvertique hypotheſin illam priorem notionis corporeæ, non eſſe completam; & cum aliis argumentis, tum etiam hoc ipſo comprobari, quod in corpore præter magnitudinem & impenetrabilitatem poni debeat aliquid, unde virium conſideratio oriatur; cujus leges metaphyſicas extenſionis legibus addendo, naſcantur eæ ipſæ regulæ motus, quas ſyſtematicas appellaram; nempe ut omnis mutatio fiat per gradus, & omnis actio ſit cum reactione, & nova vis non prodeat ſine detrimento prioris, adeoque ſemper abripiens retardetur ab abrepto, nec plus minusve potentiæ in effectu quam in cauſa contineatur. Quæ lex cum non derivetur ex notione molis, neceſſe eſt conſequi eam ex alia re, quæ corporibus inſit, nempe ex ipſa vi, quæ ſcilicet eandem ſemper quantitatem ſui tuetur, licet a diverſis corporibus exerceatur. Hinc igitur, præter pure mathematica & imaginationi ſubjecta, collegi quædam metaphyſica, ſolaque mente perceptibilia, eſſe admittenda & maſſæ materiali principium quoddam ſuperius, & ut ſic dicam formale, addendum; quandoquidem omnes veritates rerum corporearum ex ſolis axiomatibus logiſticis & geometricis, nempe de magno & parvo, toto & parte, figura & ſitu, colligi non poſſint; ſed alia, de cauſa & effectu, actioneque & paſſione, accedere debeant, quibus ordinis rerum rationes ſalventur. Id principium Formam, an ἐντελέχειαν, an Vim appellemus, non refert, modo meminerimus per ſolam virium notionem intelligibiliter explicari.

Quod vero hodie egregii quidam viri, hoc ipſum videntes, vulgarem nempe materiæ notionem non ſufficere, Deum accerſunt ἀπὸ μηχανῆς, vimque omnem agendi auferunt rebus, quaſi Moſaica quadam Philoſophia (ut *Fluddus* olim vocabat) aſſentiri non poſſum. Tametſi enim præclare ab ipſis animadverſum concedam, ſubſtantiæ unius creatæ in aliam influxum proprium nullum eſſe, ſi res ad metaphyſicum rigorem exigatur; fatearque etiam libenter, om-

omnes res continua ſemper creatione a Deo proficiſci; nullam tamen veritatem naturalem in rebus eſſe puto, cujus ratio immediate petenda ſit ex divina actione vel voluntate, ſed ſemper rebus ipſis aliqua a Deo eſſe indita, unde omnia earum prædicata explicentur. Certe non corpora tantum Deum creaſſe conſtat, ſed & animas, quibus entelecheiæ primitivæ reſpondent. Verum hæc alias ſuis propriis rationibus profundius eductis demonſtrabuntur.

Interim etſi principium activum materialibus notionibus ſuperius, & ut ſic dicam vitale, ubique in corporibus admittam; non ideo tamen *Henrico Moro* aliisque viris pietate & ingenio inſignibus hic aſſentior, qui Archæo neſcio quo aut hylarchico principio etiam ad phænomena procuranda ſic utuntur; quaſi ſcilicet non omnia mechanice explicari poſſint in natura, & quaſi qui hoc conentur, incorporea tollere videantur, non ſine ſuſpicione impietatis; aut quaſi cum *Ariſtotele* Intelligentias orbibus rotandis affigere neceſſe ſit, aut elementa dicendum ſit ſurſum vel deorſum a forma ſua agi; compendioſa ſed inutili docendi ratione: His inquam non aſſentior, nec magis iſta mihi Philoſophia, quam illa quorundam placuit Theologia, qui Jovem tonare aut ningere ſic credebant, ut cauſarum propiorum inquiſitores etiam Atheismi crimine infamarent. Optimum meo judicio temperamentum eſt, quo pietati pariter & ſcientiæ ſatisfit, ut omnia quidem phænomena corporea a cauſis efficientibus mechanicis peti poſſe agnoſcamus; ſed ipſas leges mechanicas in univerſum a ſuperioribus rationibus derivari intelligamus; atque ita cauſa efficiente altiore tantum in generalibus & remotis conſtituendis utamur. His vero ſemel ſtabilitis, quoties poſtea de rerum naturalium cauſis efficientibus propinquis & ſpecialibus tractatur, animabus aut Entelecheiis locum non demus, non magis quam otioſis facultatibus aut inexplicabilibus ſympathiis. Cum nec ipſa cauſa efficiens prima atque univerſaliſſima ſpecialibus tractationibus intervenire debeat, niſi quatenus fines ſpectantur, quos divina ſapientia habuit in rebus ſic ordinandis, ne quam laudis ejus & hymnorum pulcherrimorum canendorum occaſionem negligamus.

Sane & finales cauſæ (ut ſingulari plane exemplo optici principii, celeberrimo *Molineuſio* in Dioptricis ſuis valde probante, oſtendi) ſubinde magno cum fructu etiam in phyſicis ſpecialibus adhibentur,

tur, non tantum ut ſupremi Autoris pulcherrima opera magis admiremur, ſed etiam ut divinemus interdum hac via, quæ per illam efficientium non æque aut non niſi hypothetice patent. Quem uſum hactenus fortaſſe Philoſophi nondum ſatis obſervarunt. Et in univerſum tenendum eſt, omnia in rebus dupliciter explicari poſſe: per *regnum potentiæ* ſeu cauſas *efficientes*, & per *regnum ſapientiæ* ſeu per *finales*; Deum corpora ut machinas more architecti ſecundum *leges magnitudinis* vel *mathematicas*, & quidem in uſum animarum; animas vero, ſapientiæ capaces, ut cives ſuos & ſocietatis cujusdam cum ipſo participes, more Principis, imo patris ſecundum *leges bonitatis* vel *morales* ad ſuam gloriam moderante; permeantibus ſeſe ubique ambobus regnis, inconfuſis tamen & imperturbatis legibus utriusque; ita ut ſimul & regno potentiæ maximum, & regno ſapientiæ optimum obtineatur. Sed nobis hoc loco regulas generales virium effectricium conſtituere propoſitum eſt, quibus in cauſis ſpecialibus efficientibus explicandis uti deinde poſſimus.

Porro ad veram virium æſtimationem, & quidem prorſus eandem, diverſiſſimis itineribus perveni: uno quidem a priori, ex ſimpliciſſima conſideratione ſpatii, temporis & actionis (quod alias exponam) altero a poſteriori, vim ſcilicet æſtimando ab effectu quem producit ſe conſumendo. Nam *effectum* hic intelligo non quemlibet, ſed cui vis impendi, ſeu in quo conſumi debet, quem ideo *violentum* appellare poſſis, qualis non eſt ille, quem corpus grave in plano perfecte horizontali procurrendo exercet, quia tali effectu utcunque producto eandem ſemper vim retinet; quanquam & hoc ipſo *effectu*, ut ita dicam, *innocuo* recte adhibito, hanc noſtram æſtimandi rationem conſecuti ſimus; ſed nunc a nobis ſeponetur. Elegi autem effectum ex violentis illum, qui maxime capax eſt homogenei ſeu diviſionis in partes ſimiles & æquales, qualis eſt in aſcenſu corporis gravitate præditi: nam elevatio gravis ad duos vel tres pedes, præciſe dupla vel tripla eſt elevationis gravis ejusdem ad pedem unum; & elevatio gravis dupli ad pedem unum facta, præciſe dupla eſt elevationis gravis ſimpli ad altitudinem pedis unius; unde elevatio gravis dupli ad tres pedes præciſe ſextupla eſt elevationis gravis ſimpli ad pedem unum. Suppoſito ſcilicet (ſaltem docendi cauſa, etſi aliter fortaſſe in veritate ſe res habeat, ſed inſenſibili tamen hic errore)

rore)

rore) gravia æque gravitare in majore aut minore ab horizonte distantia. Nam in elastro non æque facile locum homogeneitas habet. Cum igitur comparare vellem corpora diversa aut diversis celeritatibus prædita, equidem facile vidi, si corpus A sit simplum, & B sit duplum, utriusque autem celeritas æqualis; illius quoque vim esse simplam, hujus duplam, cum præcise quicquid in illo ponitur semel, in hoc ponatur bis. Nam in B est bis corpus ipsi A æquale & æquivelox, nec quicquam ultra. Sed si corpora A & B sint æqualia, celeritas autem in A sit simpla & in C dupla, videbam, non præcise quod in A est, duplari in C, cum dupletur quidem celeritas, non tamen & corpus. Et peccatum hic fuisse vidi ab iis, qui sola ista reduplicatione modalitatis vim ipsam duplicari credidere; quemadmodum jam olim observavi, admonuique, veram neque hactenus (post tot licet *Elementa Matheseos universalis* scripta) traditam *æstimandi artem* in eo consistere, ut denique ad homogeneum aliquid, id est accuratam & omnimodam non modorum tantum, sed & rerum reduplicationem perveniatur. Cujus methodi non aliud melius illustriusque specimen dari potuit, quam quod exhibetur in hoc ipso argumento.

Hæc ergo ut obtinerem, consideravi an duo ista corpora A & C magnitudine æqualia, sed celeritate diversa, effectus aliquos producere possint causis suis æquipollentes, & inter se homogeneos. Ita enim quæ per se non facile poterant, saltem per effectus suos accurate compararentur. Effectum autem causæ suæ æqualem esse debere sumsi, si totius virtutis impendio seu consumtione producatur: ubi non refert, quanto tempore producatur. Ponantur ergo corpora A & C esse gravia, & vim suam convertere in ascensum, quod fiet, si eo momento quo celeritates suas dictas habent, A simplam, B duplam in extremis pendulorum verticalium P, A, E, C existere intelligantur. Constat autem e *Galilei* aliorumque demonstratis, corpore A celeritate ut 1 ad summum ascendente super horizontem HR ad altitudinem 2 A. H, pedis unius; utique corpus C, celeritate ut 2, ascendere (ad summum) posse ad altitudinem 2 C. R, pedum quatuor. Unde jam consequens est, grave habens celeritatem ut 2, potentia quadruplum esse habentis gradum celeritatis ut 1. Cum totius suæ virtutis impendio præcise quadruplum efficere possit. Nam libram (id est se ipsum)

 attol-

attollens ad pedes quatuor, præcise quater attollit unam libram, ad unum pedem. Eodemque modo generaliter colligitur, vires æqualium corporum esse ut quadrata celeritatum, & proinde vires corporum in universum esse in ratione composita ex corporum simplice, & celeritatum duplicata.

Eadem confirmavi, ad absurdum (nempe ad motum perpetuum) redigendo contrariam sententiam, vulgo, præsertim apud *Cartesianos*, receptam, qua vires creduntur esse in ratione composita corporum & celeritatum: qua etiam methodo usus sum subinde, ut duos *status virtute inæquales* definirem a posteriori, & majorem simul a minori certa nota distinguerem. Nam cum alterutrum alteri substituendo motus oritur perpetuus mechanicus, seu effectus potior causa, status illi sibi minime æquipollent, sed ille qui substitutus est alteri, potior fuit, quia majus aliquid præstari effecit. Pro certo autem assumo, naturam nunquam sibi viribus inæqualia substituere, sed effectum integrum semper causæ plenæ æqualem esse; & vicissim quæ viribus æqualia sunt, tuto ratiocinio sibi substitui a nobis posse, liberrima suppositione, quasi substitutionem illam actu effecissemus, nulloque adeo perpetui motus mechanici metu. Quod si ergo verum esset, quod vulgo sibi persuadent, æquipollere inter se grave A, ut 2 (sic enim nunc sumamus) præditum celeritate ut 1, & grave C ut 1, præditum celeritate ut 2; debet alterutrum alteri impune substitui posse. Sed hoc verum non est. Nam ponamus A ut 2 celeritatem ut 1 acquisivisse descensu 2 A 1 A, ex altitudine 2 A. H unius pedis; jamque ipso in 1 A seu in horizonte existente, substituamus pro ipso æquipollens (ut volunt) pondus C ut 1, celeritate ut 2, quod ascendat usque ad C, seu ad altitudinem 4 pedum. Itaque solo descensu ponderis A duarum librarum, ex altitudine unius pedis 2 A. H, substitutoque æquipollente, effecimus ascensum libræ unius ad pedes quatuor, quod est duplum prioris. Ergo tantundem virium lucrati sumus, seu motum mechanicum perpetuum effecimus, quod utique absurdum est. Nec refert, an per motuum leges actu efficere possimus hanc substitutionem; nam inter æquipollentia etiam mente tuto fieri substitutio potest. Quanquam etiam varias rationes excogitaverimus, quibus actu tam prope quam velis efficeretur, ut vis tota corporis A transferretur in corpus C, antea quiescens, sed quod nunc (ipso A ad quie-

tem

tem redacto) sit solum in motu positum. Unde fieret, ut pro pondere bilibri celeritatis ut 1, successura esset libra una celeritatis ut 2, si hæc æquipollerent; unde absurdum oriri ostendimus. Neque ista sane inania sunt aut in logomachiis consistunt, sed in machinis & motibus comparandis maximum usum habent. Nam si quis vim habeat ab aqua vel animalibus, vel alia causa, per quam corpus grave centum librarum in motu constanti conservetur, quo intra minuti temporis quartam partem absolvere possit circulum horizontalem diametri triginta pedum; alius vero ejus loco eodem tempore duplum pondus nonnisi dimidium circulum constanter absolvere præstet, minore impensa, idque tibi velut in lucrum imputet; deceptum te ac dimidia virium parte frustratum scito. Sed nunc fugatis erroribus, veras & sane admirandas Naturæ Leges paulo distinctius in Schediasmatis hujus parte secunda proponemus, mense Majo exhibenda.

VITA DI D. ANDREA CANTELMO, SCRITTA DA LIONARDO DI CAPOA.

i. e.

Vita Dn. Andreæ Cantelmi, auctore Leonardo Capuano.

Neapoli typis Jac. Raillardi, 1693, 4. Alph. 1. pl. 20.

POstquam clarissimi hujus Auctoris *Lectiones naturam Mephitium concernentes* in Actis Eruditorum A. 1686 p. 367, & *varia Cogitata originem ac progressus Medicinæ enarrantia* Tomo I. Supplementorum p. 615 memoravimus, nihil amplius, quod ab eo fuerit profectum, ad nos quidem pervenit. Nuper vero cum præsens hoc novumque ejus opus, curante illustri Magliabechio, nacti fuerimus, quod vitam magni quondam Ducis bellici Andreæ Cantelmi complectitur, occasio nobis nata est, honorificam denuo Leonardi nostri mentionem faciendi.

Fuit vero *Andreas* ille ex Illustrissima, imo Regia stirpe Cantelmiana, quæ ex antiquissimis Scotiæ Regibus originem traxit; ipso Carolo II Magnæ Britanniæ nuper Rege abunde id attestato, cujus authenticum eam in rem instrumentum, Edinburgi die 10 Sept. anni 1683 scriptum, quo & *consanguineos* suos salutare Cantelmos non dubitavit, post operis præsentis clausulam a pag. 227 ad 238 producitur.

Ex Scotia in Galliam celsissima gens jam olim migravit, comparatisque, in Provincia inprimis, non contemnendis possessionibus, militari arte diu multumque claruit, donec seculo post Christum natum decimo tertio, cum Carolo Andegavensi Siciliæ Regnum invasuro in Italiam delata, & ab eodem ob egregiam adversus Manfredum operam navatam, *Populo* (oppidi nomen est) aliisque in Aprutio bonis donata, fixam ibidem sedem constituit. Nobis seu diversa familiæ hujus fata, seu eorum, qui orti ex ea fuere, præclara facta recensere uberius haud vacat. Id saltim addimus, a Philippo II Hispaniarum Rege Joannem Josephum Bonaventuram *Ducis Populi* ex omate, quo posteri hodieque gaudent, condecoratum fuisse, cum majores *Domini* primum, post *Comites Populi* dicti fuissent. Cæterum caput Familia hæc Regia venerata hactenus fuit Celsissimum Populi Ducem *Josephum* anno 1693 defunctum, qui cum mascula prole destitueretur, filiam Beatricem, ex singulari dispensatione Alexandri VIII Pontificis, fratri suo Restaino, qui ante annos aliquot Tribuni militum ac Magistri campi munus in Flandria sustinuerat, in matrimonium concessit. Is hodie *Ducis Populi* & *Principis Pectorani* gerit titulum, fratremque agnoscit Eminentissimum ac Reverendissimum Dn. *Jacobum Cantelmum*, qui postquam varias legationes a Curia Romana ipsi demandatas, & inter hanc postremam Germanicam, ubi Augustissimi Imperatoris nostri Serenissimum filium *Josephum* Regem Romanorum electum vidit, maxima cum laude obivisset, & ubique insignia prudentiæ documenta edidisset, ab Alexandro VIII A. 1689 Cardinalis, posteaque Legatus Urbini & Archiepiscopus Capuanus, ac anno tandem 1691 ab immediato suo in isto munere antecessore Innocentio XII Pontifice hodierno Archiepiscopus Neapolitanus creari meruit.

Sed ut ad *Andream* nostrum, cujus vitam Leonardus Capuanus luculento hoc opere eleganter politeque descripsit, revertamur, ea est rerum ab eo gestarum magnitudo ac varietas, ut earum historiam hoc loco repetere prolixum nimis foret. Suffecerit pro instituti nostri ratione indicasse, natum Cantelmum fuisse Pectorani A. 1599, Fabricio Cantelmo Duce Populi & Laura d' Evoli fœmina illustrissima parentibus: ab ætatis anno vigesimo ad vitæ usque finem bellicam operam Austriacæ Domui in Italia, Germania, Hungaria,

Bel-

Belgio, Catalaunia, summa cum dexteritate præstitisse, variis arduisque casibus exercitatum: per diversos militiæ gradus ad supremi Imperatoris bellici munus, quod cum Proregia dignitate in Catalaunia non multo ante obitum gessit, adscendisse, tandemque cum Proregimen Navarræ decretum ipsi esset, in oppidulo sex milliaribus Cæsaraugusta distante, A. 1645 diem supremum obiisse. Singula uberius Auctor noster persequitur: summatim autem in *Elogiis Illustrium belli Ducum* Venetiis A. 1683 editis & a nobis in Actis Eruditorum A. 1684 pag. 432 recensitis, *Laurentius Crassus* pag. 211 sqq. enarrat; quem in eo tamen abire a Capuano nostro deprehendimus, quod cum hic anno seculi nostri quadragesimo quinto, ætatis vero ipsius quadragesimo sexto obiisse Cantelmum tradat, Crassus eum defunctum memoret anno 1646, & quidem cum quinquagesimum primum ætatis annum ageret. Lubet vero, ut cuique constet, quanto in pretio habitus etiam ab eruditis Cantelmus fuerit, Inscriptionem hic exhibere, qua in Catalaunia agenti librum suum, *Bivium virtutum & vitiorum* dictum, Erycius Puteanus dedicavit, a Laurentio etiam Crasso Elogio Cantelmiano insertam.

ILLUSTRISSIMO ET EXCELLENTISSIMO DOMINO
D. ANDREÆ CANTELMO
E Regibus Scotiæ,
Ducibus Populi,
Magno e Magnis,
Catalauniæ Proregi,
Militiæ ibidem Regiæ
Summo Præfecto,
Bellis Germanicis Belgicisque
Et nunc Hispanicis inclyto,
Armorum Gloriæ,
Litterarum Tutelæ,
Virtutum Vindici,
Vitiorum Hosti,
Vero Heroi, & Herculi,
Virtutum & Vitiorum
Bivium

Er.

Er. Puteanus Bamelrodius,
Officiose tanquam Patrono,
Humiliter tanquam Amico,
Scribens Pugnanti,
Dedicat.

Unicum supereſt, quod ignorare Lectorem Benevolum nolumus, Vitæ nempe Andreæ Cantelmi ſubjunctam eſſe tum Conſiliorum, quæ ſuper diverſis ille ſtatus ac belli negotiis conſignavit, tum Epiſtolarum, quas ad præcipuos quosdam Magnates exaravit, farraginem, a Leonardo Capuano magno ſtudio collectam: inſtituto omnibus laudando, qui norunt, quantum ex his talibus virorum, quorum fuit in Republica auctoritas, monumentis Hiſtoriæ affundi lucis queat.

EDUARDI STILLINGFLEETI, EPISCOPI VIGORNIENSIS Angli, Epiſtola ad DEISTAM,

Pro adſerenda S. Literarum autoritate & Religionis Chriſtianæ veritate.

Andreas Adamus Hochſtetterus, V.D.M. in Eccleſia Tubingenſi, ex Anglico Latinum fecit lucique publicæ exponi curavit. Ulmæ apud G. G. Kühnium, 1695. in 8.

Conſtat plag. 10.

NEmo eruditorum eſt, cui ignotum eſſe queat illuſtre Eduardi Stillingfleeti nomen, quod editis haud paucis limatiſſimi ingenii monumentis poſteritati dudum commendavit. Ut enim cætera taceamus, quæ de Britannorum origine in hiſtoricis, in polemica theologia adverſus Jo. Crellium, itemque in nuperis ſub Jacobo R. motibus contra Romanenſes feliciſſimo ſucceſſu ſcripſit: vel ſolum de origine ac veritate religionis Chriſtianæ opus præſtantiſſimum de incomparabili ejus eruditione ſingularique pietate teſtari abunde poteſt, quod ipſum, patrio conſcriptum ſermone, tanto mox in pretio habitum fuit, ut brevi temporis ſpatio, quidquid a typographi manu prodierat, conſumtum quaſi fuerit & a Lectoribus devoratum. Neque ſane inferiorem, apud ſuos æque ac exteros, laudem nacta eſt elegantiſſima ad DEISTAM epiſtola, in Latinum nuper ſermonem ad complurium deſideria ab *Andrea Adamo Hochſtettero*, viro clariſſimo & majora cum tempore daturo, translata.

pag. 243. ſqq.

Quan-

Quanquam autem ipsa lectu dignissima utilisſimaque est, breves tamen ejusdem pro more nostro lineas dabimus. Primum itaque monet Auctor Reverendissimus, nihil uspiam adeo clarum esse, ubi non inveniat quod ſcrupuletur ingenium ſophisticum; id quod vel ſolo veterum quorundam exemplo pateat, qui probare conati fuerint, nihil uſpiam in rerum natura exiſtere, & ſi quid exiſtat, non tamen intelligi a quoquam poſſe, aut ſi ab uno intelligi queat, exprimi tamen aliis haud poſſe. p. 15 Pariter non paucos olim fuiſſe repertos, qui ſubtilibus admodum argumentis omnem in univerſum certitudinis gradum auſi fuerint ſubvertere: at inde tamen non ſequi, deponendum omnem certitudinis prætextum, quia reſponderi forſan ad ſingulas Scepticorum argutias haud poſſit: diſplicereque adeo ſibi hunc arguendi modum, quo Deiſta reſponderi prius ad particulares quaſcunque difficultates poſtulet, p. 16 quam principales Chriſtianæ fidei evidentiæ conſiderentur. Nonne enim, inquit, ſatis rationum ſuppetere exiſtimas, ut credam, dari extenſam in mundo materiam, p. 17 etſi non facile ſolvantur difficultates, quæ de extenſione aut diviſibilitate moventur? aut ut firmiter quis perſuaſus ſit, ſe habere animam, tametſi declarare haud poſſit, quomodo unita eſſe queat ſubſtantia immaterialis cum materiali? aut Solem ſplendere, utut demonſtrare non poſſit, Solne aut Terra moveatur? Quibus ita præmiſſis latiusque expenſis, principalem heic quæſtionem eſſe dicit, an religio Chriſtiana ſit a Deo. Probato enim eam a Deo eſſe, fruſtra fore argumenta contra ejus auctoritatem producta. Generalia tamen Deiſtæ dubia mox proponit, qualia ſint: nullam ejus rei certitudinem eſſe, p. 23. quæ tanto abhinc tempore contigerit, cum tot fabellas in orbe fuiſſe conſtet: probabile videri, res iſtas tum fuiſſe conſignatas, cum nemo eſſet, qui earum falſitatem detegeret: et id quidem facile fieri potuiſſe ante inventam artem typographicam: neque quenquam eſſe, qui pias primorum Chriſtianorum fraudes Legendasque Papiſtarum ignoret: forſan plures impoſturas fuiſſe in propagandis confictis revelationibus miraculisque, p. 24 quam quidem detegere nunc poſſimus: neque hic Scripturæ aut Chriſtianorum teſtimonia amplectenda eſſe, quia ſuſpecta ob partium ſtudium, ipſumque Joſephi teſtimonium fraudulenter a Chriſtianis ſuppoſitum fuiſſe plures Viri docti exiſtiment: ſufficientia ejus rei fundamenta eſſe in ipſa hiſto-

ria, quæ inter se non cohæreat, obscura sit, aliaque contineat haud facile excusanda: unde merito de auctoritate illius dubitare quis pos-
25 sit, & suspicari, primos ejus præcones nonnisi novæ cujusdam sectæ antesignanos fieri voluisse. Quæ omnia ut solide convellat, primo
26 probat, materias facti, etsi longa adeo a nobis ætate contigerint, eam tamen evidentiam habere posse, ut obligare nos queat ad credendum,
27 illas esse veras. Alias enim nullum unquam competens testimonium
28 fore admittendum: quod si enim res historicæ sint descriptæ ab
29 hostibus aut peregrinis, causam fore dubitandi de cognitione ipsorum aut integritate; si ab amicis, dubiam eo magis fidem esse posse,
30 quia forsan laborarint partium studio. Equidem decipere homines
31 posse ac decipi, sed ita ut neutrum necessario fiat: esse enim adhuc in mundo illud quod *Veritatem* vocamus: & *quanquam omnes* homines decipere possint, *non tamen semper* illos decipere: posse denique quemvis cognoscere se non esse deceptum; hoc enim ni esset, nihil tale, quod societatem adpellamus, obtinere inter homines posse. Mox egregie exemplo a Thucydide petito ostendit, unde
35 *γνησιότης* auctorum cognosci queat, constanti nimirum omnium eruditorum a tot retro seculis consensu, comparatione testimoniorum inde citatorum, styli cum charactere, quem auctor a doctis ob-
p. 35 tinuit, consideratione. Extare equidem plurima scripta spuria, at inde non sequi, quod genuinum nihil extet. Neminem de genuinis Ci-
36 ceronis operibus dubitare ideo, quod Italus quidam libellum de consolatione supposuerit; quod omne prolixius ibi explicat, additis dua-
p. 38 bus ad Deistam quæstionibus, quarum una est, an isti, conceptui, quem de Deo habeat, plane repugnet DEUM ad manifestandam voluntatem suam adhibere homines per se fallibiles? ut ad silentium redigat hominem.

p. 39 Secundo probat, nullam esse rationem suspicandi de veritate rerum facti in N. T. commemoratarum. Quod ut luculentius demonstret, quinque primum justæ suspicionis causas recenset, singulasque cum veritate Historiæ N. T. comparat: uti sunt v. c. personæ decipientes, quæ artem decipiendi experiundo didicerunt, jamque utilitatem e suis fraudibus perceperunt: quod sane de Aposto-
42 lis dici non possit, hominibus piscatoribus atque ita rudibus, ut vix cum plebe Hierosolymitana norint conversari, qui tamen contemta

temta omni arte, malitia, eruditione ac numero adversariorum, per-
tinaciam Judæorum sapientiamque Græcorum superaverint. Neque 43
illos existimationem sui pro scopo doctrinæ habuisse exinde docet,
quod Paulus v. c. in magna Synedrii gratia constitutus, & ad altiora
mox promovendus, quidquid tamen prærogativæ in his habuit, de-
seruerit, despicatæque Christianorum societati se addixerit, cum ami-
corum non solum, sed & fortunarum omnium dispendio. Inauditam
hanc fore insaniam, si quis præsentem certamque honoris facile obti- 45
nendi spem desereret, & cum inevitabili suo periculo, vitaque perpe-
tuis cruciatibus exponenda, in aliorum delusione delicias quære-
ret. Quo ipso ne vestigium quidem reservationum, quas vocant,
mentalium aut æquivocationum in Apostolis deprehendi demon- 48
strat. Porro, si naturam doctrinæ quam prædicarint, considere-
mus, neminem imposturæ aut doli ex hoc capite illos accusaturos:
neque enim voluptuosorum suasisse libidines, nec ambitiosorum
pompam aut avaritiam; quin potius severissime impotentes istos
affectus prohibuisse, id quod utique neglexerit Muhammedes. Ne-
que etiam eos vel Judæorum vel Gentilium genio se accommodasse, 53
aut Jesuitarum more egisse, qui apud Sinenses religioni suæ ab artibus
mathematicis & doctrina astronomica autoritatem concilient.
Rursus, qui falsa religione orbem deceperint, illos longam fabula- 56
rum suarum ætatem finxisse: at Christianos potissimum religionis
suæ demonstrationem ab illo petiisse, quod nuperrime contigerat, &
in cujus circumstantias inquiri a quovis facile poterat, *resurrectionem* 58
nimirum *Christi a mortuis*. Observat consensum præstantissimorum
ejus ætatis scriptorum, etiam hostium: atque etsi Josephi de Christo
urgere testimonium opus non sit, id tamen asserit, quod si illi, 65
qui de ejus γνησιότητι dubitant, pari rigore cum aliis aliorum aucto- 66
rum locis agerent, tum istos quoque vocari in dubium posse; quan-
doquidem negari a nemine possit, illud in omnibus antiquis MSS.
deprehendi, neque pro impossibili habendum sit, Josephum ali-
quando non cohærenter scripsisse.

Tertio demonstrat, nihil in Christiana Religione esse, 64
quod aut majestati sanctitative, aut veritati revelationis di- 69
vinæ repugnet; simulque objectiones a deliquiis Apostolorum
hoc ipso elidit, quod ipsimet hæc talia memoriæ prodiderint,

 adeo-

adeoque semetipsos aut gloriam suam non quæsiverint. Subjungit
76 deinceps regulas, e quibus veritas humani testimonii cognosci tu-
79 to queat, easque ad testimonium Apostolorum egregie applicat,
Hunc, inquientium, Jesum suscitavit Deus, cui nos omnes testimo-
nium perhibemus. Erant autem & 500 numero discipuli, qui resu-
scitatum viderant.

85 Quarto ad ipsas e Scriptura petitas objectiones progressurus,
duo præliminaria expendit, & quærenti, cur miracula cessarint,
hoc idem esse respondet, atque quærere, cur non novum Solem
creet Deus, ut satisfiat Atheistis, veterem ab ipso creatum credere
nolentibus? Objicienti, quod Apostolus ipse fateatur, se dicere non-
nulla quæ non sint a Domino, regerit, hoc nempe candoris argu-
mentum esse, quod divinam prætendere revelationem noluit, quan-
84 do nullam habuit. Objecerat autem Deista, contradictiones in Scri-
ptura occurrere, v.c. Gen. XV. 13-16. coll. Exod. XII. Cui dubio,
quod interpretes vehementer torsit, ut satisfaciat, scopum primo pro-
d. 93 phetiæ ostendit, quod sc. non restringi solum ad servitutem Ægyptia-
cam debeat: mox de ipsis cccc annis respondet, omnem de illis
difficultatem evitari, si admittamus lectionem optimorum codicum
τῶν LXX. ἐν γῇ Αἰγύπτου καὶ ἐν γῇ Χαναὰν - - - ἔτη τετρακό-
σια τριάκοντα. Hanc enim lectionem esse vetustissimi codicis
98. Alexandrini (quem ex Henr. Justelli indulgentia haud raro evolvit In-
terpres noster Hochstetterus) & Complutensis, itemque Eusebii, Hie-
ronymi, codicis Samaritani, quin & ipsorum Judæorum. Objicienti
hoc ipsum codici Hebræo ipsique S. Scripturæ derogare, respondet
101 hoc non pro additione ad Scripturas facta habendum, sed authentici
solum exemplaris genuinæque lectionis productionem esse. Post
105 quatuor, de Chronologicis in S.S. occurrentibus dubiis, regulas pro-
110. ponit lectu prorsus dignas. E locis cum sapientia DEI non facile
151. conciliandis Deista objecerat Exod. XXI. de parente filiam vendente,
quam provisionalem solum legem fuisse, neque consuetudini gen-
tium repugnare, neque rationibus destitui acute probat. Pariter lo-
cum Deut. XXII. 13. de exploratione virginitatis, c. XXIII. 19. de prohi-
216 bitione usurarum, Exod. XXXIII. 33. de libro vitæ (quem de catalogo il-
128 lorum, quos ad possidendum terram Chananæam DEUS elegerat, ex-
ponit) Ruth. II. 20. III. 9. de relationibus quæ immodestæ videban-
tur Deistæ, 2. Sa. XII. 8. de diserta adulterii descriptione (ubi נשי de

gynæ-

gynæceo Regis aulico explicat) de schemate Hoseæ prophetico, alia- 130
que ita pulchre graviterque vindicat, ut dignissima omnino a nobis 131
habeantur, quæ a quovis Scripturarum amante diligenter atque avidel egantur.

ELIÆ CAMERARII MED. D. ET PROFESSORIS TUBINGENSIS

Dissertationes III. De Spiritibus animalibus; Spiritu fumante Boyliano; Potu Thee & Coffe.

Tubingæ apud Philib. Brunn 1694, in 8. plag. 12.

ELegans Mercurium in exilissima sanguiveha æque ac lymphatica viscerum vascula injiciendi artificium, ut desiderio aliquot Virorum eruditorum satisfieret, præfationi materiam dedit; utpote quod a multo tempore studio indefesso tum a Cl. Authore suo occultatum, tum quæsitum ab aliis fuit. Profitetur scilicet Author noster, se ab aliquot jam retro annis persuasum habuisse, non dari promptiorem ad perficiendas injectiones methodum, quam petito ab aëre antliaque pneumatica auxilio, siphonibus ordinariis negotio isti imparibus; eaque in sententia plane se confirmatum fuisse visis celeberrimi Nuckii præparatis anatomicis atque inservientib9 illi scopo instrumentis; ut nullus dubitet asserere, aëreo opus esse embolo, remque in eo totam consistere, ut viscus, cujus vasculum tubulo alligatum est, in recipiente suspendatur, ita ut in apertum aërem hiet tubulus incurvus, cui applicari Majæ filius, & recipiente evacuato in quosvis canalium capillarium Mæandros, aere externo gravitante & premente, intrudi potenter queat. Quamvis haud inficietur, se non nisi generalia hic tradidisse, sique ad Nuckii, Ruyschiique in visceribus præparandis aspires elegantiam, dexteritatem haud levem, attentamque circumstantiarum considerationem requiri, cum & hic usus faciat artificem. *Prima* vero *dissertatione* intricatam spirituum animalium indolem clarissimus Author illustrat, occasionem præbente experimento, a Cel. primum Bellino instituto, atque ab Excell. nostro Bohnio eruditis publico programmate communicato, quo nempe diaphragma animalis a motu jam cessans pristinas molitur systoles, compressiva digitorum nervo phrenico admotorum versus diaphragma tendentia accedente. Istud scil. experimen-

perimentum in detegenda ſpirituum natura quibuscunque aliis longe antecellere judicat, cumque id communiter pro adſtruenda palpabili eorum conſiſtentia adhiberi cerneret, diſſertatione iſta contrarium, impalpabilem nempe eorundem tenuitatem modeſtę evincit. Poſtquam enim eos, qui Chymicis ſpiritibus animales ſimiles dicunt, quique eos ex materia quavis poſſe generari aſſerunt, perſtrinxiſſet, ſuam explicans ſententiam requirit in ſpiritibus tum tenuitatem atque mobilitatem inſignem, tum notabile robur, unde eos non impalpabiles ſolum, ſed & elaſticos, actu compreſſos, niſuque ſe reſtituendi gaudentes, paucis, aëreos ſtatuit, aërisque, qui nos ambit, portionem, quam in corpore plane neceſſariam dicit; non aërem mediæ naturæ, quem non magis quam aquam, terramve mediam videtur admittere; quærenti per quas vias ſubeat aër ſanguinem, in pulmonibus id fieri negat, viamque ipſi cum alimentis eandem aſſignat. Oſtendit dehinc, egregie experimenti, circa quod verſatur, circumſtantias cum ſpiritibus elaſticis concordare, faciliusque ab iſtis, quam palpabili fluido, ſolutionem admittere; iſtas vero aëris ſpirulas ſanguini adhuc mixtas vitales vocat ſpiritus. At a ſpiritibus his elaſticis lymphæ permixtis nullam, niſi quam aër impertiri poteſt, peculiarem efficaciam ipſi imprimi contendit, eorumque circulationem etiamſi ab ipſo non negatam minus cenſet neceſſariam, modumque quo ſpiritus hi ſecernantur, attentius conſiderat. Subjungit his motus ſenſuumque phænomena, elaſticis potius quam palpabilibus ſpiritibus adſcribenda, interque hæc tenſionem ordinariam partium muſculoſarum, ipſumque motum clarius ab illis deducit, ut & phænomenon illud ſolutu haud facile, contractionem ſcilicet cordis jam a motu ceſſantis calidæ aquæ applicatione iteratam. Idem poſtea agit circa ſenſus, monſtratque, qui ſuppoſita ſpirituum elaſticitate, ab iisdem ſpiritibus in eodem canali fluentibus eodem prorſus momento partis ſenſus perfici queat & motus. Admirandam porro objectorum quæ ſenſus feriunt ſubtilitatem elaterem ſpirituum confirmare, ſenſumque auditus hac ratione aëri penitus adſcribendum cenſet; viſus dehinc lucisque & colorum phænomena hypotheſi ſuæ faventia in medium profert, inquiritque, cur res duplici oculo viſa non appareat gemina. Subjungit his pathologicam ſpirituum conſiderationem, motusque & ſenſuum depravatorum

torum symptomata spiritibus, quos supponit, elasticis adscribenda fusius probat; omnia spirituum depravatorum vitia, oriundos hinc affectus, horumque terminationes, unde sententiæ suæ non parum roboris conciliat, altius perpendens.

Dissertationem alteram nobilissimus Auctor ab encomio illustris Boylii orditur; ejusque postea spiritum fumantem ex calce viva, sulphure, & sale armoniaco vi ignis extortum, considerat, modum parandi, rubicundum colorem, exhalantem continuo in libero aëre fumum, huncque in vacuo recipiente cessantem, vim penetrandi, qua pollet fumus, summam membranas arctissimas permeantem, concretam temporis tractu in liquoris superficie crustam salino-sulphuream, sublimatosque in phiala flores; tandemque medicam ejus in pectoris affectibus vim, cæteràque phænomena exhibens. Dilucide dehinc horum rationes adducit, penitiusq; scrutatur volatilem hanc sulphuris tincturam, tinctumve sulphure spiritum salis armoniaci, a sulphureis lamellis & moleculis tum rubedinem liquoris, tum fumos conspicuos derivans; aëris elastici pressioni atque agitationi, non peculiari in eo latitanti menstruo originem fumi adscribens, idque experimentis in recipiente vacuo institutis confirmans. Ubi vero fumos adeo prompte poros membranarum permeantes perpendit, notat analogum, quo contagium propagari queat, modum, heterogèneis exhalationibus & moleculis in aëre natantibus, eo licet excluso, poros cutis humanæ permeantibus.

In *Dissertatione tertia*, cujus quoque aliquos tangemus apices, calidos Theeæ & fabarum Coffee potus eorumque indolem scrutatur, non in genere equidem, quod crebro passim factum novimus, sed qua regionem quam incolit ordinario vini potu gaudentem, usum eorum & abusum contemplatur. Cumque id non Medicis solum scribat, sed Theeophilis omnibus, generalem claramque partium corporis fluidarum atque solidarum, tam in naturali quam p.n. statu constitutarum conformationis Ideam præmittit, juxta quam potuum effectus eo ordine expendit, ut primo loco ostendat, quantum efficaciæ ab istis potibus sperare liceat, utpote quos tanquam nov-antiquos omnino servandos, utilesque, tum in conservanda conformatione partium legitima, tum in restituenda judicat; eam una controversiam tangens, an aquæ calori, an Theeæ fabisque effectus

fectus, quos infusa hæc edere valent, adscribendi sint: censet vero specificam illis virtutem minime denegandam, multum tamen, quin plurimum actuanti illam aquæ calidæ tribuendum esse. Monet dehinc, nimium istis passim infusis, a nonnullis vi quasi orbi obtrusis, deferri, quod minime queant præstare; devolviturque dehinc ad abusus, quos indies magno numero committi probat, tum omnibus promiscue potibus istis inhiantibus, cujus effectus funestos specialius exponit, tum iis calidius quam par est, nimiaque quantitate, & ordine nullo observato haustis. Demonstratque, ut mittamus alia, metuendum hinc esse, ne sanguis nimio humore aqueo diluatur, aqueusq; minus elasticus, & iners fiat; probat enim hunc in finem, humidam sanguinis intemperiem non explodendam, sed revera & crebro obviam esse, quod dilucide & prolixe exponit; eos dein perstringens, qui fervidis istis potibus salia volatilia jungere audent, eaque occasione contra illos disputans, qui sanguinem non posse nimis fluidum fieri contendunt. Subjungit tandem digressionem de œnopotis & zythopotis, magnamque horum, qua temperamenta differentiam, praxi quoque confirmatam probe examinat, censet tamen eam non potui solum, sed & aëri, cibo, vitæque generi adscribendam.

DE CRUCE STATIONALI INVESTIGATIO HISTORICA Joannis Ciampini, dicata R.P. Henrico Noris.

Romæ, ex officina Jo. Francisci Buagni, A. 1694, in 4.

Constat plag. 3½ & tab. æn. 5.

QUi de cyclo paschali in vetusto marmore Ravennate sculpto dissertationem, a nobis A. 1692. p. 189. recensitam, Illustrissimo Ciampino dedicaverat, celeb. Henr. Norisius, Bibliothecæ Vaticanæ Præfectus, in grati animi tesseram ab isto præsens opusculum nunc recipit, in quo materiam de crucibus stationalibus ad suasum R.P.D. Josephi Mariæ Thomasii Auctor excutere annisus est, paucisque adeo de cruce a Constantino M. visa, deque insignibus ornamentis, quibus plurimi, Constantini fortassis exemplo inducti, signum hocce decoraverint, (qua occasione simul fictilis alicujus lucernæ cruce gemmata conspicuæ, & e bibliotheca Eminentissimi Cardinalis Othoboni secum communicatæ ideam exhibet,) præmissis, sub crucis stationalis

tionalis nomine nihil aliud indigitari notat, quam eam crucem, quæ in Lætaniis sive Litaniis, quas hodie processiones seu publicas supplicationes appellent, tanquam Christianæ religionis vexillum palam deferri sueverit. Cum enim Litaniæ ante celebrationem indicerentur, ut populus ad statutam diem statutumque locum conveniret, ipsum hunc populi actum standi sive permanendi in designato loco stationem, & crucem quoque inde stationalem dictam asserit. Ejusmodi crucem gemmis copiose instructam a Carolo M. in basilica, quæ audiat Constantiniana oblatam, istique usui destinatam, mox vero, cum ablata fuisset a latronibus, jussu Leonis IV. Pontificis aliam haud absimilem in ejus locum restitutam meminit, ac cæteroquin suam de crucis stationalis appellatione sententiam pluribus aliorum testimoniis confirmat. Porro inter cruces stationales, & eas, quæ in mortuorum usum deferantur, id discriminis constituit, ut istas veluti præ cæteris magnas & sumtuosas, has autem tanquam parvas ut plurimum describat. Reliqua dehinc, quæ ad prioris moduli cruces referri mereantur, verbis ex Augustini Fivizanii tractatu de ritu sanctissimæ crucis Pontifici Romano præferendæ decerptis exponit. Ut autem suo munere eo adhuc melius defungeretur, nonnullas cruces, quas pro stationalibus agnoscit, æneis tabulis exprimi curavit, pauloque latius de iis impræsentiarum disserit. Duas præcipue argenteas, quæ a Capitulo Ecclesiæ Lateranensis in solennibus deferantur processionibus, commendat, & earum unicuique duas destinavit tabulas, ut gemina illarum facies a quovis possit inspici. Variis quoque figuris anaglyphico opere elaboratis cum eæ refertæ sint, inde harum explicationem subjungit, in prima mundi hominumque creationem, protoplastorum lapsum & ejectionem e paradiso, homicidium a Caino perpetratum, Abrahamum de filio immolando cogitantem, historiam Jacobi & Josephi, aliaque e SS. literis petita monumenta iis innui in Tab. I. & II. observans. In Tabula III & IV. secundam ostendit, quæ annum 1451 adscriptum quidem habeat, sed antiquiora tamen redolere tempora videatur. Cæterum in ejus parte anteriori Dominicæ resurrectionis, pelecani avis, Joannis & Mariæ prope crucem consistentium, ac tandem sepulturæ Christi figuram; in posteriori autem Dominum dextra sua benedicentem, ac sinistra librum apertum tenentem, quatuor item Evangelistas

 con-

conspici demonstrat. In Tab. V. & ejus num. 1. aliam crucem stationalem exhibet, Ravennæ in Ecclesia metropolitana asservari & populo in solennibus diebus monstrari solitam, quamque ab Archiepiscopo S. Agnello, qui post medium sexti seculi floruerit, constructam perhiberi, & quadraginta exornatam dicit argenteis orbiculis, in quorum singulis caput viri diadematum pectoretenus expressum sit, quibus Ravennates denotari Episcopos arbitratur. Tandem in eadem tabula sub num. 2. & 3. crucem superaddit, quæ, si non stationalis, satis tamen antiqua sit, & in sacrario collegiatæ Ecclesiæ S. Martini Gangalandi, Florentinæ diœcesis, recondatur. Sed cum hæc præter notissimas Christi crucifixi, Joannis item, Mariæ, & quatuor Evangelistarum imagines, nihil notatu dignum contineat, diu ei non immoratur, ac mox totius Dissertationis filum abrumpit.

A DISCOURSE CONCERNING THE DIVINE Providence. i.e.

DISCURSUS DE PROVIDENTIA DIVINA Wilhelmi Sherlok, S. Th. D. Decani ad D. Pauli, Templi Magistri nec non S. R. Majestati a Sacris.

Londini apud Wilhelm. Rogers 1694. in 4. Alph. 2. pl. 4½.

POst *Discursum de Judicio extremo*, quem exhibuimus *in Actis Er. A. 1693. pag. 262.* hunc *de Providentia* subnectit Auctor reverendissimus. Nam cum ibi docuisset, Providentia mundum regi, hic ejus explicat naturam, eum in finem, ut homines illam ipsam & credant
p. 1. & revereantur. Rem omnem novem capitibus includit, quæ iis referta sunt meditationibus, ut nobis amplissimam non minus quam gratissimam excerpendi dederint materiam.

Cap. 1. Ostendit, necessario connecti fidem in DEUM cum
3. fide, qua ejus Providentiam credimus. Nam 1.) æque absurdum esse, asserere mundum casu gubernari, ac casu formatum esse; imo
4. absurdius esse, statuere, casum posse conservare & sustentare res, quas effecit; quod possit in natura restituere, quæ perierant; quod possit non semel tantum ac iterum, sed infinities novas sistere productiones; quod possit naturæ leges præscribere & necessitatem, hoc est, quod possit finem casui imponere, fatumque ac necessitatem introducere. 2.) Non nisi sapientiam creatricem posse regere orbem, utpote

utpote quæ optime rerum omnium intelligat naturam. 3.) Si infini- 5.
tum datur ens, quale Deus esse creditur, dari etiam Providentiã. Hæc
namque nihil aliud est, quam infiniti entis omniscientia & summa po-
testas. 4.) Extra quæstionem videtur esse Auctori, quod qui creavit
mundum, etiam illum gubernet: quandoquidem quam creaturis ip-
se implantaverit sollicitudinem, ea necessario etiam in ipso esse intelli- 7
gatur; ne arguatur ejusdem cum struthione stultitiæ. Job. XXXIX. 17.

Deinde tradit, Philosophos omnes, præter Epicureos, asseruisse
Providentiam, additque hoc hominum genus, quod atheorum venit
nomine, frustra hoc in capite rationem prætexere; cum atheismi robur
in eo consistat, ut omnium hominum contradicant rationi, ac audaci 11
tantum negatione vel affirmatione suam fulciant opinionem. Im-
pudenter etiam & absque ratione ab istis asseri, posse absque sapien-
te Creatore produci mundum; ex mortuis, stupidis, inanimatisque
atomis educi vitam, sensum, & rationem: & hujus rei si rationem
exigas, non aliud eos nisi suum *posse* opponere, tam larga assertione, ut
omnia fieri posse ex omnibus credant; cum tamen ipsi definire haud-
quaquam possint, quid fieri non possit. Certe enim seipsum renun-
tiaturum esse spondet Auctor sensui & rationi in perpetuum, si inve-
nire possint magis absurdum & contradictorium in eo, quod fieri non 15
possit, quam in eo quod fieri possit.

Cap. II. generalem Providentiæ exponit *rationem*, quæ est
conservare res creatas in essentia & natura sua, nec non gubernare,
prout elegans mundi ordo & hominis beatitudo requirit. Unde *duo*
intelliguntur esse *Providentiæ actus*, conservatio & gubernatio. Illam
cum Schola dispescit in Conservationem essentiæ & Cooperationem 17
cum creaturis. *Priorem* necessario in creatura supponi, atque cum
ex Suarezio annihilationem rei creatæ descripsisset, quod non sit actus
potentiæ, quæ aliquid producens sistat effectum realem, sed negatio
aut subtractio illius potentiæ, qua sustententur singula; concludit,
non dari posse creaturam a Creatore minime dependentem. Porro, di-
missis quæstionibus aliis censet, conservationem rerum creatarũ inni- 19
ti perpetuo & immutabili decreto, nullamque materiam neque spi- 20
ritum in nihilum redactum iri, & mundum, quales quales etiam subi-
turus sit mutationes, tamdiu extiturum, quamdiu ejus supererunt in-
colæ; nec enim velle DEum annihilare illum, sed destruere, quod

est relinquere materiam, & mutare formam. Circa *cooperationem* agnoscit Sherlok, quam difficile sit ejus exponere rationem; illud tamen tuto asseri posse, quod naturali DEus cooperetur potentiæ, hoc est, adjuvet eam & actuet, ut juxta facultates innatas possit operari creatura; omnes autem alias DEI actiones circa creaturas, quales sunt immutare voluntatem, illuminare mentem, referri ad gubernationem. Quod ipsum suppeditat Auctori responsionem ad objecti-
22 ones adversus Providentiam divinam circa peccatores occupatam, nec non ad quæstionem, cur peccata æterna plectantur pœna, licet nulla sit inter peccatum momentaneum & pœnam æternam proportio. Nam peccatorem dicit, immortalis cum sit, non posse non esse miserum sine fine. Quæstionem enim ait non esse de peccato, sed peccatore, quamdiu puniri debeat, & responsionem esse, quamdiu
28 peccator est, neque a peccatis cessare velit, cujusmodi status sit Diabolorum damnatorumque spirituum. Et ne mirum id alicui videatur, jubet considerare unicum peccatum, quod, licet mox transeat, possit tamen non solum perpetuam peccanti afferre ignominiam, verum & omnem auferre corporis valetudinem. Talisque perpetuo miserrimus fuisset lapsi hominis status, si post lapsum hic mansisset immortalis, sine omni justitiæ divinæ labe: causam enim æternæ tum miseriæ, tum ignominiæ, in ipso quærendam peccatore; non justitiam divinam accusandam, quod æternas irroget pœnas. Nullam vero dari posse rationem, cur DEUS debeat annihilare peccatores; vel quorsum omnia redeunt, cur creare non debuerit?

33 *Cap. III.* Providentiam *Gubernatricem* explicaturus dicit, tollere eandem, qui, quæ fiunt, in nudam permissionem referunt, quam a Providentia ordinante & disponente separant, ideoque nec aliud quicquam dicunt, quam DEUM id non impedire; qua ratione & homines possent dici gubernare mundum, hoc saltem discrimine, quod DEUS non impediat, cum possit, homines non impediant, cum non possint. Ne tamen quis impingat, distinguendam esse docet gubernationem DEI circa causas, ab illa, quæ versatur circa eventus. *Causæ* autem cum sint tum naturales, tum fortuitæ seu accidentales, tum denique morales, agnoscere tamen omnes DEUM non solum creatorem, verum & gubernatorem. Videmus aërem pro arbitrio DEI infici, terram ampla beari messe, cito tardeve vere promoveri

veri aut reprimi actiones hominum, exercituum, imperatorum. Ve-
rum ut hinc elucet, Deum gubernare naturales causas; ita, quoni-
am Deus his sæpissime utitur, concludunt insipientes, omnia per na-
turam fieri, absque Deo. Ast adverso naturales causæ eruditam
exigunt manum, a qua gubernentur: nam mechanica arte, quæ vel
eundem semper, aut regularem, vel uniformem producit effectum,
cum regi nequeant, certe prudentissimus creditur esse, qui easdem
unicuique actioni attemperat finique sapientissimo accommodat.
Fortuitos casus a Deo regi, probat Sherlockius ex occiso per se- 39
curim, Achabi nece, Exod. XXI, 13. Deut. XIX, 5. 1. Reg. ult. in qui-
bus æque sapientia Dei, bonitas & justitia observandæ ac in aliis Pro-
videntiæ actionibus. Porro moralis causæ directionem divinam lati-
us explicat, ostendendo ex historia Jacobi, quomodo Deus tum La- 47
bani, tum Esavi immutaverit mentem; & cum nemo neget, pios ho-
mines esse Providentiæ divinæ ministros, de improbis etiam asserit, i-
dem contingere, cum Deus subito metu vel spe immutat eorum men-
tem, aliisque modis plurimis a proposito eos abducit; id quod de 57
eorum etiam perversis actionibus tenendum, quas tamen non
suggerat, sed aut impediat, aut si permittat, vel frustretur ipsum in eis
conatum, vel in bonum dirigat finem.

De *Eventuum* gubernatione observat 1.) se per illos intelli- 60
gere insignes illas actiones, quæ in Scriptura sacra *opera Dei* dicun-
tur, & sunt omne bonum vel malum pœnæ privatis publicisve rebus
a Deo immissum. 2.) Per eventuum gubernationem non solum se in-
telligere permissionem, sed voluntatem, ordinationem, constitutio-
nem & præfinitionem, nimirum, qua fiat, ut nulli possit bo- 61
num vel malum accidere, nisi cum ipse voluerit Deus: ideoque acti-
ones istas Dei proprias dici, quoniam homines in illis occupati aliud 64
plane intendant, ut in exemplo Josephi a fratribus venditi, observatu
facile sit. 3.) Gubernationem hanc distinguendam esse a fato. Nam
licet aliquis nulla ratione meliorem possit facere conditionem suam, 66
quam Deus constituit, aut decrevit; attamen agnoscit Auctor, im-
mutabile fatum conciliari non posse cum humanarum actionum li-
bertate, nec non boni malive natura, præmiis & pœnis; &, si admit-
tatur, omnem id labefactare religionem, virtutem, magnos genero-
sosque conatus, irritasque reddere ad Deum preces &c. Ideoque o-

missis Philosophorum de fato placitis, quos nunquam adeo horren-
dum somniasse existimat, quam Christianos quosdam; ejusmodi
scilicet, quod non solum hunc comprehendat orbem, sed ad o-
mnem pertingat æternitatem. Statuit igitur primo, Deum regendo a-
ctiones hominum, nullam iis imponere necessitatem; nam cum ipse
liberrime omnia permittat, impedire eundem solum, quod fini
per sapientiam suam præstituto videat haud congruere. Secundo
quicquid mali bonive hominibus eveniat, non aliud esse, quam
quod quisque factis suis commeritus sit: itaque neminem alii subesse
fato, quam quod malis bonisve actionibus sibi accersit. Quod
DEUS omnes eventus sua in manu habeat, non eam esse causam,
quod absolute omnium hominum determinaverit fata, sed ut
sapienter & juste gubernet mundum; & hoc sensu statuisse adjicit
Philosophos quosdam, fatum seu irrevocabile Dei decretum esse, ut
nimirum puniantur reprobi, præmia consequantur pii, & hujusdem
ministram solummodo esse seu executricem providentiam divinam,
69 quæ vel ideo omnes rerum eventus in sua teneat manu. Porro, exer-
citium providentiæ particularis in gubernatione omnium eventuum
consistere; qua occasione elidit objectiones illorum, qui negant, vel
terram a Deo regi, ac si ista minus Providentia egeret quam cœlum;
cum tamen sit confusionis, mutationis & corruptionis omnis thea-
trum: vel qui omnia individua gubernari a Deo inficiantur, ac si mi-
nus laboris vel gloriæ esset infinito & omnipotenti Deo, creare quam
gubernare, sive, ac si possit absque singularum partium cura regi
totum; & ingens creaturarum numerus mereatur Dei providam sol-
licitudinem, non vero unica; cum *ecce gentes sint quasi stilla situlæ,
& quasi momentum stateræ:* ac negatio denique Providentiæ circa in-
dividua tollat primarios cultus religiosi actus, qui non solummodo
respicit Deum tanquam causam universalem, sed & ut specialem no-
strum Patronum, Protectorem, Conservatorem.

71 Quum hoc modo definivisset divinam Providentiam, pergit
Capite IV. ad ejusdem *Affectiones*; & inter has primo est illa, quod sit
summa, id est, supremum & absolutum in omnes creaturas exerceat
regimen. Id probat ex summa Dei potestate in res omnes, & in-
75 perscrutabili ejus sapientia; quicquid ogganniant athei, metuen-
tes, ne absolutissima potestas, pro arbitrio faciens ea quæ vult, sibi no-
ceat:

ceat: quicquid obvertant & alii, qui ægre ferunt, quod Deus agat quodlibet, nec ullam ipsis actionum suarum reddat rationem, quasi, qui velint, nihil prudenter sapienterque factum esse, quod comprehendere ipsi nequeunt.

Ut igitur fundamentum ponat absolutissimæ Providentiæ, 76
ait, non posse eam injuste agere, Gen. XIIX, 25. Nam justitia in supremo judice supponitur, ad quem omnes appellant ob injurias ab inferioribus potestatibus acceptas. A priori etiam illud ipsum demonstrans Auctor, dicit, α) omnes perfectiones infinitas, utut videantur esse divisæ nostro concipiendi modo, unum tamen constituere ens infinitum, illudque absolutissime perfectum, in quo nulla perfectio possit separari ab alia: si enim abesset aliqua, ens illud perfectissimum minime esset. (β) Deum summe potentem neque velle neque posse injuste agere: nam injustitiam involvere primo impotentiam efficiendi aliquid absque alterius læsione; secundo affectuum
seu passionum fervorem, quo ferimur ad perficiendum, quod fieri 80
non decebat. γ.) Summam potentiam esse generosam, nec lædere, cum lædi nequeat. δ) Decus potentiæ esse bene facere, non vero
male facere. De justitia deinde & bonitate adjicit, easdem non ex 83
voluntate divina vel potestate dependere, ut æquum bonumque sit, quod DEUS vult aut efficit, sed humano concipiendi modo bonitatem & æquitatem præcedere. Nam hac solummodo ratione dici justitiæ naturam esse æternam; cum ex contrario sequatur, posse naturam boni & æqui mutari cum voluntate divina, si scilicet ista mutetur: hanc vero mutabilem non esse, non aliunde docetur, quam ex æterna æqui bonique indole. Hoc probe observare jubet contra absolutum decretum, quod damnationem reproborum justam facit ex sola DEI voluntate.

Dum in eo est, ut ex imperscrutabili DEI sapientia absolutam ejus providentiam deducat, advocat Dei cum Jobo colloquium, in
quo Deus non respondet Jobo de justitia facti, quam iste inique cri- 85
minatus fuerat; sed exponit varia naturæ opera, docetque, Jobum ista neutiquam intelligere, tantum abest, ut audere debeat suam accusare providentiam. Nam 1.) infinita sapientia non potest errare, neque injuriam facere. Si enim errat injuriamque facit, impru-
denter aut eligit aut judicat. 2.) Non magis possumus scire, quo- 91
modo

modo Deus gubernet mundum,quam quomodo creaverit.3.)Sapiens
97 Dei gubernatio amat secretam providentiæ rationem; ad minimum
præsumptio omnia sciendi in hac vita neminem decet, Prov. XXV,
2. ut vel ex pœnis impiorum, piorumque præmiis patescit; quæ cum
Deus differt, athei quidem inde providentiam negant, sed qui tamen suam produnt insimul causam, firmissimumque nobis suppeditant adversus semet argumentum, eo ipso dum probare nequeunt, contrarium, quod divinæ objiciunt providentiæ, fore melius. Nam si ex continenti Deus pœnam irrogaret, nullus amplius superfuturus erit homo; quoniam peccatores sumus singuli, nec ullus erit pœnitentiæ locus. Nobis interea sufficiat, quod α) res sit admiratione dignissima, cum videmus, quomodo ex longo & versatili labyrintho res Deus educat gloriosas, timores piorum in triumphos convertat, impios consiliis suis tanquam cassibus irretiat, eorumque maledictiones in benedictiones convertat. Quod β) negari nequeat, ali-
107 quos pios præmia hic consequi, id quod erigat spem reliquorum; aliquos ex adverso puniri impios, quod cedat in terrorem aliorum; quod vero non omnes puniantur, id malos invitare ad pœnitentiam; & quod neque omnes pii præmia consequantur, illud exercere liberam in ipsis voluntatem, quæ, si pœnæ omnes impios, bona solos manerent probos, indifferentia tam eleganti non emineret, sed ad virtutem morbis, paupertate aliisque malis compelleretur. Insuper præmia hic in bonos semper collata, & pœnæ in malos, insererent nobis opinionem, summam felicitatem in rerum harum vanissimarum usu sitam esse; nec non alterius seculi contemtum. γ) Quod promoveatur ita pietas atque virtutis studium. Nam Jobi spes etiam in præsentissima morte, & Habacuci lætitia III, 17. 18. tantam non mererentur laudem, si præscivissent, quis tandem futurus sibi esset finis?
110 4.) Ignoramus res plurimas, sine quarum cognitione impossibile est indagare providentiæ vias. Nam primo ignoramus plurimas hominum actiones, consilia, cogitationes omnes, ideoque impossibile est, ut intelligamus Dei circa ipsos providentiam. Secundo ignoramus consilia Providentiæ, & quid intendat. Iosephi venditio, nec non incarceratio, possent argumentum dare contra Dei justitiam; sed dum audimus, hanc fuisse viam, qua proximus fieret a Pharaone, nemo videtur non contentus fore, si ipsemet Josephus fuisset.
Tertio

Ignoramus statum futuri seculi. Qui adversus Providentiam 116
disputant, etiam adversus alteram vitam & Dei existentiam argutantur, coacervantes difficultates innumeras, quas dari nemo negat; sed quæ tamen eo tandem reducuntur, ut fatendum sit, eas esse ejusmodi, ut ipsas solvere possit infinita sapientia, ipsi non possimus. Neque sufficit, si quis dicere velit insolubiles esse objectiones illas, si alia non datur vita, cum hoc κρινόμενον sit, utrum insolubiles sint, etiam alterius vitæ intuitu? Hoc enim omnino rationi congruum, si alia adhuc speranda vita, hanc præsentem unam tantum esse scenam, & omnia, quæ hic aguntur, fieri in ordine ad illam futuram; adeoque generalem ad objectiones istas responsionem esse expectandam in futuro ævo, ubi emendabuntur, quæ hic videntur irregulariter facta esse. Mirum itaque, & Christianos quosdam circa Providentiam hærere, quandoquidem nulla potest esse difficultas, ad quam non abunde respondere queat æterna felicitas, æternumque tormentum.
Vexatam denique illam quæstionem omnes alias circa temporane- 120
am felicitatem vel miseriam longe excedentem, cur Deus multis seculis omnes gentes, Judæis exceptis, siverit idololatras esse? cur Christum tam sero in mundum miserit, & cur nunc orbis maximam partem paganismo & Muhametanismo addictus sit, paucissimi denique ex Christianis veram servent fidem & cultum? existimat Auctor solutu fore facilem, si sciremus, quæ hominum hic in invincibili ignorantia viventium postmodum sit futura conditio; subjungit etiam, ineptum esse, controversiam movere Deo, de re quam ipsi non intelligunt, & frustra nodos nectere, qui volunt gentes de Christo nihil audientes eandem subire pœnam cum illis, qui audientes evangelium, impie vixerunt. Tutius enim esse nobis, Deoque majorem afferre gloriam, nostram agnoscere ignorantiam, omnia referre ad Dei sapientiam, justitiam & bonitatem, quam præsumere horum notitiam & inde movere dubia, ad quæ respondere ipsi nequeamus.

5.) Sed ne imperscrutabilitas actionum Divinarum januam 123
aperiat imputandi Deo, quæ iniqua sunt, prout ea etiam asylum esse solet absoluti decreti aliorumque ex eo fluentium dogmatum, esse ait ea contra omnes justi bonique notiones, contra Ezech. XIIX, & ipsam imperscrutabilitatis notionem. Nam si imperscrutabi-

les ſunt Dei actiones, agnoſcimus Deum ſumma cum æquitate & juſtitia omnia gubernare, quam æquitatem & juſtitiam nos quidem
129 non cernamus. Patet igitur, imperſcrutabilitatem ſufficientem præbere reſponſionem α) in actionibus intrinſece non malis, β) in actionibus, quæ ad prærogativam Majeſtatis Divinæ pertinent, intra juſti tamen bonique decurrunt limites, nec a ſapientia ſunt alienæ, ut ſunt, redemptio noſtra per Chriſtum, regeneratio, effuſio Spiritus S. in Apoſtolos &c. γ) in rebus, quæ noſtrum ſuperant intellectum. Quæ ſuperſunt in libro doctiſſimo, ea proximo menſe ſubjuncturi ſumus.

PETRI BURMANNI DE VECTIGALIBUS Populi Romani Diſſertatio.

Trajecti ad Rhenum, apud Guil. vande Water, 1694. in 12. Conſtat plagulis 19.

QUemadmodum in antiquis Romæ inſtitutis accurate perveſtigandis multum ſe induſtriæ collocaſſe eruditiſſimus Auctor profitetur; ita ſibi præ cæteris arriſiſſe ait nobilem de vectigalibus (quæ fulcra velut nobiliſſimi illius Imperii nominare liceat,) materiam, eamque adeo in hoc tractatu ulterius excutere, & vectigalium hiſtoriam per omnia Imperii tempora contexere, ac eorundem non ſolum originem, ſed augmenta quoque, abolitiones, & reſtitutiones proponere in animum induxit, duodecim capitibus negotium iſtud univerſum abſolvens, quorum ſummam B. L. breviter nunc exhibebi-
cap. I. mus. Generatim nimirum id obſervat, datam eſſe vectigalibus a publica neceſſitate originem, remiſiſſe eadem factioſorum civium in populum ſtudia, auxiſſe vero pertinaciter ærarium tuentium optimatium conſtantiam; poſtea imperantium avaritiam pro lubitu ea varie exercuiſſe, ita ut nullo Reipublicæ tempore certa fuerint vectigalia, ſed ſubinde vel impoſita, vel abolita, vel vetera reſtituta, prout factiones, quæ rempublicam diviſerint, populari auræ vel publicæ utilitati conſuluiſſe deprehendantur. Hinc Romanos, cum bello aliquem populum viciſſent, duabus quam plurimum rationibus cum eo egiſſe refert, ut videlicet aut populos liberos ſuis legibus reliquerint, impoſito ſaltim annuo ſtipendio in victoriæ præmium & belli pœnam, quod proprie tributum vel ſtipendium audire ſoleat;
vel

vel devictos exuerint agris, civitatibus, & omnibus bonis, ipsorum agros vel in publicum redigentes patrimonium, vel in eos colonos ex urbe deducentes, qui deinceps ex proventu illorum partem aliquam Reipublicæ tribuerint. Missis itaque stipendiis illis, ad vectigalia solum hæc se confert, & exponit ante omnia diversas agrorum, qui aliquando sub publicorum, aliquando sub vectigalium nomine veniant, conditiones: aliorum nempe proprietatem penes Rempublicam permansisse, alios colonis divisos & assignatos, alios denique devictis gentibus ad colendum relictos asserens. Inde etiam vectigal varium ac dissimile evasisse notat. Ex agris enim, qui patrimo- c. II nium erant Reipublicæ, omnes reditus pertinuisse ad ærarium. Illorum autem, qui secundi erant generis, fructus ad colonos redundasse, qui vel pro jure & legibus, quibus deductio coloniarum facta fuerat, vel pro terræ ubertate aut sterilitate majus vel minus vectigal solverint, maximo tunc omnium existente quinta parte fructuum: quæ cum, tradente Appiano, ex *φυτευομένοις* derivata fuerit, & ista vox generalis sit, omnia quæ plantantur significans, hinc num de silva cædua, num vero ex pomo, vino, nuce, ficu, & reliquis arborum fructibus collectum sit vectigal, disquirit, & de postremo affirmativam tuetur, arbores fuisse vectigales adversus Bulengerum negans. Pinguissimum vero ex subjectorum & provinciarum agris, quos ultimo loco nominaverat, commodum Romanis enatum superaddit, cum aratores eorum magnam iis frumenti & frugum partem pendere obstricti fuerint, quam sub decumarum nomine considerat; circa quarum exactionem multa erudite disserit, tandemque ad locum aliquem Suetonii in Caligula satis hactenus vexatum conjecturam suam exponit. Cum enim inibi legatur: *Scenicis ludis inter plebem & equitem causam discordiarum serens decumas maturius dabat*, loco vocabuli *decumas* legendum venire *Mimos* reputat, cum facile librarii ex M literas DEC formare potuerint. Uti autem hanc fuisse dicit a- c. III grorum & vectigalium ex iis rationem, stante adhuc republica, ita multum eandem mutatam testatur imminuta libertate & eversa republica. Non enim subjectos populos decumarum amplius præbitione defunctos legi, sed unicuique pro modo atque ubertate agrorum certam fixamque imperatam quantitatem, quam Imperatori quotannis transmitteret, ut inde Domus Augusta, milites, & plebs

inops aleretur, unde in hunc finem ab Imperatoribus, & fortassis ab ipso jam Augusto, confectum ait quendam Canonem, frumentarium nuncupatum, quo quicquid quæque provincia quotannis præstare deberet, comprehensum fuerit. Inter alia autem olei quoque & vini exactionem eo relatam perhibet, deque provinciis ea pendentibus prolixe disserit.

c. IV. A fructibus ad pecora progreditur, & vectigalia e pascuis, saltibus, & silvis publicis pro gregum pastione soluta examinat, locataque refert pascua publicanis, qui a pascere volentibus certum æs acceperint, vectigalis nomine, quod dici consueverit scriptura, eo quod pastores apud publicanum numerum pecudum, quas in pascua publica immittere vellent, designare necessum habuerint, quem publicanus in suis tabulis scripserit; unde pecudes profiteri omissæ a Varrone dicantur inscriptæ, quam vocem multi viri docti de iis pecudibus interpretentur, quæ in tabulas publicanorum relatæ fuerint, cum potius contrarium hoc loco agnoscendum sit. Exolevisse autem hanc consuetudinem sub Imperatoribus, qui pascua occupaverint, eorumque reditus in fiscum contulerint.

c. V. Tertium vectigal id constituit, quod ex portubus Italiæ & provinciarum pro invehendis & evehendis mercibus exactum portorium ab Auctoribus appellari notat. Ac tempus sane, quo portoria primum exerceri cœperint, non accurate definitum reperiri; sub Regibus tamen portoria jam invaluisse colligit, & Siciliam quoque, Asiam, Britanniam id vectigal exsolvisse, omnia vero Italiæ portoria lege perniciosissima Cæcilium Metellum Prætorem sustulisse docet, quæ tamen postmodum a Cæsare & Imperatoribus subsequentibus restituta sint. Solutum vero dicit in portubus, quos Romani vel in Italia vel in reliquis provinciis habuerint, (quin imo nonnunquam etiam in pontibus & in itinere,) pro mercibus omnibus, quæ ad negotiandum portubus inferrentur; ubi tamen res a portorio hoc immunes simul enumerat. De quantitate ejus dum quæritur, ordinarie quadragesimam mercium partem exactam observat, locoque ultimo agit de vectigali rerum venalium, quod exigebatur pro rebus, quæ venalia erant in foro, vel quæ sub hasta licitantibus addicebantur. Id plerumque cum portorio, a quo tamen quam maxime diversum fuerit, confundi ait, & ejus de cætero quantitatem resque illi obnoxias commemorat.

c. VI. Mox ad metalla & ad salem properat, auri & argenti fodinas, lapidicinas item & salinas

nas, cum vectigalibus considerans, & in his quatuor vectigalium generibus, quæ ex agris, pascuis, portubus, & metallis capiebantur, acquiescens, de jure vectigalia constituendi dispicit. Id prima ætate apud Reges viguisse, sed forma Reipublicæ mutata inter Senatum, Magistratus, & Populum, quanquam diversimode, divisum; civitates quoque & municipia novi alicujus vectigalis instituendi jus non habuisse, sed illud a Senatu vel postea ab Imperatoribus obtinere debuisse contendit. Exercitium vectigalium, quod in locando, vendendo, & pecuniam ex illis contractam in ærarium importando constiterit, Senatum permisisse Magistratibus, curamque hanc olim Censoribus incubuisse; qua occasione illam aliquorum sententiam, qua & Consulibus locandi provincia tribuatur, latius excutere voluit. Successu autem temporis ab Imperatoribus vectigalium curam in provinciis ad Procuratores delatam; deinde, incertum quo ævo, institutos Comites sacrarum largitionum, qui per singulas provincias sub sua dispositione habuerint minores Magistratus: unde quinam Rationales, qui thesaurorum Præpositi, qui Comites commerciorum fuerint, explanat. Sigillatim vectigalis, quod in frumento consistebat, curam ad annonæ Præfectum; alterius e pascuis petiti ad Censores; portorii præcipue ad Comites commerciorum; metallorum denique vectigal & salinarum ad Comitem sacrarum largitionum ordinarie spectasse innuit. Nec publicanos vectigalibus conducendis operam impendentes præterit, variaque circa eorundem personas annotat, & illos, qui decumas ab aratoribus exigendas conduxerant, decumanos; qui e pascuis publicis conquisiverint, pecuarios & scripturarios; qui e portubus, portitores nuncupatos, metallorum vero conductores sub generali publicanorum nomine venisse dicit. Introductas vero sub Imperatoribus frumentariorum, pecuariorum vel suariorum, susceptorum, annotatorumque sive tabulariorum, & compulsorum appellationes paucis allegat, ac institutas classes navium, quibus species exactæ & in provinciarum horrea conditæ Romam transvehebantur, adjunctos item publicanis milites stationarios & urbanos, & tandem mancipes salinarum, qui earum conductores fuerint, considerat. Cuncta autem isthæc vectigalia cum nondum quotidianis Reipublicæ sumtibus suffecerint, excogitatum inter alia dicit nobile illud & pingue vectigal, quod ex servorum ma-

c. VII c. VIII c. IX c. X

numiſſione ſolutum fuerit. Primum enim Cn. Manlium Conſulem A. U. C. 396. de viceſima eorum, qui manumitterentur, legem dediſſe, & hanc poſtmodum ad ultima usque Reipublicæ tempora exactam, non a domino ſed ſervo ſolutam; interim ab iis qui manumiſſi juſtam & omnibus numeris perfectam libertatem haud conſequebantur, ab iis etiam, qui a peregrino manumittebantur, minime poſtulatam; ei vero colligendæ Vicenarium præfectum inveniri.
c. XI. Huic manumiſſionum vigeſimæ aſſociat vigeſimam hæreditatum, quam Auguſtus A. U. C. 759. invenerit, quæque reſpexerit hæreditates ac donationes, quas morientes quibusdam, exceptis proxime agnatis & pauperibus, reliquiſſent; ubi per proxime agnatos intelligit illos, qui ab inteſtato ad hæreditatem pervenire poſſent. Peregrinos tamen, & qui cives Romani non fuerint, ab hoc etiam immunes facit, ac varias diverſorum Imperatorum circa hoc vectigal conſtitutiones recenſet; imprimis autem ſolicite anquirit, quiſnam eorũ non ſine inſigni vectigalis hujus incremento omnes, in orbe Romano qui fuerint, cives Romanos effecerit? & munus iſtud Antonino Caracallæ, non obſtantibus ſecus arbitrantiũ teſtimoniis, transſcribit. Gratianum hoc vectigal ſuſtuliſſe, contra Alciatum ejusque ſequaces pernegat, ſibiq; veriſimilem videri affirmat opinionem illorum, qui Juſtiniano id attribuant. Legibus interim, ad hoc vectigal quæ ſpectent, ſummatim indicatis, illud ſimilem in modum ac cætera a publicanis redemta, curam dehinc ſpeciali quoque magiſtratui, qui procurator audierit, commiſſam, omne autem argentum exinde paratum in ærarium militare recidiſſe monet. Quod ſupereſt, reliqua populi Romani ve-
c. XII. ctigalia, quæ neque pinguia neque etiam diuturna ſatis fuere, ad finem usque ſervavit, illa nempe, quæ pro aquæductibus, pro cloacis, pro viis publicis, pro ſolo, pro columnis & oſtiis ædium, pro libero artium exercitio, e diurnis gerulorum quæſtibus, pro aëre, pro fumo reddenda venerunt. Cujacium quidem & Bulengerum vectigal etiam pro umbra nominare, ſed perperam, oſtendit, ac præter rem quoque ſpeciale aliquod macelli vectigal hunc ſtatuminare aſſerit, cum tamen illud ſub portorio comprehendi certum ſit: prout & vectigal, quod Bulengerus aliique vocent, ædilitium ex hoc catalogo eradi debeat; quandoquidem ædiles honorem auſpicaturi ludosque ſolennes edituri ab amicis, imo & a civitatibus ſociis & ſubjectis populis, hoſpiti-

ſpitibusque & clientibus mutuo ſolum accipere conſueverint, quæ ad magnificentiam & pompam quid conferrent. Licet poſtmodum, avaritia invaleſcente, provinciales coacti fuerint ædilibus in ludos & ornatum fori non commodare, ſed plane donare res, ac beſtias venari ad ſpectacula. Id onus vocari a Cicerone vectigal ædilitiorum, eodem modo, uti ille alias pecuniam, quam provinciales ſolebant Prætoribus dare, ne milites in hiberna reciperent, vectigal prætorium nuncupare voluerit.

IOHANNIS MURALTI, CHIR. ET MED. D. PHYS. PROFESS.

Scientiæ naturalis ſeu Phyſicæ compendium.

Tiguri, typis Joh. Rodolphi Simleri, 1694. in 8.
Conſtat plag. 14.

PRæmiſerat nobiliſſimus & aliis quoque ſcriptis Anatomicis ac Chirurgicis cum applauſu exceptis notiſſimus Autor A. 1693 naturalis ſcientiæ Prodromum, ſive Compendium Phyſicum in tabulas X digeſtum, quibus uno obtutu totius operis contenta accurate & ſummatim exhibet: unde ſpecialius recenſere ſingula, ne actum videamur agere, non attinet. Cæterum tractatu ipſo hypotheſes Carteſianas fere ſequitur, experimentis & obſervationibus chirurgicis & anatomicis intermixtis, per paragraphos ſeu theſes ſingula capita abſolvens. Phyſicam generalem de principiis & affectionibus corporis naturalis brevius, ſpecialem vero, in certas partes diviſam de cœlo & elementis, meteoris, anthropologiam, zoologiam, phytologiam, mineralogiam, latius pertractat, nihil omittens eorũ, quæ ad exponenda & illuſtranda ſingula pertinent. Revera enim hic habetur lexicon velut univerſale phyſicum, omnium v.g. partium corporis, animalium, plantarum, mineralium. Subinde etiam ſingularia offendas, nec alibi æque tacta, ut anaſtomoſin inter venas & venas, inter arterias & arterias manifeſte conſpici; chorion, membranam fœtus extimam, nihil niſi umbilicum expanſum eſſe; cor e ſeptem muſculis conflatum; ſemen ipſiſſimam eſſe plantulam ſuis jam donatam partibus apte complicatis &c. In fine index accuratus ſubjungitur contentorum, ut tanto rectius omnia inveniri & evolvi queant.

NU-

G.G.L. Notatiuncula ad Constructiones Lineæ in qua Sacoma, æquilibrium cum pondere moto faciens incedere debet, Februario proximo datas. Et quædam de Quadraturis.

JUcundissimum fuit solutionem *Dn. Marchionis Hospitalii* egregiam problematis elegantis & utilis, tum Additiones ingeniosissimi *Dn. Joh. Bernoullii* videre, quibus solutionem universaliorem & constructionem faciliorem reddit, meritoque rem notatu dignam censet, quod idem hic & per differentiales & per methodum Geometriæ communis obtinetur. Cujus rei complura exempla & mihi occurrerunt. Et sane in concreto sæpe ostenduntur rerum origines connexionesque, in abstractis terminis non æque apparentes. Consideratio autem centri gravitatis jam ipsa per se compendium differentialium seu summationem involvit, unde mirum non est, si per eam differentiales resuantur. Quod ut clarius appareat, ostendam, quomodo brevissima illa constructio etiam ex differentialibus statim & recta via sine interventu centri gravitatis nascatur. Nempe ex natura æquilibrii, quod semper manere supponitur, patet debere (*Fig. 8. Tab II. Febr. proximi*,) pondus M ductum in elementum ipsius IP, æquari ponderi B ducto in elementum ipsius IH: ita enim non plus descendetur quam ascendetur, seu erunt elementa descensuum vel ascensuum reciproce ut pondera. Quia ergo M in d.IP æqual. B in d.IH erit summando M in IP æqu.B in IH, seu M ad B ut IH ad IP, prorsus ut Bernoulliana constructio habet. Si intelligatur ipsa trochlea C non fixa manere, sed lineam durante motu ponderum & sacomatum, (nam vicissim sibi sunt pondus vel sacoma) describere, eadem tamen methodus locum habebit. Quemadmodum & in aliis similibus. Pulcherrimum autem est, quod notat, lineam a Dn. Marchione Hospitalio præscriptam ex genere Epicycloidum esse.

Quod vero observat summationem ordinatarum, quæ sunt ut $\sqrt{a^4+x^4}$ pendere ex dimensione curvæ parabolæ cubicæ, etiam Dn. Marchio me monuerat. Visus autem mihi sum, cum ista sub mani-

manibus haberem, connexionem videre cum dimensione curvæ Hyperbolicæ, sed talia nunc resumere non licet, quæ aliquando curatius tractare spero.

De cætero video doctissimum Dn. Joh. Bernoullium non probare, quod Dn. Craigius tacite supposuit in tr. de Quadraturis, quantitatem irrationalem habere summatricem etiam irrationalem similem. Et fateor hoc sine demonstratione illic fuisse positum, sed quoniam mihi methodo simili nonnihil, universaliore tamen ni fallor & breviore, talia tractanti, *principium* innotuit, nondum quod sciam, in hoc argumento consideratum, unde demonstratio ad rem pertinens haberi potest; proponere hoc loco placet. Dico igitur terminum summandum & terminum summatorem, vel quod eodem redit, differentiam & terminum differentiandum (Dni *Bernoullii* integralem vocant) habere easdem ambiguitates seu radicum varietates, cum quævis radix termini det propriam seriem; suas quoque proprias differentias habentem. Et proinde si sit y, differentia vel sumandus, & v summa vel differentiandus, seu, si sit $s\,y\,dx = v$; sequitur in æquatione quæ exprimit relationem inter y & x, & in æquatione quæ exprimit eam inter v & x, ipsas y & v ascendere ad easdem dimensiones. Sequitur etiam irrationalitates se simili modo habere, quippe quibus itidem varietas radicum indicatur. Certe *Cl. Craigius* non pauca attulit egregia, quæ faciunt, ut incrementa adhuc majora his scientiis ab eo sperem. Multumque ejus ingenuitati debeo, quod meis meditationibus aliquid debere voluit. Si consilium ejus scivissem, potuissem fortasse aliqua ad methodi incrementum suppeditare. Utinam tantum illis abstinuisset, quæ acerbe in Virum excellentis ingenii & doctrinæ dixit, cui, quæ ipse innuit, imputare, mihi nunquam in mentem venit.

NUMISMATA IMPERATORUM ROMANORUM præstantiora a Julio Cæsare ad Postumum & Tyrannos, per Johannem Vaillant. Tomi II.

Lutetiæ Paris. apud Joannem Jombert. 1694. in 4. Alph. 3. pl. 19.

REi Nummariæ studium nulli propemodum, quam Medici, avidius sunt amplexi. Quandoquidem præter Occonem, Medicum Augustanum, Patinum, Medicum Parisiensem posteaque Pata-

vinum, & Sponium, Lugdunensem Medicum, unus maxime in illo genere *Johannes Valens* (Vaillant) eminet, Medicinæ Doctor & Serenissimi Ducis Cenomanensium Antiquarius. Is enim, ut famam studiis elegantissimis partam immortalitati consecraret, nulli labori, nec tempori, nullis denique sumtibus pepercit. Italiam peragravit duodecies: ipsam Siciliam Græciamque adivit, incredibili genuina conquirendi numismata ardore incitatus. Cumque tot hactenus eruditissimis libris in vulgus editis Orbis Eruditi plausus obtinuisset, permoveri haud difficulter potuit, ut, quem frustra hactenus in librorum officinis justi rerum æstimatores quæsiverunt, de *præstantioribus Imperatorum Romanorum Numismatibus* librum nova editione locupletaret.

Huic ut multa inspersit alia, quæ in prioribus (est enim editio tertia,) non comparent, ita dedicationem quoque ac præfationem novam præmisit, ut causas hujus editionis & illorum, quæ in illa vel omissa, vel jam demum sunt adjecta, Lectori curioso aperiret. Et quamvis illa editio, quæ Parisiis A. 1674. prodiit, ea in re præferri huic posse videatur, quod in ea, quo loco & apud quos asserventur, singulis fere nummis sit adscriptum; fuere tamen Auctori rationes, cur omitti hæc mallet in recenti editione. Neque enim ignorabat, intra hos viginti annos plurimos cimeliorum dominos e vivis exiisse, simulque in alienas manus egregios nummorum transiisse thesauros. Præterea & nummos non paucos, quos multa experientia confirmatus spurios tandem cognovit, sciens in hac editione prætermisit, indignatus iis, qui suspectos etiam & fictitios admiscent genuinis; qua re tyrones imprimis decipi, eruditos autem admodum offendi arbitratur. Subjicit tandem Auctor in præfatione nonnulla circa maximi moduli nummos monita, quæ cum vix quemquam hactenus dedisse certum sit, ex ipso fonte haurire præstabit lectores.

Quod vero in specie ad primum tomum attinet, is quidem Romanos æreos seu Senatus Consulto cusos exhibet quibus in Apppendice accessit Series numismatum maximi moduli nondum observata. Insertæ sunt etiam passim notulæ, ad genuinos a spuriis separandi artificium apprime facientes. Quæ cum in priori editione non reperiantur, neque etiam ab auctore in titulo aut præfatione promittantur, paginas

ginas hic illis observationibus conspicuas Lectori lubet indicare. Sunt vero pag. 13. 18. 21. 52. 55. 71 94. 103. 119. 153. 155. 187. 188.

Alter tomus aureorum pariter & argenteorum a Julio Cæsare ad Tyrannos usque seriem delineat. Præterquam autem quod his quoque, sicut æreis, quos modo nominavimus, ingens nummorum accessit augmentum, singuli etiam nummi peculiari & erudita interpretatione illustrantur, qua prior editio prorsus destituitur.

Utinam vero & tertius elegantissimi operis tomus, quo ad Heraclium usque (nam duo priores in Postumo desinunt) seriem nummorum ex omni metallo, ita ut aurei, argentei & ærei jungantur, Auctor producturus est, lucem jam adspexisset. Sed cum is nondum, quantum quidem nobis constat, prodierit, rogandus publico nomine vir doctus est, ut illud operis complementum Orbi Erudito diutius non invideat.

SELECTIORA NUMISMATA IN ÆRE MAXIMI MOduli e museo Illustrissimi D. D. Francisci de Camps, illustrata per D. Vaillant.

Parisiis, apud Antonium Dezallier A. 1695. in 4.

Constat 18. pl. & tab. æn. 15.

NOvum Tibi hic, Lector Benevole, nummorum maximi moduli ex ære sistimus catalogum. Etsi enim ex iis, quos hoc libro celeberrimus Autor est complexus, aliquos etiam tomi I. libri modo dicti Appendix contineat, hic tamen in eo maxime versatur, ut, quod unus singulari industria collegit Abbas Illustrissimus Franciscus de Camps, museum illustraret. Is uti boni litterarii oppido studiosus est, ita Vaillantio suo facile, ut nummos hosce publicaret & haud perfunctorie explicaret, concessit. Cecidit vero tam feliciter Vaillantio, quod moliebatur, opus, ut vix quicquam ea in re vel accuratius hactenus prodierit, vel nitidius. Prior enim Series supra citata etsi nummis magis abundet, & a Julii Cæsaris ad Constantii usque Junioris tempora pertingat, prorsus tamen & figuris ipsis & omni caret explicatione. Præterea Græci omnes, quorum hoc in libro ingens occurrit numerus, in illa Serie prorsus desi-

deraritur. Ab Augusto autem in novo hoc opere continuam nummorum seriem, si paucissimos excipias, ad Magnentii usque Decentiique fratrum tempora produxit, admiscens nonnunquam, ubi exstare eos deprehendit, Augustarum quoque nummos in ære maximo.

p. 3. Ut autem quædam hic loci ex Auctore degustemus, Liviæ is observat nomen nunquam Romanorum, haud raro tamen Coloniarum nummos præferre maximos, quod illi juris sui, hæ Cæsarum essent magis studiosæ. Rarus Auctori dicitur Agrippinæ nummus, in cujus alteram aream (prima enim vultum ipsius refert atque nomen,) imprudentia seu errore potius monetarii pro carpenti typo, qui in aliis occurrit, Caligulæ corona quercea cum inscriptione S.P.Q.R.P.P. OB CIVES SERVATOS, irrepsit. Nec sicco prætereundum est pede, quod in Laodicensium quodam nummo sub Commodi imperio conflato observatum legimus. In hoc enim, quo fœdus Laodicenses inter & Ephesios initum describitur, vocabulum OMONOIA legitur, quod ipsum in contracta urbium societate admodum solenne fuit. Cumque in ejusmodi nummis Numina quoque tutelaria consignare ac nomina sua apponere consueverint urbes in societatem coeuntes, hoc quidem discrimine, ut quæque urbs in suis nummis nomen suum præponat, Numenque suum a latere dextro collocet; a Laodicensibus nummum hunc esse cusum, certo certius concludit Auctor, quod & nomen ipsorum præponatur, & quod Laodicensium Numen est, Jupiter dextrum, sinistrum latus Diana Polymamma, quæ Ephesiorum, occupet. Unde vero factum sit, ut tot numismatibus filii Imperatorum ad Imperium destinati titulo PRINCIPIS JUVENTUTIS vocentur, ab Augusti temporibus petendum esse Auctor existimat. Siquidem is fertur Cajo & Lucio a se adoptatis, cum Cæsarum appellatione, id nominis contulisse, ut illos pro designatis Imperio hæredibus assereret. Appellabatur autem proprie Princeps Juventutis, qui his præerat pueris, quibus Trojæ ludos in memoriam Ascanii edere volupe erat. Denique non tacemus, quod tyrones Auctor monet, Diocletianum nummos ex ære medios reddidisse frequentiores, & argenteos tot seculis corruptos ex argento puro cudi curasse, & ne quis monetam adulteraret, gravi pœna interdixisse, unde & *sacra* in ejus nummis appellata fuerit.

Margin notes: p. 7. (beside "rum essent magis studiosæ"); p. 56. (beside "sicco prætereundum"); p. 99. (beside "strum latus Diana"); p. 120. (beside "pe erat. Denique")

Cæ-

DERECHO

V.

AVGVSTI
SPOROSTC

ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩC·ΚΑΙCΑΡΙΑC
ΝΕΩΚΟΡΟΥ

X.

LVCILLAE AVG ANTONINI AVG F.

ЄΠΙCΤΡ·ΚΛΑΥΔΙ·ΝC
ΜΕΙΛΗΤΟΠΟ
ΛΙΤΩΝ

XI.

ΑΥΤ ΚΑΙC. Π ΕΛΥ ΠΕΡΤ.

ΝΟΥ ... CΑΡΔΙΑΝΩΝ

Cæterum e rarioribus atque elegántioribus, quos existimavimus, saltum ut specimen hic exstaret nitidissimi operis, paucos æri incisos hic exhibemus. Figura I. Neronis nummus delineatur, cujus altera area portum refert Ostiensem, cum statua Imperatoris super columnam in mari erectam posita, altera imaginem Cereris sedentis adstantisque Abundantiæ. Lustratorum Lucillæ puerorum elegantissimũ monumentum figura II. depictum videas, unde Auctori omnia picturæ momenta perlustrandi nata est occasio. Sed raritate sua omnes facile nummos, quotquot opus hoc complectitur, ille P. Helvii Pertinacis figura III. propositus superat. Is enim, ut Auctor quidem suspicatur, Æniorum Thraciæ gentium est, Pertinaci sacer, in quo præter vocis A ΝΙΩΝ mutilationem nihil quicquam exedit antiquitas. Eo autem inprimis nomine rarus censetur, quod nullus hactenus Græcus ex ære maximo, Pertinaci dicatus, nec quisquam Thraciæ ex ære magno vel maximo nummus cum Imperatoris cujusdam effigie ad antiquariorum manus pervenit. Quandoquidem & Pertinax tres tantum menses Imperio præfuit, & nummi ΑΙΝΙΩΝ semper Numinis cujusdam figura, nunquam Imperatoris capite ornantur. Sequitur figura IV. Juliæ Domnæ nummus. Huic enim eum consecraverant Cæsarienses, urbis suæ Genium sub mulieris turritæ rupi insidentis imagine, & Cerealium simul morem satis exprimentes, modo quid illo in manu teneat, certo nobis constaret. Figura V. nummus Macrino a Miletopolitis sub Claudio prætore dicatus repræsentatur. Mercurius hic rupibus insidet, quibus sinistra insistit, ad indicandum ipsius cultum in urbe, quæ supra montem exstructa. Tandem ob elegantiam insignem figura VI. addimus Sardianorum nummum, Tranquillinæ sacrum, qui Jovem refert inter Zodiaci signa tanquam inter Deos primarium sedentem.

Tab. III. p. 9. p. 41. p. 57. p. 64. p. 76. p. 94.

EXCERPTUM EX DN. BASNAGII HISTORIA OPERUM Eruditorum (*Histoire des Ouvrages des Sçavans*) mensis Novembr. A. 1694. p. 141, celeberrimi Jansenistæ *Antonii Arnaldi* vitam & obitum concernens.

Dn. Arnaldus die 6. Febr. A. 1612. natus, e vivis die 8. Aug. A. 1694, atque adeo ætatis suæ anno octogesimo tertio excessit. Vigesimus

ſimus fuit liberorum Antonii Arnaldi, famoſi quondam in Curia ſuprema Pariſienſi Advocati. Calvinianis aliquando addictū eum fuiſſe, nullo fundamento *Dupleix* prodidit, agnovitque poſtea errorem. Canonicatum obtinuit in Eccleſia cathedrali Virodunenſi, ſed mox eodem ceſſit. Poſt obitum demum Cardinalis Richelii, quem ob arctam nimis cum Abbate Cyrano conjunctionem, adverſantem habuerat, A. 1643. in Sorbonam receptus eſt, eodemque anno librum de *Frequenti Communione* edidit. Scripſit poſtea & alia, interque ea duas ad Dn. Liancurtium Epiſtolas, in quibus ea continebatur propoſitio, quæ tantarum illi perſecutionum cauſa extitit. E Sorbona A. 1656. ejectus, in Arvernia apud Dn. Paſcalium, & dein Pariſios redux in ædibus Duciſſæ Longavillanæ latuit, donec anno demum 1669. in publicum prodeundi impetravit facultatem; tumque libros, quorum alteri *Perpetuitas Fidei*, alteri *Moralis Calvinianorum Doctrina everſa* titulus eſt, publici juris fecit. A. 1679. ex Gallia abiit, nunquam poſtea in eam reverſus. Dn. Cardinalis Eſtreenſis teſtatus dicitur, oblatam illi ab Alexandro IIX. Pontifice Cardinalitiam dignitatem fuiſſe, ſi Cleri Gallicani Propoſitiones publice notas refutare ſuſtineret: ſed id eum abnuiſſe. Accuratum operum ejus catalogum difficile foret conficere: qualem tamen ipſemet reliquiſſe dicitur, cauſa etiam, qua compulſus quodque adornaverit, adſcripta. Duodecim ante obitum diebus octavum de Morali Jeſuitarum Diſciplina tomum abſolverat, immortuus tandem Vitæ S. Auguſtini, quam componere erat aggreſſus.

LIBRI NOVI.

Medicina Mentis, ſive Artis inveniendi præcepta generalia. Medicina Corporis, ſeu Cogitationes admodum probabiles de conſervanda ſanitate. Editio nova cum Præfatione Autoris. Lipſiæ 1695. 4.

Abrahami Gorlæi Dactyliotheca, ſive de Annulis ſigillaribus, quorum apud priſcos tam Græcos quam Romanos uſus, cum explicat. Iac. Gronovii. Leidæ 1695. 4.

Sebaſt. Schmidii Senarius Angelicus. Helmſtadii 1695. 8.

Numiſ-

Numisma a ærea Imperatorum, Augustarum, & Cæsarum, in Coloniis, Municipiis & Urbibus jure Latio donatis ex omni ære percussa: auctore Jo. Foy-Vaillant. Editio nova. Parisiis 1695. fol.

Commentarius de Sacris Ecclesiæ Ordinationibus, authore Joanne Morino. Editio nova. Antverpiæ 1695. fol.

Ferrandi Imperati Historiæ Naturalis libri XXIIX. Ex Italica in linguam Latinam conversa. Coloniæ 1695. 4.

Joh. Jacobi Waldschmid Opera Medico-Practica. Francof. ad Mœnum 1695. 4.

Guntheri Christophori Schelhammeri de humani corporis Tumoribus eorumque legitima curatione Liber. Jenæ 1695. 4.

Thomæ Sydenham Praxis Medica Experimentalis, seu Opuscula universa. Lipsiæ 1695. 8.

Orthodoxa Confessio Catholicæ atque Apostolicæ Ecclesiæ Orientalis, Græce cum interpretatione Latina edita a Laurentio Normanno. Lipsiæ 1695. 8.

T. Pfanneri Observationum Ecclesiasticarum pars altera. Vinariæ 1695. 12.

Georgii Paschii Schediasma de curiosis hujus seculi inventis, quorum accuratiori cultui facem prætulit antiquitas. Kiloni 1695. 8.

Nicolai Benedicti Paschæ Ontologia Thetico-Axiomatica. Francof. & Lipsiæ 1695. 8.

Juris Publici Prudentia compendio exhibita, auctore Henrico Coccejo. Francofurti ad Viadrum, 1695, 8.

Joannis Faes de Hebdomade magna libri III. Bremæ 1695. 8.

Casparis Bussingii de Situ Telluris Paradisiaco & Chiliastico Burnetiano ad Eclipticam recto Dissertatio Mathematica. Hamburgi 1695. 4.

Sebastiani Schmidii Dissertationes Academicæ. Hamburgi 1695. 4.

Bern. Nieuwentied Considerationes circa principia Analyseos. Amstel. 1695. 8.

Joh. Baptistæ Santolii Victorini Opera Poëtica. Parisiis 1695. 12.

Gedeonis Harvei Ars curandi morbos expectatione. Amstelodami 1695. 12.

Des

Des Devoirs des Pasteurs & des Peuples pour Rapport à la Persecution & au Martyre. A Rotterdam 1695. 8.

Recueil des Figures, Groupes, Thermes, Fontaines, Vases & autres Ornemens de Versailles. A Amsterdam 1695. 4.

Dictionaire Italien & François, par le Sr. Veneroni. Nouvelle edition. A Paris 1695. 4.

Les Oeuvres de Mr. Palaprat. A La Haye 1695. 12.

Le Theatre Italien, ou le Recueil de toutes les Comedies qui ont été jouées sur le Theatre Italien. A Amsterdam 1695. 12.

Les Oeuvres de Mr. Scarron. A Amsterdam 1695. 12.

Les Oeuvres diverses du P. Rapin: L'Esprit du Christianisme; la Perfection du Christianisme; l'Importance du Salut; la Foy des derniers Siecles. A Amsterdam 1695. 12.

Histoire des Anabatistes. A Paris 1695. 12.

Testament ou Conseil d'un Pere à ses Enfans, sur la Maniere dont il faut se conduire dans le Monde, par Mr. de la Hoguette. A Paris 1695. 12.

Les Satyres de Perse & de Juvenal, traduites en François par le P. Tartaron. A Paris 1695. 12.

Scaligeriana; avec des Notes de Mr. Le Fevre & de Mr. de Colomies. A Cologne 1695. 12.

La Communion devote, ou la Maniere de participer saintement à l'Eucharistie: par Jean la Placette. A Amsterd. 1695. 12.

La Vie de Jean Baptiste Colbert Ministre d'Etat sous Louis XIV. A Cologne 1695. 12.

Histoire du Gouvernement de Venise, par le Sr. Amelot de la Houssaie. Derniere edition augmenté, avec figures. A Amsterdam 1695. 12.

Nouvelle Relation, contenant les Voyages de Thomas Gage dans la Nouvelle Espagne. A Amsterdam 1695. 12.

Prodibit intra biduum Sectio VI. Tomi II. Supplementorum.

* * *

ACTA ERUDITORUM

publicata Lipsiæ

Calendis Maji, Anno M DC XCV.

EXAMEN DE LA THEOLOGIE DE MR. JURIEU par Elie Saurin &c. i. e.

Examen Theologiæ Dn. Jurii, auctore Elia Saurino.

Hagæ Com. apud Lud. & Henr. van Dole, 1694. 8.

Alph. 2. plag. 11.

CUm multæ, eæque gravissimæ Viro celeberrimo Petro Jurio, tum cum aliis, tum præcipue cum Theologis quibusdam Reformatæ Ecclesiæ sacris addictis, intercedant lites, nemini, ut puto, mirum videbitur, Eliam Saurinum quoque, Virum clarissimum, cum eo descendere in arenam. Prius vero quam ipsa quæstionum, quæ inter eos agitantur, delibemus capita, causam seriemque contentionis hujus paucis enarrare juvabit.

Docuerat Jurius hactenus varia, quæ cum receptis Ecclesiæ Reformatæ sententiis pugnare videbantur. Hac de re Synodum Lugdunensem nonnulli, indicatis hisce erroribus, certiorem fecerunt, non alio tamen eventu, quam ut literæ denunciantes novas Jurii sententias discerperentur. Gliscere nihilo secius indies magis magisque istæ lites cœperunt: hinc ne scinderentur in partes Theologi, gravissimisque periculis, nunquam fere non ex funestis ejusmodi contentionibus oriri solitis, Ecclesia Reformata exponeretur, Synodus Nardensis motibus hisce obviam itura jussit, ut Pastores & Ecclesiæ, quibus placita quædam Jurii a veritate aliena esse viderentur, id significarent Synodo Dordracenæ mox congregandæ, erroresque ejus, si quos deprehendissent, designarent. Mandato Synodi Consistorium Amstelodamense, ut & Flottemanvillæus Zutphaniensis Pastor, pariter ac Elias Saurinus noster morem gerunt, & ex scriptis Jurii, videlicet

Præjudiciis adversus Papismum, *Novo Systemate de Ecclesia & Analysi fidei*, *Vindiciis doctrinæ moralis Reformatorum ab accusationibus Arnaldi*, *Tractatu de Natura & Gratia adversus novas hypotheses Pajonii & ejus discipulorum*, aliisque a nobis subinde memoratis ea colligunt, quæ ab Ecclesiæ Reformatæ decretis aliena esse existimabant. Jurius interim literis errores ejus Synodo Lugdunensi denuntiantibus Apologiam opponit, in qua etiam Saurini observationes refellit atque perstringit. Sed præterea & alio scripto ex instituto Consistorii Amstelodamensis, Flottemanvillæi, & Saurini observationes convellendas sibi sumit. Et hæ quidem Consist. Amstelod. Flottemanvillæi, ac Saurini observationes, una cum responso Jurii, jussu Synodi Ziriczeensis A. 1692. mense Majo congregatæ, fuere typis commissæ, ut eo facilius in Synodo Bredana mense Septembri ejusdem anni convocata, sub examen revocari possent. Cæterum Bredana ista Synodus nihil magis in votis habens, quam ut contentiones istæ consopirentur, non tantum mitiorem de doctrina Jurii sententiam tulit, renitente licet Saurino, reclamantibus, si Saurino credendum, cordatioribus, verum etiam ut Saurinus Juriusque positis iris, harum contentionum non amplius facerent mentionem, jussit. Displicuere admodum Saurino Synodi hujus decreta, hinc & ea rationibus quam pluribus impugnat, Synodumque insuper habita veritate, & cœlestis doctrinæ puritate, favisse Jurio, ultra quam decebat, probare annititur, sibique vitio verti non posse, quod decretis hujus Synodi stare recuset, contendit. Atque ipse quidem vel invita ista Synodo defendere doctrinam cœlestem secum constituerat; sed auctoritate & ope Synodi Dordracenæ A. 1693. congregatæ, rationibusque aliis iisque gravissimis adductus, cum Jurio in gratiam rediit. Pacem istam & concordiam subsecuta Synodus Neomagensis firmavit quidem ulterius stabilivitque: quo minus tamen diuturna nedum perpetua esset, utique per se non stetisse diserte profitetur; quin se fecisse nihil reliqui, quo minus in amicitiam nunquam intermorituram feroces animi coalescere potuerint. Ast ea lege concordiam cum Jurio iniverat, siquidem prodere cœlestem veritatem, & venena sua latius spargere desineret. Ex quo vero & Jurius insuper primus pacis conditiones migraverit, calamumque strinxerit in Saurinum, rupti fœderis reum se peragi posse negat. Nimirum post pacem istam

Dor-

Dordraci initam & Neomagi firmatam, libellum edidit Jurius, cujus titulus est: *Animadversiones in librum, cujus titulus; Nova haresis in doctrina morali de odio proximi disseminata a Jurio, & omnibus Ecclesiis Reformatis denunciata.* Accessit mox alius, cujus titulus: *Defensio Synodi aliorumque Virorum proborum contra calumnias Satyræ Domini de Beaurval, cujus titulus; Considerationes in duos sermones* &c. In utroque haud obscure Saurinum perstringit, litesque, quæ jam consopitæ videbantur, in scenam prodire jubet. Saurinus itaq; gravissimas sibi jam præsto esse causas, ut tandem silentium rumperet, videns, doctrinam Jurii sub examen paulo accuratius revocare, & orbis eruditi oculis subjicere secum constituit. Absolvitur itaque præsens liber tribus partibus: quarum prima continet Observationes Saurini, jussu Synodi Nardensis conscriptas: altera refutat Apologiam, quam literis, quibus errores ejus denuntiaverat Synodo Lugdunensi, opposuit Jurius: tertia denique respondet illis, quæ contra ipsas Autoris observationes ex instituto regesserat Jurius.

Primæ itaque partis observationes docent, Jurium non recte sentire de Ecclesia, de salute eorum qui cœtui hæretico & idololatrico adhærent, de necessitate reformationis, de efficacia baptismi, de principio fidei, de Prophetis & prophetiis, de Θεοπνευςία scriptorum sacrorum, de propagatione Evangelii, de doctrina Ecclesiæ primitivæ ratione articulorum fundamentalium, de adoratione Christi Servatoris, de polygamia, de officio Christiani in bello, Præterea conatus Jurii in Theologia Mystica, itemque certas loquendi formulas, sub examen revocat.

In parte secunda prolixius differit de principio fidei, tum Reformatæ Ecclesiæ sententiam explicando, tum placita Jurii refellendo: de quibusdam loquendi formulis, de providentia Numinis ratione peccatorum, de regno millenario, de idea Ecclesiæ, de immutabilitate DEI, de propagatione Evangelii, de explicatione Epistolæ ad Romanos, de justificatione, itemque de efficacia Baptismi, eadem ratione agit.

Tertia denique pars prolixe discutit, quæ ad objectiones de salute illorum qui cœtui hæretico vel idololatrico addicti sunt, de necessitate reformationis, de doctrina Ecclesiæ primitivæ ratione articulorum fundamentalium, de adoratione Christi, de polygamia,

 de offi-

de officio Christiani in bello, de odio proximi, de conatibus Jurii in Theologia Mystica, Jurius responderat.

De hisce quæstionibus quid in utramque disseratur partem, referre prolixum nimis foret, legibusque adeo instituti nostri repugnaret: ne tamen omnia prætermisisse videamur, quid de efficacia baptismi & principio fidei (istæ enim principes fere sunt, de quibus controvertitur, quæstiones) afferant, speciminis loco, paucis indicare libet. Nimirum gaudere sacramentum baptismi efficacia, ab actione ejus, cui confertur, non dependente, adeoque & sanctificare & justificare homines, qui eo initiantur, non semel docuit, sed subinde inculcavit Jurius in Vindiciis Doctrinæ Moralis Reformat. *Lib. V. c. III. p. 24. 25. 26. 33. 36. 38.* & alibi. Hanc opinionem rejicit Saurinus (1) quia divinarum literarum auctoritate non possit firmari. Non enim liberos fidelium fieri liberos DEI, & in fœdus ejus recipi vi baptismi; sed ideo eos baptizari, quia jam sint filii DEI, & in fœdere jure nativitatis suæ. Baptismum illis conferri ad firmandam fidem parentum, siquidem infantes præmatura morte eripiantur; ad ipsorum autem infantium fidem confirmandam, siquidem ad adultam ætatem pervenerint. (2) Repugnare ait hanc opinionem communi Theologorum sententiæ, & etiam ritibus Ecclesiæ Reformatæ, non permittentis, ut quocunque tempore & loco baptismus peragatur; quod permissum utique fuisset, si esset medium sanctificationis & justificationis. (3) Hanc sententiam ab errore Romanensium tantum gradu differre. (4) Eandem excruciare fere ac ad desperationem adigere parentes, quorum sine baptismo moriuntur liberi. Enimvero sequi inde, neminem sine baptismo nisi per miraculum servari, idque eo magis, quia Jurius asserat, ut cibo & potu homines aluntur, ita & baptismo eadem ratione eos justificari & adeo salvos fieri.

Part. I. p. 13. seqq.

Hæc omnia vero ulterius deducit in *Part. II. Art. X.* ubi initio Reformatæ Ecclesiæ sententiam hunc in modum exponit: Efficaciam baptismi esse dijudicandam ex efficacia circumcisionis, in cujus locum successit, adeoque duos potissimum ejus esse effectus: primo quidem repræsentare eandem gratiam, quæ nobis promissa est, & officia, ad quæ per fœdus quod cum Numine inimus, obstringimur: secundo, eandem obsignare, h. e. confirmare promissiones, tum DEI, tum nostras. DEUS quidem nobis remissionem peccatorum & regenerationem

Part. II. Art. X. Sect. I. p. 510. seqq.

nem promisit, ideo quod mortis & resurrectionis Christi participes reddimur: nos vero obligamur ad gratiam Numinis fide vera & pœnitentia recipiendam. Hinc resultat tertius effectus, quod videlicet baptismus gratiam certa ratione nobis exhibeat. Exhibet eam, dum imaginem efficaciorem, si ita loqui licet, nobis sistit & imprimit, & ita fidem nostram roborat, qua gratiam recipimus, quæ etiam certo modo est pars gratiæ. Paucis: Baptismum eodem modo ac verbum agere, per modum, ut in scholis loqui amant, *objecti*. Si vero in genere baptismus, ut bonum aliquod opus spectetur; cum omnia bona opera pensare Numen soleat, ita & baptismum novam gratiam atque benedictionem nobis conciliare, extra dubium Autori esse videtur.

De Baptismo vero Infantum ejusque efficacia ut mentem suam exponat eo rectius, supponit, omnes infantes, quicunque nascuntur, infectos esse labe originali, eoque ipso æternam mortem cruciatusque infernales promereri. Supponit porro, fœdus quod Deus cum hominibus init, etiam ad posteros pertinere, ut fœdus quod cum Abrahamo ejusque posteris percussit: Unde sequi, Deo peculiari ratione posteros illorum, qui sunt in fœdere, curæ esse; itemque infantes fidelium vi nativitatis jure quodam gaudere in bona, quæ fœdus gratiæ secum conjuncta habet; adeoque si prius moriantur quam ad adultam ætatem perveniant, eos sine dubio in sedes beatorum transferri propter fidem parentum, ceu eorundem partes: Si vero ad adultam ætatem perveniant, eos fieri sui juris, ita quidem ut nunc penes illos stet, velintne media gratiæ accipere an respuere. Supponit probatque, infantes fidelium esse baptizandos. De sanctificatione autem infantum res non adeo liquida est. Illud constat, si infantes in tenera adhuc ætate moriantur, eos eo momento quo anima discedit a corpore, esse plane sanctificatos, ut beatitudinis participes fieri possint: an autem ante hoc momentum sanctificati sint, non liquere, nec temere hic quicquam esse definiendum. Hæc autem sanctificatio triplici modo potest concipi: aut quod Deus *ideam*, ut vocat, *actualem* animæ infantis imprimat earum rerum, quæ sunt objectum fidei, & quod excitet in anima ejus motus, qui actu ad summum Bonum h. e. Deum eam vertant; aut quod Deus immediate in anima infantis producat certas modificationes, quæ nec cognitionis nec volitionis, accurate loquendo promereantur nomen, sed quæ disponant ani-

mam ad objectum fidei facilius recipiendum, & ad producendum a-ctum fidei, (vocari ejusmodi dispositiones solent semina fidei;) aut denique hæc sanctificatio consistit in temperamenti quadam correctione, ut motus infantis magis ordinati sint & ad legem compositi per Spiritus S. operationem, quam sine ea futuri fuissent. Quod ad primum modum attinet, fieri equidem illud posse concedit; quod autem fiat, a vero abhorrere, cum simul concedendum foret, infantes non sine summo miraculo & Theologos & Philosophos fieri. Alterum modum a se non capi posse profitetur. Tertium haud difficulter posse concipi, nec se prorsus inficiari, DEUM infantum, quamprimum vitam accipiunt, temperamentum emendare: sed vero cum isti motus a corpore proveniant, hic autem de re spirituali sermo sit, hanc temperamenti emendationem, sanctificationem vocari posse, abnuit. Non tamen cum Theologis Salmuriensibus asserere audet, infantes fidelium neque sanctificari, neque capaces esse sanctificationis: nec illis suffragatur, qui plane necessarium esse asserunt, ut infantes fidelium pro sanctificatis habeamus: sed tutius esse putat, judicium hic suspendere, quandoquidem ipsæ divinæ literæ nihil certi hac in re definiant. Multo minus itaque cum illis facit, qui credunt, etiam ante nativitatem infantes fidelium actu sanctificari. Effectus igitur baptismi, qui confertur infantibus, ex mente ejus non in eo consistit, quod infantes per baptismum recipiantur in fœdus gratiæ, sed quod, cum jam sint per nativitatem in fœdere & liberi DEI, nisi gratiam ipsis oblatam deinceps respuant, hoc ipsum baptismus confirmet. Triplex autem effectus baptismi ante memoratus, significatio, obsignatio, & exhibitio objectiva, tum demum sese exerit, cum incipit homo ratione uti, adeoque & actus fidei ac pœnitentiæ edere potest. Si autem moriantur infantes, Deum eos eo ipso momento, quo solvitur vinculum animæ & corporis, regenerare, jam dictum est. Paucis: Baptismus etiam infantum, non est causa, sed signum & sigillum gratiæ. Quæcunque itaque de sanctificatione infantum hypothesis assumatur, non tamen necesse est, ut asseramus infantes per Baptismum sanctificari, vel, quod perinde est, Baptismum esse causam hujus sanctificationis. Quod vero de Baptismo in genere dictum, illum, si ceu bonum spectetur opus, favorem Numinis & beneficia baptizatis attrahere, id nunc præsertim de Baptismo infantum Autor repetit.

Huic

Huic itaque doctrinæ de efficacia Baptismi, quam Ecclesiæ Reformatæ propriam esse autumat, opponit sententiam Jurii, quæ sequentibus propositionibus absolvitur. (1) Præter efficaciam, quæ dependet ab actione & operatione ejus, qui recipit sacramentum, aliam insuper esse agnoscendam. (2) Plerosque Protestantium agnoscere, infantes posse regenerari, & in baptismo accipere semina fidei & sanctificationis: adeoque agnoscere aliam Sacramentorum operationem, præter illam, quæ vocatur objectiva: agnoscere videlicet talem, qualis cum signis miraculorum divinorum fuit conjuncta. (3) Quemadmodum enim infanti, dum coronatur, licet ignoranti quid fiat, nihilo secius dignitas regia actu confertur; ita etiam per baptismum qualitatem illam dignitatemque, ut sint filii DEI, efficacia non saltem objectiva, ut vocant, sed maxime reali conferri. (4) Sæpe equidem DEUS contulit gratiam ante baptismum: ast hoc fecit ob baptismum futurum. Cæteroquin autem, DEUM eo ipso tempore quo baptizantur infantes, illis conferre gratiam, ut credamus par est. (5) Infantes non baptizati sunt filii iræ, quippe qui morti sunt obnoxii, donec baptizentur, nec prius cum DEO plene reconciliantur, quam dum in fœdus gratiæ per baptismum recipiuntur. (6) Mors in infantibus fidelium supplet vicem baptismi, adeoque de salute infantum, qui sine baptismo moriuntur, non est dubitandum. (7) Ex Baptismo infantum in tenera ætate morientium, eos electos esse, certissime colligitur. (8) Baptismus est medium ordinarium, quo justificantur Christiani: adeoque necessarius est ad salutem æternam consequendam, sicut ad vitam conservandam necessarius est cibus & potus &c.

Ne vero Saurinus suam sententiam frustra pro sententia Ecclesiæ Reformatæ venditare videatur, præstantissimos Ecclesiæ hujus Doctores non aliter aut sensisse aut docuisse, evincere annititur. Hunc in finem satis prolixe sententiam Johannis Calvini, tum de efficacia Sacramentorum in genere, tum maxime de efficacia baptismi, ut & de baptismo infantum, exponit, probatque eum a Jurio toto distare cœlo. Sed & eandem sententiam judice Saurino tuentur Beza, Petrus Martyr, Musculus, Danæus (quem tanti facit, ut hunc unum omnium instar esse dicat) Wittakerus, Sclaterus, Piscator, Wendelinus, Chamierus, Hottingerus, Turretinus, Gomarus, Trelcatius, Rivetus, Walæus, Maccovius, Amesius, Henricus Altingius, Sect. II. & III.

gius, Maresius, Burmannus, Witsius in libro de efficacia Baptismi, aliique. Zwinglii ultimo loco meminit, cum ejus sententia de efficacia Sacramentorum neminem latere possit. Horum itaque Auctorum documenta prolixe satis refert, & quo pacto illorum sententia e diametro opposita sit sententiæ Jurii, additis subinde observationibus ostendit.

Sect. IV. Jam quæ Jurius ad Observationes Saurini regesserat, paulo accuratius sub examen revocat. Et initio quidem conqueritur, Jurium haud raro sub ambiguis loquendi formulis latitare. Huc illud pertinet, quod Saurinum sacramentis omnem vim exhibitivam denegare asserit. Hoc enim diserte se dixisse, negat Saurinus, & si dixisset, pro errore tamen non posse reputari, si formula hæc rite, prout verba sua permittunt, capiatur & explicetur. Nimirum concedere se, ait, Sacramenta præter significativam & obsignativam vim etiam gaudere exhibitiva; sed hanc vim exhibitivam inniti efficaciæ, qua pollent, significativæ & obsignativæ. Sic Calvinum in Institutionibus suis, & præcipuos Reformatæ Ecclesiæ Doctores, de Sacramentis non aliter ac de signis & sigillis loqui: ipsumque Chamierum quam luculentissime hoc facere, tantum abesse, ut in Jurii militet castris. Secundo, non diffitetur Saurinus Reform. Eccles. Theologos sæpius de efficacia Sacramentorum ita loqui, ut errori & Jurii & Pontificiorum favere videantur; sed loca ambigua & obscura ex clarioribus & evidentioribus esse explicanda. Id jam de ipsis Patribus tum alii, tum etiam Beza observavit, eos itidem ita locutos fuisse, ut Romanensium de S. Eucharistia errorem probare videantur; sed eos itidem rite esse interpretandos. Theologos autem Reform. Eccles. Patres multis de causis hac in re fuisse imitatos. (1) Quia gloriæ sibi duxerunt cum antiquis Ecclesiæ Doctoribus loqui. (2) Quia his loquendi formulis populum, ut pluris faceret & majori veneratione Sacramenta prosequeretur, adducere voluerunt, qui etiam Patribus in his loquendi rationibus finis constitutus fuit. (3) Sæpius quoque, ut eo fortius repellerent exprobrationes Ecclesiæ Romanæ, ac si Sacramenta in nuda, inefficacia, & inutilia signa mutarent, eos in hoc argumento verbis mitius interpretandis usos fuisse. Tertio observandum esse ait, quoties Theologi naturam & usum Sacramentorum explicaturi, cum rebus & actionibus humanis ea conferunt atque contendunt, hanc

compa-

comparationem non ultra quam decet, esse extendendam. Hinc diluit quæ pro Jurio facere videntur, cum baptismus aut cum coronatione Principis, aut cum sigillo literis Principis addito, contenditur. Nimirum quando baptismum cum coronatione Principis confert Jurius, eum quædam male supponere, ex suppositis male colligere Saurinus contendit. Falsum esse ait, infanti per coronationem dignitatem regiam conferri, quippe quam jure nascendi adeptus est. Infans neutiquam Rex fit quia coronatur, sed coronatur quia Rex est, hunc in finem, ut omnibus, quorum refert, hoc innotescat. Sic & baptismo tingi infantes, non ut filii Dei fiant, sed quia jam filii Dei sunt. Eodem modo & ceteras quæ afferri solent comparationes, & quidem prolixe examinat. Quarto, auctoritate Theologorum, qua suum errorem munit Jurius, non posse se a recepta dimoveri sententia, asserit. Etenim Vossium Historici magis quam Theologi nomen tueri, nec ipsum Jurium æquo tulisse animo, quod in doctrina de gratia Calvino oppositus fuerit. Ludovicum le Blanc autem intempestivo pacis & concordiæ studio abreptum, multa dedisse Pontificiis, quin & Arminianorum & Romanensium veneno eum afflatum fuisse, luculenter posse demonstrari. Certe quam ab usitata Reform. Eccles. via deflexerit, vel ex doctrina ejus de justificatione constare. Samuelem Wardum Theologum Anglicanum autem, ad quem itidem provocat Jurius, satis confutavit Thomas Gatakerus itidem Ecclesiæ Anglicanæ Theologus. Hic insimul perstringit Jurium, qui dixerat, doctrinam Theologorum Gallicorum Eccles. Reform. addictorum in Belgio non permitti: docetque, de Sacramentis Theologis Salmuriensibus cum ceteris Reform. Eccles. Doctoribus, nullas unquam intercessisse lites. Quinto confessionem Ecclesiæ Reformatæ, tum Belgicæ tum Francicæ, non facere pro sententia Jurii, adductis utriusque confessionis verbis, demonstrat. Nec enim aliam ibi innui Baptismi efficaciam, quam quæ etiam admissa jam supra est. Sexto, pugnare doctrinam Jurii cum ritibus & disciplina Ecclesiæ Reformatæ, quod & jam supra observavit, ulterius demonstrat. Enimvero constitutum est, ut tantum certo tempore & loco baptismo infantes initientur. Jam vero si baptismus infantum ceu medium regenerationis & justificationis simpliciter necessarius esset, nonne inaudita & plus quam barbara crudelitas esset, infantes, ob certorum rituum



ac ceremoniarum quoad tempus & locum observationem, æternæ damnationis periculo exponere? Quod vero alicubi leges præcipiant, baptismum infantum non esse differendum, id quidem ob honorem Sacramenti fit, & ut major apud plebejos illi concilietur veneratio, neutiquam vero ob simplicem Sacramenti hujus efficaciam. Sed vero & illi Theologi procul abfuerunt a sententia Jurii & præceptoris ejus Ludovici le Blanc, qui noluerunt baptismum a privatis aut alio quam V. D. Ministro administrari; quod itidem lege sacra constitutum est. Quod sane decretum, cum summa ista, quam baptismo tribuit, necessitate palam pugnat, cum verbum divinum prædicare, & alia quæ absolutæ necessitatis sunt, quibusvis Christianis urgente necessitate sint permissa. Accedit, quod excommunicatorum, itemque Romanensium infantes, sine diserto parentum consensu, & declaratione quod velint liberos suos in vera religione instrui, itidem ex lege Ecclesiæ non debeant baptizari: cujus quidem rei rationem non aliam esse constat, quam quod Romanensium ac excommunicatorum infantes sint extra fœdus gratiæ, adeoque non magis baptisandi sint quam infantes Gentilium ac Mahumetanorum. Ex sententia Jurii autem, asserentis etiam Romanenses a vera Ecclesia non esse excludendos, non modo ratio hujus legis dari nequit, sed si baptismi tanta, ut putat, est necessitas, barbaræ crudelitatis accusare merito possent ejusmodi sanctionum ecclesiasticarum auctores. Quod vero Jurius leges ecclesiasticas parvi pendit, easdem fidei articulos esse negans, in eo fallitur, cum ejusmodi leges fidei tamen articulis innitantur. Septimo, perperam inficiari Jurium, quod asserat, infantes fidelium, qui sine baptismo moriuntur, per miraculum servari. Enimvero si baptismus est medium ordinarium salutis, sic ut cibus & potus conservandæ vitæ, quod admittit, sequitur inde sua sponte, eos infantes, qui sine baptismo servantur, per miraculum servari; sicut homo sine cibo & potu vitam degens, absque omni dubio per miraculum viveret. Ergo perpetuum aliquod miraculum admittit, ob quod tamen ipse olim reprehendit Romanenses, quorum sententiam monstrosam, contra rationem & verbum divinum esse, pronuntiaverat. Jurii itaque ipsius sententia cum ab errore Pontificiorum prope absit, verba, quibus Pontificios perstrinxerat, in ipsum Jurium prolixe retorquet Saurinus. Addit, Jurium pro lubitu

effica-

efficaciam baptiſmi extendere & coarctare. Aliquando Socinianos ex Eccleſiæ pomœriis eum ejicere, quandoque eos recipere: dum rejicit eos, etiam baptiſmum illorum omni efficacia deſtitui aſſerit, quo tamen Romanenſium baptiſmum pollere arbitratur. Perperam, judice Saurino, cum nullibi divinæ literæ doceant, quod Socinianorum errores invalidum baptiſmum reddant, Eccleſiæ Romanenſis autem, quæ tamen ſit Anti-Chriſti ſedes, non item; præſertim cum utrique principium fidei non integrum ſervent, ſed corrumpant. Quemadmodum itaque Socinianorum baptiſmus, teſte Jurio, ſit conſecratio profana & ſigillum hæreſeos illorum, ita & Romanenſis Eccleſiæ baptiſmum nihil aliud fore, palam eſſe. Quod autem baptizati in Eccleſia Romana apud Proteſtantes non denuo baptizentur, id ex quodam favore fieri, ideo nempe, quia ſalva veritate & puritate Religionis, & ſalvo legitimo Sacramentorum uſu fieri poteſt. Adeoque ex conſuetudine Eccleſ. Reformatæ nullum capit robur ſententia Jurii, cum aliud ſit aſſerere, hunc baptiſmum gaudere omnibus requiſitis, ut poſſit vocari baptiſmus; aliud, hunc baptiſmum pollere omnibus requiſitis, ad exerendam efficaciam realem, & ad communicandam cum infante reapſe juſtitiam, ſanctitatem, & ſalutem æternam. Denique octavo, hanc ſententiam Jurii parentes, quorum ſine baptiſmo moriuntur liberi, cruciatibus graviſſimis & angoribus exponere, contendit. Licet enim incertam dubiamque infantum ejusmodi ſalutem diſerte non pronuntiare videatur, dum quosdam Eccleſiæ Reform. Doctores in ea verſari opinione pronuntiat: nihilo ſecius ex hypotheſi præcipua Jurii de neceſſitate Baptiſmi, hanc ſententiam neceſſario fluere, dubio carere: mortem vero ejusmodi infantum Baptiſmi ſupplere vicem, itidem perperam a Jurio aſſeri; quod hic Saurinus demonſtrat. Finit tandem hunc articulum, partim Sect. V. Jurii cum Eccleſia Romana conſenſum in hoc capite denuo demonſtrando, partim Pelagianiſmi ſuſpicionem a ſe amoliendo, & calumnias quaſdam, ut vocat, Jurii refutando.

Jam quæ de Principio Fidei inter utrumque diſputantur, paucis attingemus. Doctrinam Jurii ex documentis quam plurimis, quæ Part. I. p. hunc in finem refert Saurinus, quæ a ſententia recepta abire videatur, 24. ſeqq. ad tria revocat capita. (1.) Deſtitui Scripturam S. characteribus divinitatis ſufficientibus, inde ut animus hominis, licet aptus ad capien-

 dam

dam hanc demonstrationem, possit convinci. Adeoque (2.) nostram fidem non inniti evidentiæ argumentorum, sed gravitati rerum, vel credere nos, quia nostra interest ut credamus, sive credere nos, quia volumus credere, non quod convicti simus, rem aliter se habere non posse. Spiritum S. itaque (3) in cordibus hominum operantem determinare saltem & flectere voluntatem hominis, conciliareque adeo fidei certitudinem, quæ vocatur *subjectiva*. Primam propositionem Scripturæ S. inimicam, evertere & subruere fundamenta Christianæ Religionis, subministrare eam argumenta incredulis ad pertinaciam suam defendendam, cum vel ideo se non esse obligatos ad fidem cœlesti doctrinæ adhibendam existimare possint, quod de literarum sacrarum divinitate non possint convinci. Secundam propositionem confirmare cœcam fidem & obstinatam persuasionem. Tertiam insuper Spiritum Sanctum hujus obstinatæ persuasionis facere auctorem, eique talia vendicare, quæ cum sapientia & veritate ejus e diametro pugnant, h. e. quod determinet homines ad credendum absque ratione, & proferat adeo effectus, quos & præjudicatæ falsæque proferre opiniones possunt. Totam vero hanc doctrinam cœlestem veritatem & Romanensium & Socinianorum exponere ludibrio: illi colligent inde Reformatam religionem plane carere principio: hi Trinitatis mysterium agnoscere detrectabunt, si videant, illos qui hoc mysterium admittunt, ideo istud credere, quia volunt credere. Equidem pro Jurio facere videtur, quod *lib. II. system. de Eccles.* innuit, argumenta quibus certitudo revelationis V. & N. T. impugnatur, nasci non ex suo, sed ex Nicolii principio: ast hoc ipso parum proficit. Quis enim non secus sentiet, quoties secum expendit, per duo integra capita argumenta speciosissima Atheorum contra authoritatem Prophetarum, Apostolorum & ipsius Servatoris, summa cura & industria referri. Præterea, si Jurio non alius constitutus fuisset finis, quam refellere Doctores Ecclesiæ Romanensis, alia illi incedendum fuisset via. Ostendere debuisset, Virorum sacrorum, & ipsius Christi missionem divinam argumentis indubiis posse comprobari, & hoc ipso a falsis Doctoribus eos differre. Ecclesiam Romanam autem ejusmodi divinæ autoritatis characteribus destitui. Quæ omnia in scriptis Jurii secus sese habent. Nicolii principium est, res in se inevidentes non esse credendas propter se ipsas, nisi secundum proportionem evidentiæ, qua argumenta

menta

menta pollent, quibus ad credendum inducimur, ita quidem ut ad mysterium aliquod fidei credendum necesse sit, ut certi simus, idque evidenter, illum qui hoc dicit, nec fallere nos, nec posse fallere. Hoc principium ad atheismum viam sternere, pronuntiavit Jurius. In quo tantum abest, ut illi adstipuletur Saurinus, ut hoc potius verum fidei fundamentum esse existimet, Juriumque hoc negando & suum substituendo falsis religionibus omnibus promiscue fenestram aperire. Denique certitudinem in adhæsionis & evidentiæ non alium in finem distingui a Jurio, & illi omnia deferri observat, quam ut suam sententiam, quæ autoritatem Christi Servatoris & Ministrorum ejus impugnat, firmet stabiliatque. Denique quando asserit Jurius, argumenta Atheorum contra Scripturæ S. divinam auctoritatem omni destitui robore & contra rationem esse, propria cædit vineta: certe si ita se res habet, argumentis demonstrativis divinam Script. autoritatem probari posse, inde sequeretur; id quod tamen negat Jurius.

Quæ ita breviter observavit Saurinus, hæc in parte secunda ulterius explicat, ad argumenta Jurii insuper respondens. Sed tam prolixe cuncta prosequitur, ut in compendium ea mitti non possint. Sufficiat itaque ex instituti nostri lege, summam vel tribus indicasse verbis. Nimirum initio Ecclesiæ Reformatæ de principio fidei doctrinam edisserit accurate: Hinc refellendam Jurii sententiam, & argumenta, quibus tum in aliis libris, tum maxime in systemate de Ecclesia eandem firmaverat, discutienda sibi sumit. Et initio quidem male Saurinum habet, quod Jurius dixit, illos, qui quam maxime de characteribus & argumentis, quibus Scripturæ S. divina autoritas probari potest, investigandis & conquirendis fuere solliciti, ut plurimum homines impios & parcos Numinis esse cultores, indeque colligit, argumenta quibus divinitas Script. S. probari solet, non esse sufficientia ad gignendam fidem. Ergo, inquit Saurinus, verbi divini ministros & Theologos homines impios & scelestos, ex mente Jurii esse oportet, quippe qui plerumque hac de re maxime fuere solliciti. Præterea temere, itemque contra rationem, Scripturam, & experientiam hæc asseri contendit, cum nemo pro pio ulla ratione haberi possit, qui non per argumenta evidentissima de divinitate Scripturæ S. sit convictus. Quin si aliquando hoc vel maxime contingat, ut doctiores inter Theologos minus sint pii, male tamen

Part. II. Art. I.

Sect. I. p. 77. seqq.

Sect. II. p. 96. seqq.

concludit inde Jurius, quod ut plurimum vel ordinarie ita se res habeat. Nimirum sæpius utique contingit, ut ambitiosi isti & ob eruditionem inflati, licet specie doctrinæ superbiant, evidentiam tamen horum argumentorum minus habeant perspectam, quam simpliciores quidam; unde eos parum pios esse, mirum non est. Hinc in caussas accurate inquirit, qui fiat, ut eruditi quandoque sint minus pii? Et varias quidem rationes affert. Prima hæc est, quod ob ingenii præstantiam facilius in rebus Theologicis dubia & difficultates variæ illis afferantur, quibus dissolvendis cum non semper pares sint, facile a regia deflectunt via, & veritatem per se satis evidentem non recte capiunt. Simplicioribus contra cum ejusmodi dubiis non est conflictandum, adeoque majori attentione principiis veritatis incumbunt, firmius ea cordi infigunt, adeoque felicius illorum augetur cognitio, & cum cognitione incrementa sumit fides. Accedit altera ratio, quod quo excellentiori quis præditus est ingenio, eo vehementioribus obnoxius esse solet animi passionibus, quæ cum caliginem & tenebras mentibus affundant, rursus facile patet, simpliciores facilius principia fidei capere, ejusque fructus uberrimos edere.

Sed videtur Jurius characteribus & argumentis, quibus Scripturæ S. divina auctoritas probatur demonstrandi vim abjudicare propter nostram corruptionem, & ut ostendat, Spiritus S. operationem absolute necessariam esse, ut verbum divinum vim suam in cordibus mortalium exerere possit, adeoque videtur agere causam gratiæ contra Pelagianos. Ast regerit Saurinus, Jurium sub generali ista sententia callide propria occultasse placita. Nimirum quod homines sibi relicti, gratiaque divina destituti, non possint vera fide amplecti veritatem Evangelii, quodque fideles gratia supernaturali & immediata operatione Spiritus S. adjuti hoc faciant, id quidem largitur Saurinus, & secus sentientes execratur. Sed addit, hominum sibi relictorum cœcitatem & ἀδυναμίαν tantum oriri ex humanæ naturæ corruptione, non ex defectu evidentiæ, quo laborare argumenta, quibus doctrinæ Christianæ veritas innititur, existimat Jurius.

Nec placet Saurino, quod certitudinem aliam speculationis, aliam adhæsionis facit Jurius. Confundere namque eum certitudinem cum persuasione contendit. Nec fieri posse autumat, ut plus certitudinis

tudinis subjectivæ sit, sive persuasionis, quam evidentiæ in objecto nisi abutatur quis ratione, & præjudicatis opinionibus circumseptum pectus gerat. Nec proficit Jurius quicquam, dum certitudinem inde nasci asserit, quod objectum vel evidens valde sit, vel res magni momenti. Præterquam enim, quod judice Saurino, secum ipse pugnet Jurius, falsum est, de religione quoties agitur, ideo ad credendum homines impelli, quia res est magni momenti. Nimirum, cum videmus de re magni momenti agi, solemus rem istam accuratius examinare, ut adeo intelligamus referatne nostra, ut fidem adhibeamus, vel denegemus. Sic controversia, quam cum Judæis habemus, sitne JESUS verus Messias, absque dubio magni est momenti. Non tamen ideo hoc credendum, JESUM esse Messiam, quia res est magni momenti, sed ideo cuncta sedulo sunt expendenda, ut intelligamus, quid veritati consentaneum sit, vel non. Paucis: gravitas objecti nos impellit ad rem diligenter examinandam, non autem ad fidem simpliciter adhibendam.

Sed exemplis sententiam suam illustrat comprobatque Jurius. Videlicet si quis a suis procul remotus, accipiat literas a parentibus, illi quid faciendum vel omittendum præscribentes, ita quidem ut ejus magnopere referat hoc fieri vel non fieri, cum de vita, fortuna, atque honore ejus agatur. Jam vero cum multis de causis fieri possit, literas illas falsas esse; potuerunt parentes, dum istas scripserunt, furore fuisse correpti, ut longe aliter omnia se habeant, quam literæ istæ præ se ferunt: saltem ut is qui accepit literas, non queat plane ex ratione infallibili certus esse, rem ita, ut literæ tradunt, se habere, contingere potest. Num ejusmodi homo, utut non certissimus dubitaret, cunctaretur? minime gentium. Momentum gravitasque rei dubitare vetant. Ergo, concludit Jurius, non semper credimus, quia certi sumus, vel evidenter convicti rem aliter se non habere, sed quia videmus, rem istam magni esse momenti nostraque adeo referre, ut credamus.

Hic multa quidem, inter alia vero & hoc regerit Saurinus, hominem ejusmodi, quem hic fingit Jurius, non certiorem esse posse quam evidentia argumentorum, quæ illum certum reddunt, permittit. Hinc tamen, quod non plane certissimus est, an res ita se habeat, non sequitur cunctandum, jussis non parendum esse, cum vitæ civilis

civilis hæc sit conditio, ut non semper mathematicæ expectandæ sint demonstrationes, sed verisimilitudo etiam homines ad agendum adducit & determinat. Sed male hoc trahitur a Jurio ad religionem. Hic non credendum, quid verosimile sit, ut in actionibus humanis ceteris, sed quid certissimum sit, & ex principiis, per quæ falli nemo potest, evidenter deductum.

Alterum Jurii exemplum hoc est: Credo, inquit, hunc hominem esse patrem meum, non tamen demonstratione quadam sum convictus: sed volo hoc credere, quia mea maximopere interest, ut hoc credam; namque ut ita, quemadmodum filium decet, me erga illum geram, id quidem mearum est partium, quin vero id ejusmodi est, ut sine æternæ salutis amittendæ periculo, non possit intermitti, quippe secus, nisi migrata divina lege, fieri non potest. Refert quoque mea, ut hoc credam ideo, quia, si non filium me esse crederem, nec hæreditatem patris cernere possem. Hinc proinde colligit, eodem modo credere hominem plebejum v. g. DEUM esse, non quod plane convictus sit, sed quia ipsius valde refert hoc credere. Mereri hoc exemplum ut diligentius excutiatur, ipse fatetur Saurinus. Observat itaque duo a Jurio afferri argumenta, quæ aliquem adducere possent, ut credat hunc, nec alium quendam, patrem suum esse. Primum, quia officia, quæ præstare erga parentes debemus, hoc credere jubent. Secundum, quia filii interest, ut hoc credat. Sed quod ad primum attinet, hæc officia supponunt jam certam notitiam in filio, hunc esse ejus patrem. Non enim credit filius se esse obstrictum ad pietatem erga hunc hominem, priusquam certo sciat hunc hominem esse talem, qui ceu pater pietatem a se exigere possit. Præceptum divinum nos obligat ad venerandos parentes, non vero ut credamus, hunc vel illum esse patrem. Secundum vero argumentum mentem Jurii satis prodit. Nimirum si filius ideo credit hunc suum esse patrem, quia ut hoc credat ejus interest, sequitur profecto, filium viri pauperis minus certum esse, hunc pauperem suum esse patrem, quam filius divitis de suo patre est; magis enim hujus interest, ut hoc credat, quam illius. Jam ergo si homo voluptati deditus existimet, magis sua referre ut DEUM non colat, respuat doctrinam Christianam, quam ut eam admittat, sequitur ergo ex sententia Jurii, hunc hominem obligatum esse ad id credendum, quod ut credat, ejus refert.

Cete-

Ceterum quod ad exemplum ipsum attinet, fieri equidem vix potest, ut filius non morali demonstratione certus esse queat, hunc esse patrem suum: sed si concedatur, contingere hoc, ut filius ambigat, tunc quidem filius, si sapit, in tantum credet, hunc esse patrem suum, in quantum hoc ei sit verosimile: præterea non intermittet, hunc ut patrem venerari, quia actiones istæ, utut non evidenter certus sit hunc esse patrem, nihilo secius pro bonis & justis debent reputari. Ast in religionis negotio longe aliter sese res habet. Namque filius sine crimine quidem potest dubitare, an hic homo sit pater suus, si rationes quædam eum ad dubitandum inducant, modo cæteroquin obligationi erga parentes satisfaciat: an vero Christus sit Servator hominum, nemo sine scelere dubitabit. Idque ideo, quod factorum, quibus officia innituntur, demonstrativam certitudinem a Deo non accipiunt homines: ast Christum esse Servatorem hominum, argumenta omni exceptione majora, & omni demonstratione certiora evincunt comprobantque. Præterea licet filius non adeo certus sit hunc esse patrem suum, non tamen peccat, si eum, quem patrem suum esse credit, ea, quæ par est, veneratione prosequitur. Ast si quis dubitaret, an Christus esset Servator mundi, verusque adeo Deus, ille sine idololatriæ crimine non posset illum ut Deum colere, cum pro diversis cognitionis, quæ in nobis est, gradibus cultus divinus possit degenerare in idololatriam. Dubitanti igitur suspendendum est hic judicium, cum quicquid hic agat, scelere non careat. Atque hinc denuo, maximum inter exemplum a Jurio allatum, & religionem, intercedere discrimen, satis superque constat.

Neutiquam vero actiones hominum quotidianas posse hic contendi cum religione, alio documento evincit Saurinus. Obligatus est, inquit, homo Christianus subvenire beneficiis suis pauperibus, maxime qui eadem cum eo sacra colunt, quos Paulus domesticos fidei vocat, h. e. veris Christianis, non hypocritis. Sitne autem quis verus Christianus an hypocrita, ex signis, quæ sæpissime fallunt, est dijudicandum. Num igitur nemo impertiri alteri stipem debet, nisi quando demonstratione quadam convictus est, hunc qui stipem petit, esse verum Christianum, non autem hypocritam? Minime gentium. Cum enim non certo hoc sciri possit, sufficit si morali certitudine

certi ſimus, utut poſſimus etiam falli. Ergone vero eadem ratione in religionis negotio homo ſe geret? Id vero eſt, quod negatur. Namque veram religionem a falſa per argumenta demonſtrativa & evidentiſſima ſecernere licet: verum Chriſtianum ab hypocrita non item. Sed & omnium magis intereſt, ut vera religio per ejusmodi argumenta a falſa ſecernatur, quam ut ita diſtinguatur verus Chriſtianus ab hypocrita. Etenim ſi quis impetu per argumenta veroſimilia ad religionem amplectendam feratur, aut veram religionem iſte amplectitur, aut falſam. Si falſam, idololatra eſt, periit: intentio eum non excuſat. Sin veram, itidem idololatra eſt: non enim ratione ad colendum Numen ducitur, ſed impetu quodam agitur.

Denique in tertia & quarta ſectione hujus articuli, ea argumenta refellit, quæ in Apologia ad ſuam ſententiam ſtabiliendam, & obſervationes Saurini impugnandas, attulerat Jurius: prolixiora vero omnia ſunt, quam ut hic referri poſſint. Nec enim limites ſemel nobis conſtitutos tranſilire libet. Speciminis loco hæc ſufficient.

JOANNIS LUNDII, in ſeinem Leben getreuen Dieners des Evangelii bey der Chriſtlichen Gemeine in Tundern/ öffentlicher Gottes-Dienſt der alten Ebräer.

hoc eſt:

JOANNIS LUNDII, apud Tunderanos, dum viveret, Eccleſiæ Miniſtri, CULTUS HEBRÆORUM ANTIQUORUM PUBLICUS.

Hamburgi, apud Gothofredum Libernickel, A. 1695. in 8. Conſtat alphab. 3. plag. 21.

INter libros hactenus quam maxime ab Eruditis deſideratos, ille quoque locum haud poſtremum obtinuit, qui cultum Hebræorum Leviticum paulo explicaret latius, ac eorundem ſacerdotium perſonasque ſacras (de quibus unici Jehudæ ben Elai Jus Sacerdotale haberi, e Chriſtianis autem ſcriptoribus neminem hanc materiam ex inſtituto pertractaſſe, quondam in operibus poſthumis conquerentem allegavimus Saubertum,) e genuinis fontibus ſollicite delinearet. Illas ergo partes in ſe ſuſcepit, ſucceſſuque, ut videtur, ſatis proſpero executus eſt Jo. Lundius, qui per octo annorum ſpatium, poſt ordinarios labores, in eam curam unice incubuit, ut, quæcunque modo ad cultum

tum Ebræorum publicum, ad ſacerdotum perſonas, veſtes, officia, & alia iſtos reſpicientia pertinerent, e monumentis fide dignis debita cum diligentia conquireret. Quinimo & univerſum tabernaculi apparatum, ſtructuramque templi ſumtuoſiſſimam pariter ac elegantiſſimam inſuper deſcripſit, & ſingula hæc Germanico idiomate compoſita in ſcriniis ſuis moriens reliquit. Inde autem nunc tandem protrahuntur, & cum orbe literato communicantur a Thoma, ejus filio, ſed ita tamen, ut is hac vice tractatus modo binos priores exhibeat, & poſtremum dehinc adjectum iri polliceatur.

Ex iſtis autem principem omnino locum tenet hæc, quam recenſere animus nunc eſt, divini cultus a populo ſancto olim frequentati deſcriptio, eaque non tantum e ſacris paginis, ſed Ebræorum quoque commentariis, quos aut ipſe Auctor perluſtravit, aut inſpectos ab aliis allegat, adornata. Atque huc relatum eſt, quicquid hinc inde occurrit memoratu dignum circa quotidianum cultum, circa feſtorum numerum & celebrationem, circa ſacrificia, ſacerdotumque ac Levitarum in iis peragendis curandisque munia, circa doctrinas, ſcholas, ſectas inter Judæos celebratas, & circa longe plura iſtius generis alia; in quibus tamen ſingulis nuſpiam ad decantatiſſimum illud Spenceri opus de legibus Hebræorum ritualibus Auctorem provocaſſe, nemo mirabitur, qui hæc in chartam conjecta fuiſſe meminerit, antequam Spencerus ſuas meditationes abſolutas ſiſteret.

Nos ut conſuetum laborem exantlemus, præter ordinem ac methodum ab Auctore obſervatam, præcipua ſimul contenta hujus libri indicabimus, perrecturi proxime ad ſacerdotes, quibus itidem peculiare volumen conſecratum eſt.

Initium ſcriptionis capit Lundius a quotidiani cultus, qua matutini qua veſpertini, prolixa delineatione; ubi quoque de duabus veſperis Exod. XXIX, 39. 41. commemoratis aliquantum diſpicit, Pſalmosque ſingulis diebus cantari ſolitos enumerat. Progreſſus deinde ad feſta ſolennia, eorum quædam ſingulis hebdomadibus, quædam menſibus, quædam annis aut ſingulis aut diverſis celebrata fuiſſe annotat. Hebdomatim agebatur Sabbatum. Ejus itaque conſiderationi aliquot ſunt deſtinata capita, in quibus de ſignificatione vocis, de tempore, quo coli iſtud cœperit, de operibus ad ejus ſanctifi-

(Margin: Cap. I. 2. 3 — beside "Initium ſcriptionis…"; 4. 5. 6. — beside "ſe annotat. Hebdomatim…")

cationem pertinentibus, de cessatione ab ordinario labore, de fluvio,
qui dici solet, sabbatico, de via sabbati, de προσαββάτῳ &c. per-
7.8. quam erudite differitur. Ad festa singulis mensibus repetita neome-
niæ spectant, quarum occasione materiam de mensibus Hebræorum
late excutit, anni simul rationem indicans, quidque circa ordinem
dierum intercalarium annotarint Eruditi, examinans. Inde autem
colligit, quod Hebræi præter meritum insimulentur a Bocharto & aliis
ignorantiæ rerum astronomicarum, quandoquidem non ad solum
Lunæ conspectum, sed ad exactissimum omnino numerum neome-
9---15. nias suas instituerint. Quod ad festos dies quotannis celebratos atti-
net, primum locum merito festum Paschatos heic occupat, cujus ri-
tus ita percensentur, ut nihil facile desiderare queas amplius. Præ-
terquam enim quod de illius institutione, nomine, religione, solen-
nitatibus, populi ad id confluxu haud parum mirando, multa in me-
dium affert neutiquam vulgaria, agnum inprimis tunc mactandum
atque comedendum delineat; Christum eopse die, quo Judæi, cœ-
nam paschalem comedisse statuit, & ad argumenta secus arbitranti-
um respondet; hanc cœnam non habuisse aliam comitem contendit;
pedilavium a Christo nequaquam post esum denique paschalis agni,
sed biduo ante, neque in urbe Hierosolymitana, sed Bethaniæ susce-
ptum asserit; variaque insuper de die Parasceves, de pane azymo, de
herbis amaris, de accubitu veterum ad mensam subinde interspergit.
Insuper primitiarum hordei, quæ Domino circa istud tempus offere-
bantur, mentionem facit. Sacram quoque cœnam a Christo insti-
tutam non præterit, & figuram, quam gessit agnus paschalis, ad no-
16. strum Salvatorem dilucide accommodat. Quibus ita pertractatis, ad
Pentecostes festum properat, breviores paulo lineas circa istud du-
17---23. xisse contentus. Cum vero inter istud & inter festum tabernaculo-
rum duo alia inciderent, tubarum nempe seu clangoris, & expiatio-
num dies, hinc & in utriusque horum conditione ac ritibus expo-
nendis sedulam collocat industriam, & multa edocet de usu tubarum
in sacris, in bello, in publicis calamitatibus; de hirco item emissario;
24---27. de antitypo festi expiationum, & similibus. Ad ipsum denique taber-
naculorum festum delatus, nulli sane e ceteris id secundum fuisse
monstrat, sive ceremoniarum in eo solennitatem, sive hominum Hie-
rosolymas tunc adscendentium multitudinem, sive destinatorum ei
dierum

dierum numerum, sive alia ejusmodi consideres, quinimo hilaritate & jucunditate sua multum reliqua antevertisse superaddit. Iis autem, qui Christum tempore hoc natum perhibent, assensum præbere minus audet, statum tamen N. T. fideliumque in eodem non ineleganter sub hujus festi schemate adumbrat. Præter hæc festa, non ex mandato quidem ipsius Dei, sed jubentibus tamen piis hominibus, post reditum e captivitate Babylonica, dies aliquot singulis annis devote peragendi fuerunt, ut puta in memoriam interitus Herodis; in recor- 28.
dationem recuperatæ arcis Hierosolymitanæ; festum, quod Josephus vocat, τῶν ξυλοφορίων, quo ligna ad flammam in templo perpetuam comportare sueverant; encæniorum festum; festum Purim, &c. de quibus Noster brevia aliquot monita suppeditat, cum illa neque adeo celebria, nec stricte adeo observata fuisse deprehendas. Majus 29--32.
certe spatium jure quodam suo sibi vendicant Sabbaticus annus & Jubilæus. Et circa istum quidem ubi Auctor detinetur, sententiam eorum ex instituto refellit, qui eo durante servos servasque manumissionem impetrasse statuant: illa enim, quæ passim in hoc negotio Scriptura referat de anno septimo, neutiquam de hoc sabbatico, sed potius de anno septimo ab inchoatis servitiis eorum intelligenda monet, ac ad Jubilæum duntaxat insignia ista privilegia restringit. Quemadmodum vero Papistarum Jubilæum multis modis à Judaico distare animadvertit, ita per utrumque annorum modo memoratorum Novi Testamenti tempora iterum posse illustrari non incommode fatetur.

Hæc circa solennia Judæorum festa Auctori annotare placuit, quibus statim diversa Sacerdotum officia, quæ circa cultum publicum iidem obierunt, subjicit, exorsus a cura circa candelabrum au- 33.
reum, circa thymiaterium suffitus, & circa mensam, in qua repositi habebantur panes facierum. Mox ad altare holocausti progreditur, 34.
ejusque purgationem quotidianam, & sacrificia in eo accensa contemplatur. Isto autem pacto ad universam de sacrificiis tractationem 35---48.
se accingit, quorum origines, species, materiam, ritus, significationes, & quicquid ultra de iis quæsiveris, latissime persequitur. Plura quoque heic afferri videas de ἀνθρωποθυσίᾳ, ac speciatim de immolatione liberorum Molocho facta, & de liberis modo februatis, modo plane combustis. Ad quæstionem: num Jephtha filiam

ſuam immolarit? negative reſpondet. De excelſis lucisque ac nemoribus, in quibus contra Dei voluntatem multi ſacrificia incenderint, ſua lemmata non parce ſuggerit. Gentiles etiam populo Iſraëlitico immixtos Deo ſacrificaſſe, & Judæos pro Gentilibus ac præcipue perſonis Magiſtratum gerentibus oraſſe oſtendit. Ad ſacrificia apparenter talia refert, quod Gen. XV, 9. ſeqq. de Abrahamo; Judic. VI, 18. ſeqq. de Gideone; I. Reg. I, 9. 19. de Adonia, & 1. Reg. XIX, 21. de Eliſa legitur.

49. Benedictionem ſolennem, tanquam haud exiguam ſacerdotalis muneris partem, ſacrificiis abunde penſitatis ſubnectit, in qua cum ternis vicibus repetendum fuerit nomen יהוה, idcirco de ejus pronunciatione olim frequentiſſima, ſed inſequentibus temporibus ex quadam ſuperſtitione omiſſa atque occultata erudite diſputat, & nominis Dei, quod alii ex duodecim, alii ex quadraginta duabus, alii ex duabus & ſeptuaginta literis formaverint, mentionem injicit.

50. Excubias deinde a Sacerdotibus peragendas enumerat, in medio relinquens, an eæ jam circa tabernaculum & in priori templo ab iis peractæ, aut in poſteriori demum his mandatæ fuerint?

51--59. Cæterum quoniam Sacerdotibus Levitæ adjuncti reperiuntur, non poteſt Auctor, quin & his aliquantum immoretur, & poſt eorundem originem ac inveſtituram, munia quoque pro temporum diverſitate variantia accurate penſitet. Hinc ſuam de Kaathitis, de Gerſonitis, & de Meraritis (ita enim illi dividebantur,) mentem aperit; hinc inſtrumenta muſica ab iis ſcite tractata producit, vocalemque non minus Hebræorum muſicam attingit, & eam in ſacris non ſecus ac illa reſonuiſſe docet; hinc Levitas janitores, & reliquos a ſuis officiis cognominatos, ne Gibeonitis quidem Levitarum miniſtris omiſſis, conſiderat. A Sacerdotibus autem utut in multis diſtincti Levitæ fuerint, docendi tamen munere cum iſtis hos gaviſos fuiſſe probat, & de Prophetis eorumque nomine, officio, diſcipulis; de Pentateuchi prælectione & in certas paraſchas diſtinctione; de lege orali, (quam in Talmude contineri recentiores Judæi ſtatuant;) de Maſora & Maſoretis; de Miſchna; de Cabbala, & ſic porro diſſerit.

Doctrinam orthodoxam inter Judæos qui impugnarunt, peculiarem quoque in hoc tractatu locum obtinent. Agmen ducunt Sama-

Samaritæ, quorum non odia modo erga istos, sed cultus etiam & 60.
templum in monte Garizim extructum, dispersiones insuper & reliquiæ insinuantur. Post ordo tangit Sadducæos, Pharisæos, & Es- 61. 62. 63.
sæos, locusque inprimis Matth. XXIII, 5. de Pharisæorum phylacteriis & palliorum fimbriis, ad curiosi lectoris usum atque delectationem, multo cum verborum rerumque apparatu selectissimo illustratus cernitur. Hillelis itidem, Simeonis, Gamalielis, virorum isto ævo celeberrimorum, nomina & acta in scenam producuntur. Sectam 64.
porro a Juda Galilæo sive Gaulonita excitatam examinat; quinam 65.
fuerint γραμματεῖς, νομικοὶ, νομοδιδάσκαλοι, disquirit; & ordinarios Doctores tempore etiam Sadducæorum, Pharisæorum, & Essæorum, ex tribu Levi oriundos fuisse existimat. Mox spartas varias 66.
Doctoribus demandatas recenset, ac legis atque Prophetarum lectiones atque expositiones indicat. Quid fuerit sedere ad præceptorum 67. 68.
pedes? quales decem, ut vocantur, otiosi? explicat.

Ad Synagogas Judæorum ubi pedem protulit, & eas non in 69.
Judæa modo, sed ubivis etiam alibi, quorsum illi post suam dispersionem pervenerant, erectas fuisse indigitavit, non incongrue ad decem tribus Israëliticas excurrit, & quorsum eæ pervenerint? aut num adhuc superstites sint earum quædam reliquiæ? sciscitatur. LXX. Interpretes e numero Judæorum Ægyptiacorum fuisse, penitus omnino pernegat. Judæorum Synagogas non mulieres tantum, 70.
verum pariter & Gentiles frequentasse statuit, ac ultimos dum allegat, justam de istorum proselytis disquisitionem instituit, cui tota 71. 72. 73.
de circumcisione doctrina immiscetur. Nec ἀποσυναγώγυς præ- 74.
terit, tergeminam Judæorum excommunicationem evolvens, tan- 75.
demque in scholis eorundem trivialibus industriam hanc suam jubet acquiescere.

LA VIE D' ELIZABETH REINE D' ANGLETERRE. Traduite de l' Italien de Monsieur GREGOIRE LETI.

id est:

Vita Elisabethæ Angliæ Reginæ, auctore Gregorio Leti: ex Italica in Gallicam linguam translata.

Amstelodami apud Henr. Desbordes, 1694. 12.
Alph. 2. cum fig. æn.

Et de

ET de Elisabetha præclare mereri voluit Gregorius Leti. Licet enim adeo non defuerint, qui consignarunt literarum monumentis vitam resque gestas Reginæ, quotquot orbis vidit, prudentissimæ ac felicissimæ, ut jam nonnulli non tam dedisse Reginæ incomparabili æternitatem, quam accepisse ab ea videri queant: ejusmodi tamen documentis instructum, opus hocce aggressum se profitetur vir diligentissimus, ut & hic Historiarum peritus lector fortassis deprehensurus sit, quæ alibi frustra quæruntur, frustra sperantur. Sed & cum ex illis, qui hucusque vitam moresque Elisabethæ retulere, nemo fere fuerit, qui non partium studio aliquid dederit, qui non aut amori indulgens ea quoque laudaverit, quæ omnium cordatiorum confessione erant vituperanda, & supra mortalium sortem eam evexerit, aut odio abreptus vituperaverit etiam quæ maximam promerebantur laudem, & vix inter homines illi concesserit locum; hoc saltem sibi relictum præcipue Auctor credidit, ut recto incederet tramite, odii æque ac amoris vacuus. Nos, ne quotidiana & notiora referendo, fastidium creemus Lectori, unum alterumve ex iis, quæ maxime memoratu digna censuimus, delibabimus, judicio Lectoris relinquenda; nec injucundum erit, etiam Auctoris sententiam exponere, de ejusmodi Historiæ hujus capitibus, in quibus cæteri scriptores in varias abire solent sententias.

Part.I.p.26. Debeatne Henrico IIX, an Elisabethæ, repurgatæ Ecclesiæ Anglicanæ,& religionis,quæ Reformata vocari solet, ibi stabilitæ gloria, non inter omnes convenit. Pro Henrico ita pronuntiat Noster, ut, si non omnia, plurimum tamen ei Ecclesiam Reformatam debere profiteatur. Equidem Eduardum & Elisabetham huic gravissimo operi coronidem velut imposuisse, non abnuit: ast si Henricus non primum Romani Pontificis excussisset jugum, nec ab Eduardo, nec ab Elisabetha, utpote non aliis, quam Romanæ Ecclesiæ sacris imbutis, nihil ejusmodi sperare potuissent posteri.

p.59. Thomam Volsæum ex lanionis filio Cardinalem, ad summum fastigium primum evectum, mox dejectum iterum ac deturbatum, omnes norunt. Sed Annam Boleniam ipsam gradum ad ruinam Præsuli huic struxisse, non omnes æque sciunt aut credunt; id quod tamen observavit non solum, sed & comprobare annisus est Gregorius Leti.

Reli-

Religionem Elisabethæ plane ad status rationem fuisse attemperatam, non semel innuit, præcipue ex Dialogo ejus cum Reginaldo Polo Cardinali, cujus partem refert, colligit comprobatque. Mores vero Reginæ ejusmodi quandoque fuisse perhibet, qui theatrum magis quam solium deceant. Hinc solenne fuit, cum histrione hanc Reginam contendere: nec aliud sane magis illi, ea, quæ vixit ætate, vitio datum, quam quod histrionum more, ut dicebant, semper ageret. Inter alios, & Dux de Feria Legatus Philippi II. H. R. ob repulsam, quam acceperat irritatus, domumque redux, Albano Duci super statu rerum in Anglia percontanti, regnum Elisabethæ nihil aliud quam ludum scenicum continuum esse, ipsamque Reginam histrioniam exercere, dixit. Tum vero Albanus, atque hinc ego, eam nec callidissimis civilium rerum architectis cedere colligo, respondit. Actores enim scenici omnium facile sibi conciliant animos sine pretio; alia præ se ferunt, condunt alia imo pectore, pollicentur omnia, quæ polliciti sunt nunquam exsolvunt: fallunt denique, ne ipsis quidem, quos fallunt, invitis. Talis, regessit Dux Feria, est Elisabetha.

p. 256. p. 313. 332. 337.

Fuit etiam, cum in animum induceret Elisabetha, ad Ecclesiæ Romanæ morem creare Cardinales. Cum enim pro capite Ecclesiæ se gereret, hoc saltem sibi deesse arbitrabatur, quo minus in omnibus summum in regno suo referret Pontificem, quod purpuratis non incederet stipata patribus. Vix tandem ab ea impetrarunt Parkerus Archiepiscopus & Baco Cancellarius, ut consilium mutaret. Namque & orbis universi, præcipue Ecclesiæ Romanæ ludibrio Reginam expositum iri, dicebant: Protestantes autem non posse non hæc Romanæ hierarchiæ simulacra detestari.

p. 360.

Nec prætermittendum nobis est judicium Elisabethæ de Johanne Calvino, ab Auctore memoriæ proditum. Cum de morte ejus certior facta esset, acerrimum Catholicorum censorem, & Protestantium irrisorem obiisse dixit. Cum vero regereret Baco Cancellarius, ingentia viri hujus in Ecclesiam esse merita, & de zelo, doctrinaque ejus multa prædicaret, hunc denique ab omni superstitione repurgasse Ecclesiam, & pristino nitori & puritati eam restituisse, respondit Elisabetha, Calvinum quidem ex suo genio & indole cuncta constituisse, voluisseque ut tristi ejus severitati omnes se attemperarent. DEUM vero lugubri ejusmodi & ad mœstitiã composito

p. 394.

cultu, qualem quidem tantum probaverit Calvinus, non delectari, cum musicis instrumentis, & omni hilaritate divinas decantare laudes, viri sancti jubeant; aliaque hunc in modum adjecit. De Concilio Tridentino autem quæ ejus fuerit sententia, statim Auctor subjicit. Ad ea vero quæ ingeniose ab hac Regina dicta sunt, quæ neutiquam ab Auctore prætermittuntur, illud haud immerito referas, quod de Romano Pontifice aliquando pronuntiavit. Nimirum dicebat Don Alvarus de Quadra, Philippi II. Hispaniæ Regis Legatus, Benedictum quendam Accolti cum sociis suis eousque insaniæ processisse, ut tollere e medio Pium IV. Pontificem Romanum decreverit, in ejus locum ut alius *perfecte sanctus* posset eligi. Desipuisse sine dubio hosce homines respondit Elisabetha, quod voluerint interficere Pontificem sanctissimum, ut succederet perfecte sanctus. Ast non adeo deceptos fuisse eos, regerebat Legatus, dum crediderint, Pontificem nominetenus sanctum, cum alio qui reipsa talis esset, esse commutandum. Certe quidem subjecit Regina, miseram Ecclesiæ Romanæ faciem esse oportet, in qua & illi, qui non adeo sapiunt, tamen a se vix impetrant, ut illum pro sanctissimo reputent, qui est caput Ecclesiæ.

p. 397.

p. 506. Multos quoque mirari subiit, quam ob causam inter omnes Protestantium Principes, sola Elisabetha, ob lanienam istam Parisiensem, horribilem sane, & plus quam barbaram, adeo non fuerit commota, ut in literis ad Carolum IX. Galliæ Regem parum abfuerit, quin eam laudaverit probaveritque. Sane quidem a Regina, quæ hoc unice sibi datum credidit, ut Romanæ Ecclesiæ intrepidum opponeret pectus, Religionemque Protestantium contra Romanensium insultus defenderet, saltem quæ talis videri voluit, alia quævis sperabant Protestantes. Fieri quidem potuit, censente Auctore, hanc Reformatorum cladem ideo Reginam non adeo affecisse, quod Calvini non probaret dogmata: interim non dissimulat, a prudentioribus utique vitio verti Elisabethæ, quod in re tanti momenti, Ecclesiæ, cujus sacris addicta erat, frigide adeo, certe parum cordate, causam egerit.

Part. II. p. 132. seqq. Præcipue digna sunt lectu, quæ de Sixti V. R.P. cum Elisabetha commerciis Noster commemorat. Utrique unus erat constitutus finis, potentiam Philippi II. Hisp. Regis infringere. Non itaque tanti fuit

Sixto

Sixto, Principem Romanæ Ecclesiæ addictum prodere, ut non pluris faceret amicitiam Elisabethæ, quo Regnum Neapolitanum eo facilius Hispanis eripere posset. Sed suorum censuram metuens Papa, opera Larrii cujusdam, Elisabetham & de affectu in illam suo certiorem reddidit, & quæ facienda, quæve intermittenda essent, monuit. Addit Auctor, cum a Carrio primum de indole, deque prudentia Reginæ accepisset Sixtus, eum felicitatem Elisabethæ deprædicasse, & hoc saltem, ut perfecta esset, illi deesse, pronuntiasse, quod sibi connubiali non juncta esset fœdere Elisabetha, quo alterum ex ista Heroina suscipere posset Alexandrum. Unde quidem Elisabethæ varii enati sunt joci, subinde ab Auctore commemorati. Certissimum vero luculentissimumque favoris sui documentum dedit Pontifex, dum sceleratissimam Jesuitarum conspirationem, & nefanda de tollenda e medio Regina consilia illi significavit. Sed & iisdem Jesuitici ordinis viris, in gratiam Elisabethæ adeo infensus fuit, ut durius eos subinde haberet, eosque in aulis ædibusque Procerum versari nollet, omnibus qui ad res novas moliendas in Anglia latitabant, Romam evocatis, multaque decerneret, quæ Societati huic addicti non poterant non quam ægerrime ferre. Namque & splendido Jesuitarum titulo hosce homines superbire vetuit, Ignatianosque a conditore sectæ hujus, dici voluit, parumque abfuit, quin publica lege hoc sanciret decerneretque. Eousque sanctissimum Præsulem aut Elisabethæ amor, aut Philippi odium, aut quod verosimilius, studium Status Ecclesiastici fines extendendi abripuit. Quod vero nonnulli prodidere, Præsulem huncce rem habuisse cum Anna Ostor, nobili fœmina, Romanæ Ecclesiæ studio ex Anglia profuga, id commentis annumerat Noster, fabulæque originem exponit diligenter. Mortem Pontificis hujus tanto perfudisse dolore Reginam, idem addit, ut eum non posset non prodere, palamque insuper profiteretur, lugubri habitu se mœstitiam suam testaturam esse, modo certa esset, hoc sibi non datum iri vitio.

p. 304.

Ceterum nunquam æque patet, quam in transversum agant scriptores partium studia, quam quoties de Mariæ Stuartæ supplicio verba faciunt Historiarum conditores. Hic videas, pro innocentia Mariæ tam acriter pugnantes, ut eam ab omni facinore sceleréque remotissimam fuisse, certe sine horrendo crimine atque piaculo ab Elisa-

betha morti adjudicari non potuisse jurares; videas contra pro Elisabetha tanta industria calamum stringentes, ut eam vacuam ab omni culpa, nihil nisi quod & justitia æquitasque jusserit, & propriæ securitatis ratio exegerit, eandem fecisse, multi sint pronuntiaturi. Auctor
p. 190. itaque, qui sine odio, sine amore ad scribendum se accessisse testatur, ea, qua potuit diligentia, tum quicquid absolvere Elisabetham a crudelitatis aut perfidiæ crimine, quicquid ejusdem illam arguere potest, affert, haud obscure tamen illis accedens, qui hanc gloriæ præclara virtute ab Elisabetha partæ adspersam maculam, nulla ra-
p. 46. it. tione elui posse contendunt. Nec pigebit quenquam legisse, quæ de
349. seqq. castitate Elisabethæ in utramque partem disserit. Sed huc tandem cuncta redeunt, frequentia cum Leicestrio & Essexio Comitibus commercia, vivendique rationem liberam plane, & a sueta fœminarum modestia recedentem, eam in suspicionem vitæ parum caste actæ adducere potuisse: cætera quæ dicuntur, incerta esse & nullius fidei. Nihilo secius multis adeo firmiter persuasum est, falsa esse, quæ de impudicitia Reginæ traduntur, ut de castitate ejus & dubitare nefas ducant. Id quod vel ex iis intelligitur, quæ Auctori aliquando Londini evenerunt: reprehensus quippe est acriter ab illustri quodam viro, quod in dubium vocare Reginæ castimoniam ausus fuerit.

DICTIONAIRE ETYMOLOGIQUE, OU ORIGINES DE LA Langue Françoise, par Mr. Menage, avec les Origines Françoises de Mr. de Caseneuve.

id est:

Lexicon Etymologicum sive Origines Linguæ Gallicæ, autore Ægidio MENAGIO, una cum Originibus Gallicis Domini de CASENEUVE.

Parisiis, apud I. Anisson, 1694. in fol. Alph. 9.

POterat *Ægidius Menagius*, magnum sibi hoc ipso opere acquisivisse nomen, si vel maxime nullo alio sui memoriam reliquisset. Usque adeo est illud eruditum; cujus rudimenta quædam jam anno 1650. prodierunt. Neque enim origines modo vocum linguæ Gallicæ pene singularum tradit, evolvitque intricatas, verum & illustrat obscuras, linguarumque amicam ostendit conspirationem, atque observationibus denique vulgo non notis paginas omnes implet. Mallemus

lemus ideo totam ejus faciem repræsentare recensione paulo prolixiori, inprimis cum rarus sit liber, a paucisque Germanorum adhuc dum visus. Sed neque licet exscribere librum ipsum doctrina varia undique plenum, ac instituti nostri oportet ut simus memores. Quasi tamen sitim Lectoris leviter mitigaturi, quæ ratio elegantissimi operis sit, jam exponemus.

Editum est illud a morte *Menagii*, cura H. P. *Simon de Val-Hebert*, & in præfationis vicem præfixa dissertatio longa æque ac docta, quam de Etymologiis Gallicis, seu potius de Etymologiarum doctrina P. *Besnier* Jesuita conscripsit. In qua cum Auctor velut exordiendo sermonem, *Menagium* adversus eos, qui tanto non solum viro, sed quovis erudito indignum tractandarum Etymologiarum laborem inepte judicaverint, vindicasset, agere incipit parte I, sectione I, de præstantia Etymologiarum, a singulis pene nationibus, Hispanis videlicet, Lusitanis, Granatensibus, Biscainis, Italis, Gallisque ipsis agnitarum evolutarumque (tot Lexicis quippe testibus, quæ viri etiam summi ante *Menagium* adornarint) neque ab illis solum, sed a Romanis etiam jam olim, Græcisque & Ebræis, Arabibus, Germanis, Belgis, Danis, Anglis, Slavis, Hungaris, Asiaticarum gentium non una, Scythisque demum, & Indis ipsis, & quibusdam gentibus Africanis. Sectione autem II. ostendit, quanti habita sit diversis ætatibus Etymologiarum scientia, seculo nimirum Alexandri Magni, quo Aristoteles de ea librum composuit; tempore porro septem Græciæ Sapientum, imo Mosis & Abrahami; Augusti item Cæsaris & Caroli Magni; quin prorsus prima mundi ætate, cum primus homo primi etiam Etymologistæ egerit partes. Sectione autem III, quantus honor ususque cunctis scientiis, Philosophiæ nempe, Physicæ, Mathesi, Jurisprudentiæ, Historiæ literisque elegantioribus ex iisdem accedat, docte commonstrat exponitque. Parte II. Etymologiarum scientiam principiis certis gaudere, quoad originem, notitiam seu cognitionem & methodum docet; Parte vero demum III. Gallicarum Etymologiarum merita ex autoritate, eruditione, ingenio, aptitudineque & fama Auctoris *Menagii* vindicat.

Dissertationi huic annexuit *Besnerius Principia Artis Etymologiarum*, sive exempla variæ mutationis literarum: quando in quibusdam vocibus e. g. vel additur a, b, c, &c. vel demitur, vel per

μετάθεσιν quandam diversimode collocatur; vel una litera pro alia, e. g. d pro t, ponitur.

Hunc indicem sequitur *Vocabularium Hagiologicum*, seu Collectio nominum Sanctarum Sanctorumque, quorum origo vel est obscura, vel quæ ex diversitate locorum varie quoque consueverunt efferri, autore Dn. Abbate *Chastelain* Canonico Ecclesiæ Parisiensis. Cuilibet nomini additur brevis vitæ recensio, natalisque Viri aut Fœminæ sanctæ, & ætas, qua vixere. Jucundum fuit hæc simul intueri, ingenti sane labore ita concinnata, ut & Gallica nomina sciamus recte reddere Latinis vocabulis, & vicissim Latina Gallicis. Ac ne quid forte deesset opusculi hujus perfectioni, adposuit *Chastelainius* urbium & provinciarum Gallica Latinaque cognomenta, ex quibus quanta alioquin difficultas existere soleat, res gestas legentibus obscurum non est.

Inde patet Originum Linguæ Gallicæ a *Menagio* investigatarum campus, ex quo flores tantum quosdam passim decerpemus, eos imitaturi, qui hortum ingressi, cum florum copia abundare se conspiciant, naturæ variegata dona cultorisque simul admirantur industriam magis, quam ut omnem istam amœnitatem se una vice capere posse & assequi sperent.

Alphabetico autem ordine disposuit voces Gallicas *Menagius*, genus earum atque origines ex quamplurimis linguis, sæpissime tamen etiam ex Germanica nostra repetens. Non autem magis de Etymologiis ejusmodi, quam de singularibus quibusdam annotamentis, quæ Autor inspersit, jam erimus solliciti.

Fol. 21 vocem *Alemanni* deducit a Germanica *al*, quæ omnis significat, & *man*, quæ hominem seu virum, quasi scilicet ex diversarum gentium viris coaluerint in unam gentem Alemanni: verum patimur, ut sensu suo, quoad hujus vocis originem, quam indubitatam putat, delectetur *Menagius*; aliis enim alia forte est sententia. Fol. 80 vocem *Baro* significare ait Romana lingua, apud Hirtium Pansam L. 1. de Bello Alex. fortem virum & robustum, eumque sensum illam adhuc sustinere in lingua Hispanica, ac Barones latus Regis Hispaniæ in prælii æstu clausisse semper, feudis etiam & dignitate, Nobiles inter & Vice-Comites media, deinceps a Regibus auctos: atque huc etiam pertinere Moscoviticæ nobilitatis speciem *Bojaros*, qui

qui Ducibus sive Principibus, *Knees* dictis, sint inferiores. Fol. 91, quando Guidonem Aretinum ex prima Hymni S. Joh. Baptistæ stropha septem Tonis musicis nomen dedisse ait:

UT queant laxis REsonare fibris
Mira gestorum FAmuli tuorum,
SOLve polluti LAbii reatum
Sancte Johannes;

aliud allegat distichon, tonos & literis & syllabis scite distinguens:

Corde DEUM Et Fidibus Gemituque Alto Benedicam,
UT RE MI FAciat SOLvere LAbra sibi.

Fol. 130 vocis *Breviarium* originem a Brevibus seu Breviis, quæ ἐγχειρίδια sunt, deduxit *Salmasius* in *Simplicium* p. 6; sed *Menagius* inde dictum autumat, quod Breviarium sectiones illas Bibliorum æque ac Legendarum Homiliarumque integras legi solitas usque ad signum a præside chori datum, contineret quidem, sed particulatim; quemadmodum etiam Antiphoniæ & Responsa inserta iisdem fuerint, sed sine notis musicis, idque ita in eorum usum factum, qui in itinere constituti non poterant adesse choro. Unde dicta etiam Breviaria ista *Portiforia*, quod extra chorum efferrentur; ac nomen istud observat Autor in antiquis Angliæ Breviariis conservatum fuisse, teste eo, quod Parisiis A. 1556. impressum hoc titulo prodiit: *Portiforium seu Breviarium ad usum Ecclesiæ Sarisberiensis, castigatum, suppletum, marginalibus quotationibus adornatum, ac nunc primum ad verissimum ordinalis exemplar in suum ordinem a peritissimis viris redactum.* Fol. 141 *Scarronium* famosum inter Gallicos Poetam seu Mimum potius, *Virgilii Æneidem* joculari carmine, quod Galli & Itali *Burlesque* vocant, traduxisse dolet *Menagius*, eo quippe Virgiliani carminis dignitatem dehonestatam persuasus.

Fol. 143 *Capriole* motus vehementioris genus saltatoribus usurpatum, a Latino vocabulo *Capriola* seu *Capreola*, capreæ saltum quod significet, derivat. Fol. 229 digna sunt, ex *Chronico Bromtoni* p. 1150. allegata ab Autore verba, quæ huc afferantur: *Cum Rex Henricus, filius Mathildis Imperatricis 34. annis regnasset, anno Domini 1189. mense Julii, in octavis Apostolorum Petri & Pauli, Luna 19, feria 5, apud Chinonense castrum, febre invalescente obiit. Omnes proxi-*

proximi sui, cum decederet, & familiares circumstantes ita rapacitati indulserunt, ut corpus Regis diu nudum jaceret, donec puer quidam inferiores corporis partes pallio brevi contegeret. Et tunc videbatur nomen ejus adimpletum, quo ab infantia vocabatur Henricus Curtmantel. *Nam iste primus omnium curta mantella ab Andegavia in Angliam transvexit.* Est ille autem Henricus II. Angliæ Rex. F. 243 putat Menagius, autoritate *Valesii in Notitia Galliæ*, vocem *Dausin*, non per ph, sed per f debere scribi. F. 259 aquam medicatam, *l'eau de la Reyne*, ab Isabella Ungariæ Regina inventam usurpatamque esse refert. F. 291 jucundum est legere, ridiculi hominis *Till Eulenspiegel*, quem e Saxonia oriundum, celebrem ob nugarum artificia, circa annum 1480 vixisse censet *Menagius*, famam & gesta in Galliam quoque transiisse. Gallis enim vocem *Espiegle* significare ait hominem *Eulenspiegelio* similem, impressumque librum a se visum hoc titulo: *Histoire joyeuse & recreative de Tiel Ulespiégle lequel par aucunes fallaces ne se laissa surprendre ny tromper.* F. 353 vocem *Gazette* significare ait cumprimis Venetam monetam argenteam duorum assium; & quod eo pretio diurnæ seu nunciæ rerum toto orbe gestarum chartæ pararentur, inde illas dictas esse *Gazettes.* F. 391 famosum ejus nomen, qui Mimi personam in Comœdiis sustinet, *Harlequin*, refert Autor originem suam habere a quodam Italo Comœdo, qui quod tempore Henrici III Parisios cum sociis veniens, operam suam Dno *Harlay de Chan-vallon* addixisset, ab illis dictus fuerit *Harlequino*, ex gentis Italæ more, quo heri servorum, & servi herorum nominibus consueverunt utplurimum insigniri. F. 419 Floralia Tolosana, quæ quotannis mense Majo celebrantur, & in quibus Poëtæ probati sententia judicum literatorum & criticorum coronantur, vel flore donantur, a Clementia Isaura fœmina, ut vulgo creditur, instituta negat, sed anno 1323 a septem urbis Tolosæ civibus, autoritate scriptorum Gallicorum non unius, & *Caseneuvii* cumprimis, qui peculiari tractatu de Ludorum istorum solennibus commentatus est, asseverat. F. 455 nota hodie vocabula *Lotterie* Gallicum, & *Lotto* Italicum, sortilegia quæ significant, seu nostro sermone Glücks-Buden / convenientissime a vocabulo Germanico Loos / seu Belgico *Lot*, quod sortem significat, deducit. F. 462 *Maccaroni* & *Maccarons* est pulmenti genus, farina, caseo, & bu-

& butyro compositum, rude & rusticanum. Unde Italis inficeti, rudesque & crassum qui habent spiritum homines, non solum dicti sunt *Maccaroni*, sed & genus quoddam carminis inventum, quod *Maccaronicum* inde appellatum.

Fol. 499 statuit autoritate *Ramiresii* aliorumque, vocem *Missa* non a ritu illo, quo jubebantur quondam Catechumeni templis exire, sed ab oblationibus, quas unusquisque fidelium *mittere* solitus fuit, derivari debere. F. 541 notanda veniunt verba, quæ Ducem exercitus Imperatorii & Croatiæ Gubernatorem celebrem *de Souches* concernunt. Hunc enim commemorat se appellasse *de Souches*, a pago seu dynastia *des Ouches*, cum verum ejus nomen fuerit *Ratui*, patremque habuerit civem Rupellanæ urbis (*Rochelle*) cui nomen *Ratui*. F. 558 cum de voce *Pars* dixisset, quod in rudimentis Latinæ linguæ sive Grammaticis libellis partes orationis significet, lepidum ex rarissimo Naudæi libro, *Dialogue de Mascurat & de St. Ange*, allegat Epitaphium:

Hic jacet Jodocus,
Qui fuit Romæ Coquus,
Magister in Artibus,
Et Doctor in Partibus,
Et de gratia speciali
Mortuus in Hospitali.

Fol. 592 S. Johannem Evangelistam & Apostolum Romæ oleo fervido injectum fuisse, atque eo in loco, qui *Porta Latina* dicitur, refert autoritate *Baronii* ad annum XXXII; sed occasione vocabuli *Latina*, hujus *S. Jean Porte Latin* patrocinio & tutelæ typographos & bibliopolas Gallicos se tradidisse simul narrat. Fol. 669 *Sire*, quod honoris vocabulum est, *dominium* eminentiori significatu arguens, ac non nisi Principibus & Regibus dari solitum, a Latino *Senior*, ab eodemque porro *Sieur*, *Seigneur*, *Signore*, *Sennore*, derivat. F. 715 *Veronicam* esse ait linteolum, cui facies Salvatoris credatur impressa, Romæ in templo D. Petro sacro asservatum, sicque dictum quasi *vera icon* seu *iconia*, ex sententia *Mabillonii*, *Musei Ital.* T. I. p. 88. Qua occasione crassum pictorum errorem arguit, qui Veronicam pingunt ut fœminam; quod idem esse inquit *Menagius*, ac si quis Helenam sanctæ crucis inventricem *Crucis* nomen gessisse velit arbitrari.

 Hæc

Hæc ex *Menagio* citasse sufficiat. Est vero eadem libri, quem *Dn. de Caseneuve* de originibus linguæ Gallicæ composuit, a Dn. *Simon de Val-Hebert* jam primum editi annexique operi Menagiano, ratio, quippe cum evolvat vocum genus, & quædam subinde admisceat notatu digna, multa adeo etiam paucis complexus; siquidem moles libri centum paginarum numerum non excedit. Ex præfatione autem vitam ejus, (Latine etiam a *Medone* Tribunalis Tolosani, quod *Presidial* vocant, Consiliario editam) breviter exponemus. Natus est *Caseneuvius* Tolosæ honestis parentibus anno 1591 d. 31. Octobr. Studiis admotus ad Theologiam primum adplicuit animum, atque ad jurium deinceps linguarumque plurium scientiam. Otii vero amans honesti, sacro ordini se passus est adscribi. Suasu Dn. *de Montchal* Archi-Episcopi Tolosani elegantem librum, cui titulus: *Franc Alleu de Languedoc*, & hoc laudem publicam promerito, *Historiam Occitaniæ* sub titulo *Catalogne Françoise*, evulgavit; præter hos vero alios quoque Tractatus, de *Institutione Nobilis; de Jesulo; de Vita S. Edmondi Regis Angliæ*; de *origine Floralium ludorum*; & si qui sunt alii minores. Sed inter nondum editos, quos testamento se accepisse memorat autor præfationis *Val-Hebert*, eminent, tractatus *de Tribunalibus* (des Justices) *Franciæ*; *historia Comitum Tolosæ*; tract. *de insignibus*; de *lingua Provinciali* (Provençale) *ejusque Poëtis*; *μισολαὸς*, sive *Satyra in calamitates sui temporis*; de *origine Francorum*; & demum *Historia Favoritarum Galliæ*. Obiit autem d. 31. Octobr. a. 1652. febre ardenti extinctus.

F. 46. sub vocabulo *étour*, congressum quod significat, cum id a barbara voce *Sturmum*, seditionem significante, derivasset, *Stormaros* Saxoniæ populum, & provinciæ Stormaricæ incolas ab eodem dictos autumat: quod crebras seditiones invicem excitarint. Quemadmodum etiam f. 91 *Saxonicæ* gentis denominationem a voce *Sax* vel *Sas*, quæ antiquis Saxonibus *pugio* audiit, petit; quod illa gens eo gladiolorum genere hostes suos consueverit trucidare.

Equidem longe, quod diximus, plura extant in *Caseneuvii* libro: sed quæ omnia hic allegare nostri instituti non est, qui primitias tantum jam damus, messem ipsam curiosis Lectoribus relicturi. Non ingratum tamen fore confidimus eruditis, & qui *Menagii* nomen doctrinamque coluerunt, si Epitaphium, quod ipsius memoriæ

moriæ posuit *Franciscus Pinssonius*, iisdem verbis, quibus Hagionomastico supra allegato annexum est, huc adponemus.

EPITAPHIUM.

Virum officiosum,
ingenio præstantiorem,
memoria tenacissimum,
scientia denique notum ubicunque;
Græcum non solum vel Latinum,
Sed & Italum Gallicumque scriptorem politissimum
Quæris Viator.
HIC JACET
Seu potius venerandi Manes ÆGIDII MENAGII Andini,
Regi, dum viveret, a Consiliis & Eleemosynis,
Guilielmi, Regii apud Andes Patroni, & Guidonæ Ærodiæ Filii,
quiescunt.
Qui
Nominis sui scriptorumque fama
Europam fere universam, non sine invidia, peragravit,
Societatemque, etiam juvenis, cum Principibus,
ac doctis quibuscunque Viris, sive exteris sive Gallis, ubique iniit,
quam ad mortem usque magnopere coluit,
studiose fovit & constanter retinuit:
Hebdomadariis primum, postea quotidianis congressibus
magna celebritate domi habitis, etiam clarus;
Florentinæ Andegavensisque Academiarum Socius;
Juris utriusque Facultatis Parisiensis Doctor honorarius:
Vir, ut paucis absolvam,
quem totus orbis eruditus & consuluit & suspexit:
Quique vetustatis lux ac nostri sæculi decus fuit,
posteritatis etiam exemplar futurum.
Obiit Epiphora pectorali,
die 23 Julii 1692. hora fere septima serotina, ætatis 79.
Sacro-sanctis Ecclesiæ Sacramentis, mira pietate, munitus.
Faustam Manibus quietem apprecare.
Viro singulari multisque sibi nominibus colendo posuit
Franciscus Pinssonius Advocatus Parisinus.

JOH. FRANC. BUDDEI S.S. THEOL. LIC. ET PHILOSOphiæ Mor. ac Civ. in Academia FRIDERICIANA Prof. Publ.

Historia Juris Naturalis.

item:

Synopsis Juris Naturæ & Gentium secundum disciplinam Ebræorum.

Halæ Magdeburgicæ apud I. F. Zeitlerum, 1695. in 8. plag. 8.

JUris Naturalis, quo nomine omnem Philosophiam moralem complectitur, historiam delineaturus Auctor clarissimus, nobisque in adornandis his Eruditorum Actis adjutor strenuus, illud non tantum in Philosophorum habitare scriptis, sed & per Theologorum ac Jureconsultorum amplissimos campos late diffusum esse deprehendit. Legumlatores quippe cum initio ea solum juberent, quæ e re civitatis erant, deinceps ut improbos suorum civium emendarent corrigerentque mores, aliisve causis adducti, omnia illa, quæ honesta justave esse ratio dictitat, legibus suis sunt complexi. Hinc itaque factum, ut in gentium quidem omnium, maxime tamen Græcorum & Romanorum, legibus civilibus, Juris Naturalis vestigia luculentissima compareant; quæ rite detegere, adeoque naturales civilesque leges inter se permixtas secernere, cum res ardua, & summi ac desperati laboris, judice Rachelio & Seldeno sit; hinc mirum non esse concludit, quod recentiori demum ætate extiterint, qui præclarum hocce opus fuerunt aggressi. Nec aliunde factum, ut Theologorum sanctiori ac reconditæ disciplinæ leges naturales interspergerentur, quam quod ad hominum improbitatem eo facilius coercendam, illis munus non tantum vero Numinis sensu animos hominum imbuendi, sed & ad omnem honestatem & sanctitatem morum eos formandi, publica auctoritate fuerit demandatum. Hisce ipsis vero in turpissimos errores, cum gentilium fœda superstitio orbi incumberet, prolabentibus, Juris Naturalis disciplinam pristinam puritatem adeo non retinuisse, ut non una illi adspersa fuerit labes. Eruditas tamen Poëtarum fabulas Auctor hinc eximit, quippe quibus naturalis æque ac moralis doctrinæ capita teguntur. Restitutam deinde post natum Salvatorem, ope Christianorum Theologorum, pristino nitori Juris Naturalis doctrinam observat, ita ut in Patrum quoque scriptis, amplissima

sima luculentissimaque hujus scientiæ documenta deprehendantur. In quibus tamen istud desiderat, quod Theologiam Moralem a Jure Naturæ non accurate satis distinxerint, quin limites utriusque confuderint sæpissime, recentioribusque, ut idem facerent, præiverint exemplum. Hinc quæ Juris Naturalis apud Theologos sequioris ævi, quos Scholasticos vocare solent, fuerint fata exponit. Et cum tres horum faciat ordines, antiquiorum nulla, aut exigua plane, in hanc disciplinam merita esse, asserit; medios autem industriam & ingenium attulisse ad hanc quoque artem, incerto tamen fundamento omnia superstruxisse; recentiores denique Romanæ Ecclesiæ Theologos, qui horum se insistere vestigiis glorientur, veterum errores adeo non emendasse, ut auxerint etiam; idque commentis illorum celeberrimis, de opinione probabili, & peccato philosophico, comprobat. Quod autem ita per Theologorum æque ac Jure-Consultorum castra erraverit doctrina moralis, id vero mirum non esse, cum a Philosophis neglecta adeo fuerit, quin ejecta in exilium, & tantum non proscripta. Nimirum inter veteres Philosophos Socratem præcipue de formandis ad omnem honestatem mortalium moribus, fuisse sollicitum: hunc alios excepisse, Platonem maxime, Aristotelem & Zenonem Citticum, qui equidem omnes non omnino nihil ad moralis Philosophiæ incrementa attulerint: ut tamen Platonem Aristoteles, ita utrumque, quin omnium hæresium Philosophos, superasse Stoicos, ita ut nec Epicuræi, nec Pythagoræi, cum illis possint conferri. Nec leviter eos Jus Naturæ attigisse, exemplo M. Tullii Ciceronis Auctor comprobat. Cur autem factum, ut Christiani veteres Philosophiam Stoicam, quæ præstantissima omnium esse videatur, adeo neglexerint, ut initio Platonicam, deinceps Aristotelicam, illi prætulerint, id quidem non facile posse definiri; valde tamen esse simile vero, ex odio, quo Stoicos ceu acerrimos Christianæ doctrinæ oppugnatores, fuerunt prosecuti, hoc profectum esse. Itaque postquam Aristoteles scholas occupavit, Philosophiam morum jejune admodum doceri cœpisse, idque tum aliis de causis, tum etiam quod ob Græci sermonis imperitiam, ne ipsum quidem Aristotelem intelligerent. Tandem Hugonem Grotium hanc Philosophiæ partem feliciter pristino restituisse nitori, quem Johannes Seldenus secutus sit, cujus cura & industria factum, ut Ebræo-

rum doctrina moralis, quam perlustrare utique pretium operæ sit, nunc neminem latere possit. Hobbesio etiam non omnino nihil nos debere: sed profanis sententiis eum doctrinam moralem commaculasse. Laudat & illos, qui Hugonem Grotium aut commentationibus suis explicarunt, aut aureum ejus opus in compendium mittendo, lucem illi affuderunt. Tandem auguratur fore, ut quæ doctrinæ morali deesse videntur, propediem illi addantur; illosque demum hisce sacris recte operari contendit, qui Hugonem Grotium imitando, ita sectentur recentiores, ne tamen veteres negligant.

Synopsis vero Juris Naturæ & Gentium, juxta disciplinam Ebræorum, in compendio ea exhibet, quæ Johannes Seldenus prolixius de hoc argumento est commentatus. Enim vero cum multi, præsertim linguarum orientalium notitia non imbuti, tum aliis de causis, tum etiam ob digressiones frequentiores, quibus opus hocce eruditissimum est ornatum, ab ejus lectione deterreri possint, operæ pretium se facturum Auctor arbitratus est, si summam ejus, ea qua fieri potuit, brevitate & facilitate, sisteret orbi erudito. Cumque de gravissimis Juris Naturalis capitibus Ebræorum hic exponatur sententia, de quibus nostra ætate valde solliciti fuere viri doctrina præstantes, addidit etiam loca aliorum Scriptorum, tum ut inde intelligeretur, rectene an perperam ita ab Ebræis statuatur, tum ut palam fieret, etiam in controversiis nostri seculi, Ebræorum, si in consilium adhibeantur, sententiam, pondus aliquod momentumque habere.

MEDICINA MENTIS ET CORPORIS. EDITIO NOVA AUctior & correctior, cum præfatione Auctoris.

Lipsiæ apud Joh. Thom. Fritsch, 1695. in 4. plag. 49.

LIberamus nunc fidem nostram, quæ data fuit a nobis in Actis anni 1687. p. 702, postquam Medicina mentis & corporis in lucem denuo prodiit, haut parum expurgata a mendis typographicis, multisque in locis, quæ obscura nonnullis visa fuerunt, illustrata, illustrisque Auctoris instructa præfatione, in qua perspicue exponit, quis sibi præfixus fuerit scopus hoc in libro conscribendo. Id enim sibi habuit propositum, ut quemadmodum specialis datur scientia, qua abdita & retrusa quæ sunt in mathesi producuntur in lucem, ita ipse traderet scien-

scientiam generalem, qua quis probe instructus omne incognitum, quod assequi potest suis viribus intellectus humanus, certa & constanti methodo possit invenire, ut Philosophi non verbalis aut historici, sed realis titulum mereatur. Hanc enim scientiam vel si mavis artem inveniendi genuinam philosophiam esse censet, eamque ut amabiliorem reddat, medicinæ mentis & corporis titulo insignivit; quoniam philosophiæ est, tum luculenter ostendere, quod plerique homines non corporis solum sed mentis quoque destituantur sanitate, tum convenientia illis malis remedia adhibere. Neque tamen ipsi constitutum fuit integram hoc libro Philosophiam complecti, sed primam duntaxat, h. e. omnia illa, quæ homini, cui seria sapientiam acquirendi mens est, omnium primo veniunt cognoscenda.

In *prima* ergo *parte* commonstrat, studium acquirendæ veritatis per se ipsum esse omnium occupationum præstantissimam, quandoquidem nihil magis conducit ad vitam beatissime traducendam. Quilibet enim attendendo ad ea, quæ se bene afficiunt, re ipsa experitur, voluptates corporis, si crebro illis fruatur, nauseam & noxam sibi parere; delectationes, quæ ex actionibus, quas pro virtuosis reputat, nascuntur, melius quidem se afficere, sed tristitiam post se trahere, si in bono aut malo dijudicando error commissus fuerit; illas vero demum, quæ ex acquisitione veritatis oriantur, summas esse, purissimas, omniumque constantissimas, sapientemque infinito intervallo ignorante esse beatiorem.

In *parte secunda* ipsa methodus veritatem investigandi traditur, his innixa fundamentis, quæ omni erroris suspicione carent, quorumque certitudinem quilibet in se ipso quovis momento per experientiam explorare potest. (1) *Se variarum rerum conscium esse*; quod principium primum & generale nostræ cognitionis est. (2) *Se bene a quibusdam, a quibusdam male affici*; quod principium est cognitionis boni & mali. (3) *Quædam a se posse concipi* seu cogitatione adprehendi, *quædam autem a se nullo modo posse concipi*, sed respectu sui esse incogitabilia; quod principium primum est verum a falso discernendi. (4) *Se varia sensuum externorum, itemque imaginum internarum & passionum ope advertere*; quod principium primum est, unde omnia, quæ experientiæ debemus, emanant. Ex eo ergo quod omnia illa, quæ constat vera esse, concipi possunt, h. e. eorum

Sect. I. eorum simplices conceptus possunt inter se conjungi, quæ falsa, non possunt concipi, concluditur hoc genuinum esse *veri falsique criterium*, illaque facultas, qua conamur aliquid concipere, & possumus, & qua conamur ejus contrarium concipere, & non possumus, *Intellectus* vocatur, ejusque existentia non solum sed æqualitas quoque in omnibus hominibus sanæ mentis ex eo colligitur, quod omnes ad assensum demonstrationibus coguntur. Quoniam vero, secundum quartum principium, ope *imaginationis* quoque plurima nobis innotescunt, quorum nonnulla etiam concipi, nonnulla tantum percipi possunt, hinc ne quis decipiatur, & quæ percipit tantum, sibi quoque videatur concipere, monetur duas has facultates diverso nos modo afficere, concipiendi nimirum sub forma actionis, percipiendi sub forma passionis; veritatisque studiosos, si frequenti exercitio discant multa bene concipere Mathesi operam navando, facile discrimen inter conceptionem & perceptionem animadversuros, imo omnium optime & tutissime certos posse reddi se aliquid concipere, si experiantur, *utrum possint solis verbis in alio ejus rei, quam se concipere, non vero imaginari putant, plane ignaro æque perfectam excitare notitiam.* Quia enim concipiendi facultas in omnibus est æqualis, poterunt sine dubio efficere, ut quod ipsi concipiunt, alter quoque intelligat.

Sect. II. Porro ut absque errore progredi possimus in veritatis investigatione, omnes possibiles conceptus, quos mens formare potest, acquirendi sunt. Quod ut rite fiat, redigendi sunt primo in ordinem omnes possibiles primi conceptus, qui *definitiones* dicuntur, ac semper rei singularis generationem, seu primum formationis modum, debent involvere. Ut vero omnes acquiramus, tres sequendæ sunt regulæ generales, a nobilissimo Auctore fusius explicatæ exemplisque illustratæ, in quibus illa præcipue notatu digna, quæ agunt de *curvarum genesi ex focis*, ex qua tangentium facillima descriptio, sine ullius calculi ad eas investigandas usu deducitur; de *nova plane regula* solis Geometriæ principiis innixa *determinandi tangentes curvarum ex focis descriptarum*, tandemque de alia quadam *curvarum formatione per rectarum intersectiones ad angulos rectos* factas, ad quas illa pertinet cujus dimensionem frustra in dubium vocavit clarissimus Ozanam. Genuinis definitionibus inventis, ipsæ in se consi-

derandæ

derandæ sunt, h. e. omnes respectus qui haberi possunt inter omnia elementa definitionis alicujus, h. e. inter fixa, mobilia & motum, sive ea ut sola, seu ut comparata exhibeantur, & videndum in unoquoque diverso respectu, quænam hinc novæ sequantur veritates, quæ *axiomata* dici possunt, atque his formatis ipsæ inter se jungendæ sunt definitiones. Junctis enim duabus pluribusque definitionibus, h. e. diversis naturis, accidit ut ex illis, quæ antea separatam constituebant naturam, oriatur novum possibile, quod naturam habet ab illis dependentem, seu nova veritas, quæ *theorema* vocatur. Ex hoc cum multa possint concludi, quæ vel sunt speciales theorematis casus, vel immediate ex ipso sequuntur, hæc *corollaria* dicuntur; ea vero quibus ordinis ratio vel ad intelligentiam faciliorem necessaria traduntur, *scholia* vocantur. Demonstratur etiam eum, qui veritates quascunque seu theoremata eruendi viam cognovit, quælibet etiam resolvere posse *problemata*, ipsaque methodus solvendi traditur illustrata exemplis Mechanicis, Staticis, Geometricis, Physicis, regulæque, quas Dn. *Des Cartes* in methodo sua exhibuit, explicantur. Tandem ut veritatis inquisitio exiguo cum labore perficiatur, recensentur impedimenta, quæ remoram nobis objiciunt, eorumque origo explicatur, & quomodo remedia tum ex bona methodo, tum aliunde sint petenda, ostenditur. *Primum* ex illis est error, quo falsa pro veris admittimus, ab imaginatione ducens originem, ut exemplis quoad entia imaginabilia, rationalia & realia docetur; contra quem remedium situm est in intellectu, qui nihil admittere debet, nisi quod concipi potest, adjuvandusque est ab imaginatione bene directa per voces, characteres, motum & experientias externas. *Secundum* impedimentum est, quod ea quæ cognita sunt, & facilia nobis videntur, non magni facimus, nec diu ad ipsa attendimus; quod removeri potest, si perpendamus, ex facillimis difficillima eruenda esse, & cognitionem generalem speciali multo esse præstabiliorem. *Tertium* impedimentum est, quod semper nimis curiose quærimus, num veritas aliqua sit utilis, & nisi talis statim adpareat, eandem parum æstimamus; quod tolli potest, si recogitemus, ea quorum usum jam non perspicimus, profutura forsan posteris, veritatemque per se expetendam esse, secus autem facientes viam sibi præcludere ad utilissima quæque perveniendi.

Sect. 3.

Quartum est indispositio quam in nobis interdum experimur, dum non semper æque apti sumus ad veritatem inquirendam. Hoc minui quandoque aut tolli potest, si externa, unde oritur, removeantur; aut non multum nobis officit; si tempus illud, quo maxime nos aptos ad studia sentimus, bene collocemus. *Quintum* impedimentum in eo positum est, quod difficile est, mentem, quantum requiritur, habere attentam, si veritas ex pluribus aliis, quæ longa serie inter se nectuntur, sit eruenda. Quod ut tollatur de medio, si difficultas fuerit realis, disquisitio in partes certas dividenda est, certumque cuivis tempus destinandum, atque eo tempore unice illi parti incumbendum. Si vero difficultas illa tantum ab imaginatione trahat ortum, intellectus genuina imbutus methodo auscultandus est, imaginatio vero juvanda scriptura, qua cogitationes nostras in chartam conjicimus, lectioneque librorum egregiorum, maxime autem omnium a teneris educatione cum ratione instituta. Quæ cum maximi sit momenti, atque in eo præcipue consistat, ut imprimantur imaginationi puerorum notiones *decori* & *indecori*, *veri* & *falsi*, *boni* & *mali*, quo modo fieri debeat, dilucide exponitur. *Ultimum* impedimentum est, quod commoditate sumtibusque sæpe destituimur ad ea, quæ in veritatis inquisitione assecuti sumus, in effectum deducendi; quod tamen superari potest aliquo modo, si semper in studiis propriam sequamur inclinationem, quæ interna cujusvis & genuina est vocatio, ac deinde aliquid publicemus, quod speramus aliis placiturum, ut ipsi cognoscant, quid de nobis sperandum sit, si ab aliis, ut decet, juvemur &c.

In *tertia parte* monstratur, in quo præcipue Objecto perscrutando vitam suaviter & cum maximo oblectamento consumere liceat. Nimirum ea præcipue tractanda sunt studia, ad quæ proprio quasi naturæ instinctu ferimur, ita tamen ut non omittatur *Mathesis*, in qua inprimis observari potest, quomodo a simplicissimis incipiendum, & gradatim ad magis composita sit pergendum. Inprimis autem *Physicæ* navanda est opera, sive elaborandum, ut acquiramus nobis scientiam universi a priori demonstratam, & evidentissimis experientiis ipsam imaginationem convincentibus a posteriori roboratam, quam præstantissimam omnium maximeque delectabilem esse illu-

illustris Auctor multis argumentis comprobat. Hæc ea, qua licuit brevitate de *Medicina mentis* recensere visum nobis fuit.

Quandoquidem autem sapienti cura sanitatis tuendæ non est negligenda, sed adversa valetudo inter maxima impedimenta veritatis inquirendæ referenda est, hinc peculiari opusculo, cujus titulus *Medicina corporis*, exponit Illustris Auctor quæ ad sanitatem cum conservandam tum recuperandam ipsi conducere visa sunt, ita tamen ut non pro demonstrationibus hæc venditet, sed cogitationibus valde probabilibus, ab ipsa experientia confirmatis. In *prima* autem *parte* ostendit, quomodo, licet strictæ alicui diætæ non adeo scrupulose inhæreamus, valetudinem possimus integram conservare. Quem in finem suadet (1) ut naturam nostram, dum viribus adhuc valemus, adsuefaciamus ad omnia, quæ hac in vita contraria nobis obtingere possunt perferenda, eaque non tantum mediocria, sed etiam modum, non tamen nimis, excedentia, v. g. sitim, famem, aliqualem cibi potusque copiam, varietatem & vilitatem, frigoris æstusque injuriam, laborum molestiam, & id genus alia. Porro ne impingamus in diæta, & noxios cibos ab utilibus possimus discernere, monet (2) cibos, antequam assumuntur, non esse prælibandos, ad explorandum utrum conducant nec ne; opus etiam non esse, ut reminiscamur an palato antehac fuerint grati; sed eorum saporem absque ullo seu prægustu seu respectu ad præterita habito bene nobis imprimendum, non aliter ac si ad eos comedendos jamjam accingeremur; tunc enim si internum aliquem apud nos appetitum persenserimus, eos corpori maxime salutares, contra vero si nausea oboriatur, maxime noxios futuros, imo quo major seu appetitus seu nausea fuerit, eo magis sive profuturos, sive obfuturos. Quoniam autem cujusvis non est, ad ea, quæ in se fiunt, accurate attendere, ostenditur (3) in edendo & bibendo satis inordinate nos posse procedere, absque ullo repentini alicujus damni subsecuturi indicio, dummodo ea, quæ gustui valde inter se discrepantia videntur, (v. g. humida & sicca, pinguia & macra) inter edendum alternatim commutemus, ut justa quasi ex iis temperatura exurgat, aut si sentimus ex alterutro illorum, quæ sibi ratione saporis contraria videntur, nimium nos comedisse, talia quæ priori vel ex parte vel omnino contraria sunt superaddamus, ut excessus aliquo modo corrigatur. (4) Quamvis autem corpus ad con-

contraria quævis perferenda adsuefaciendum sit, summopere tamen cavendum est, ne ab uno contrario ad alterum statim præruamus, (v.g. vehementi sudore diffluentes frigido nos exponamus aeri,) sed si vel maxime ad illud cogamur, gradatim tamen & pedetentim ad illud transeamus.

In parte secunda exponitur, quænam sint signa non præsentis sed ingruentis morbi, & quomodo repelli possit. Signa ergo certissima morbi adventantis cum sint membrorum gravitas inconsueta, appetitus prostratus, virium in ordinariis negotiis peragendis defatigatio, consultum judicatur (5) ut attendamus ad nos ipsos, an agilitas membrorum omnium corporis nostri diminuatur, graviaque ipsa nobis videantur, licet jejuni simus, vel modico solum cibo usi; & hoc observato, quia in corpore nostro plus tunc est nutrimenti quam opus est, superfluum sudore excernamus. (6) Ut accumbentes mensæ cibis instructæ, si horum præsentia nos licet impastos aut plane non, aut tam parum invitaverit, ut omni plane cibo absque ulla violentia carere possimus, eos solito minus copiose assumamus, tempore vero inter prandium cœnamve medio ab illis plane abstineamus, de cætero corpus externo motu frequentius, quam consuevimus, exerceamus: ubi autem non tantum appetitus carentiam, sed etiam aversionem sive nauseam ciborum senserimus, a victu per unum diem plane cessemus, postea vero modico pastu nutritionem incipiamus, pro ratione appetitus nos incitantis, sudore etiam calori interno aliquantisper subveniamus. (7) Ut cum iis, quibus maxime assueti sumus, utimur, & quidem absque ulla festinatione, inconsuetam tamen inde fatigationem provenire experimur, rationem ineamus, an ea indies aut etiam celerius augeatur, idque si fiat, non nectamus moras, usque dum malum adeo crescat, ut decumbere cogamur, sed illico minus cibi assumamus, vitemus illos qui nauseam nobis cient, usurpemus contra ad quos appetitus nos maxime trahit, noctu vero obtecto corpore solitoque magis cooperti cubemus, quo melius omnia membra foveantur, illudque tamdiu continuemus, donec restaurari vires cœperint.

In tertia parte quomodo valetudo amissa sit recuperanda, & quænam maxime secura sint remedia, ostenditur sequentibus regulis: (8) Cum in eo jam sumus statu, quo continuas debilitates & dolores senti-

sentimus, omnia negotia sunt intermittenda. (9) Curandum est, ut ægrotus versetur in aëre tranquillo, subcalido, nullo forti odore, qui ipsi molestus est, repleto; sique aliquamdiu morbus duraverit, expulso veteri aere novus in locum, in quo ægrotus decumbit, est intromittendus, & totum conclave repurgandum. (10) Ab omni cibo potuque, quantum possibile est, ægrotus abstineat, horis etiam pastui destinatis, si ciborum non appetitum, sed aversionem ab illis sentiat, nihil eorum assumat. Juvat tamen eos præparatos coram intueri, aliosque eos comedentes spectare. Quod si tunc appetitus oriatur, edere quidem licebit sed modice, & non nisi ea quæ bene calida, facilis digestionis, nobisque ordinaria seu ut plurimum usitata fuerunt. Ubi vero singularis & extraordinarius certi alicujus cibi, licet alias inusitati, appetitus in ægro fuerit excitatus, satisfaciendum ei quidem est, sed non nisi horis ad pastum ordinarium destinatis; nec illius magna nimis copia est assumenda. (11) Quamvis pristinus jam vigor redire cœperit, morboque nos liberatos sentiamus, domi tamen per biduum vel triduum manendum est, publicisque abstinendum negotiis, donec de plena sanitatis restitutione simus certissimi. Hinc ad consueta redeundum negotia, sed adhibita mediocritate. Si recruduerit morbus, eoque res processerit, ut decumbens exspirasse videatur, non ideo pro mortuo habendus est, maxime si dolores, quos perpessus fuit æger, vehementissimi fuerint, neque ille diu ægrotavit; sed membra ejus, si nondum obriguerint, fovenda sunt calore, ut quamdiu aliqua adhuc spes est, illa modis omnibus sustineatur.

Hæc ergo sunt quæ Celeb. Auctor de communibus illis morbis, qui ex victu quem capimus originem habent, commemoranda duxit, plurimis ab ipso experimentis declarata & rationibus confirmata. Nam ad rara & insolita symptomata quod attinet, generalem tantum in *appendice* ostendit modum in illis felici cum successu procedendi. Necessarium enim judicat (1) ut Anatomiæ probe addiscendæ, iisque quæ in ea adhuc latent accurate explorandis operam demus. (2) Ut ex membri læsi natura, modoque quo læsum fuit, videamus, num possibile sit absque medicamento curationem aggredi. (3) Si cognoscatur absque externorum medicamentorum applicatione nihil obtineri posse, ea adhibenda censet remedia, quæ rationi valde consentanea videntur, aut si talia excogitari facile non pos-

sint, saltem ea, quæ evidens & sensibile auxilium ferant, & quæ simplicissima sint; & postquam ex iis aliquod in usum vocatum fuit, huic unice inhærendum, ad perfectum usque curæ terminum, nisi sana forte ratio aliud quippiam clare docuerit.

A DISCOURSE CONCERNING THE DIVINE PROVIDENCE, i.e.

DISCURSUS DE PROVIDENTIA DIVINA, WILHELMI SHERLOCK, S. Th. D, Decani ad D. Pauli, Templi Magistri, nec non S. R. Majestati a Sacris.

Londini apud Wilhelm. Rogers 1694. in 4.
Constat alphabet. 2. pl. 4½.

PRiora libri elegantis capita quatuor *mense Aprili* recensuimus; restant nunc reliqua quinque. Et *Capite* quidem *V.* pergit Auctor
p. 137.
celeberrimus ad *justitiam & æquitatem providentiæ* divinæ, quam ait essentialem esse notioni de Deo; hincque effici, si Deus gubernet mundum, ut eum juste administret; istamque esse objectionem præcipuam, quam contra providentiam afferri videas, mundum cum æquitate non administrari; quod si possit argumentis idoneis adstrui, concessurum se profitetur Auctor conclusionem, Deum mundum non regere. Sed omnes provocat, ut unius saltem actus, injustitiæ aliquid habentis, providentiam divinam convincant. Nimirum fundamentum omnium ejusmodi objectionum ignorantiam esse innuit indolis gubernationis divinæ, & justitiæ, quæ attribuenda est providentiæ. Quæ omnia ut magis pateant, communiter tradit Justitiam in commutativam & distributivam dividi; utriusque respectu a nonnullis accusari divinam Providentiam. α) Cum manifestum sit, frequentissime in mundo committi injustitiam, & magnum hominum numerum juribus suis ac possessionibus per fraudes, per vim, variaque alia injustitiæ genera privari; inde consequi, mundum juste non administrari, cum hæc omnia in providentiæ justitiam & æquitatem demum redundent. β) Sic & præmia & supplicia juste & æqualiter non distribui, cum sæpe pessimus quisque reportet præmia, bonis contra severe punitis. Ubi brevissimam ad has & similes objectiones inquit esse responsionem, si consideremus probe, in quo consistat justitia providentiæ, & quid justitia in gubernatione mundi a Deo requirat. Si enim Deus gubernare potest mundum justissime, ut non agat,

agat, quæ homini a justitia facienda requiri videri possunt, nec ut impediat, quæ impedienda videbantur; satis justitiam providentiæ esse vindicatam. Ab initio ergo præsupponit, justitiam providentiæ non consistere in impediendis omnibus injustitiæ atque violentiæ actibus. Posse enim maximam in mundo admitti injustitiam, ut tamen DEUS summa cum æquitate mundum administret. Id quod dicere solum sufficiat, cum homo improbus & injustus, DEUS vero justissimus esse possit. Quod vero DEUS tot mala fieri permittat, id potius contra sanctitatem, quam justitiam providentiæ obverti posse. Si injustum esset in DEO hominem perferre injuste agentem, imperfectam admodum justitiæ fore speciem, propterea eundem punire; cum justitia in peccato punito exsplendescens, fundata esset in injustitia id permittente; Deumque prius esse injustum in permittenda injustitia, ante- 139.
quam justus esse posset in ea punienda. Deinde DEUM facere posse, quod homo non nisi injustissime faceret; itaque posse hominem esse injustum maxime, cum DEUS maneat justissimus. Sic DEUM posse alicui eripere facultates, opes, honores, potentiam, imo & ipsam vitam; id inde esse, quia DEUS sit supremus mundi dominus; nosque omnes cum iis, quæ habemus, ipsius simus; adeoque nos adversus ipsum nullo gaudere jure. Justitiam commutativam non esse posse, ubi solum ex una parte est jus: qui enim nullum habet jus, eum nec ulla affici posse injuria; & apud quem non nisi jus est, injuriam facere non posse, sive alicui adimat, sive det, quod sibi est proprium. Unde quæ ex legibus positivis oriuntur jura & proprietates, quæ fundamentum præbent justitiæ commutativæ, objici non posse Providentiæ, nulla creatura proprietatem adversus DEUM habente. Quare & 140.
supervacaneum sit, de *jure Dei in creaturas* disputare velle, cum sit extra controversiam, id DEO competere absolutum & nullis limitibus circumscribendum; sed ut tamen non sequatur, DEUM absque injustitia proponere sibi posse creaturam condere, ut ipsa sit misera. Nam licet creaturæ nullo gaudeant jure naturali adversus DEUM, tamen justitiam & bonitatem divinæ naturæ dare ipsis jus morale, ut ita cum ipsis agatur, quemadmodum promerentur. Ex his γ) sequi evidenter, non considerandum esse in hac disputatione quid aliquis habeat, quid perdiderit, quid perferat, nec quæ immmediatæ & visibiles horum omnium existant causæ, sive justæ sive injustæ; sed respiciendam

esse

esse proportionem, quæ intercedit inter statum hominis & ejus merita: sive an aliquid sufferat aut percipiat, quod non inserviat sapienti & justo scopo, quem sibi præfixit gubernatio Dei. Quod si jam in ejusmodi statu sit homo, quem neque promeritus est, & quem in bonum usum vertere non potest, id omne sapientiæ & justitiæ Dei adscribendum esse, qui dispositionem omnium creaturarum supremam possideat. Si vero homo in ea sit conditione constitutus, quam promeritus est, id exprobrari providentiæ divinæ nequaquam
141. posse. δ) Denique dum justitiam Dei ulterius examinat, ait (1) potuisse Deum sine injustitia Jobum opibus & sanitate privare, Josephi permittere venditionem, Christique necem truculentissimam, si spectemus illius restitutionem, istius elevationem, & hujus resurrectionem, aliosque fines excellentissimos. (2) Justitiam tempori accommodandam, alias rectitudinem non fore. Ut impii puniantur, remunerentur pii, esse opus justitiæ, in extremo demum judicio exserendæ, non providentiæ, quæ id sine miraculis raro efficere possit, interea tamen felicissime gubernet malos, protegat pios, & ita refrenet dirigatque illorum actiones, ut mutuo sumant de peccatis vindictam, præbeant justitiæ divinæ exempla, bonos exerceant, atque mundus improbis repletus ejusmodi tamen reddatur locus, in quo vita tolerari possit, necnon, qui justam habent causam, nec in totum ta-
155. men justi sunt, peccatorum suorum sentiant pœnam; qui fuit casus Israelitarum, a Philistæis, Moabitis, Assyriis oppressorum, aliorumque.

Cap. VI. Sanctitatem Providentiæ vindicat, asseverans, (*a*) re-
161. quirere eam, ut mundi Gubernator rationales & libere agentes creaturas regens, præcipiat, quæ sancta sunt, prohibeat omnes impietatis gradus, excitet etiam omni modo ad virtutem & calcar addat, nec non labefactet omnem ad impietatem gressum. Hoc de DEO haud negabit, quicunque sanctitatem præceptorum divinorum respiciet, promissionumque & minarum cumulum; variam denique miseriam cum morte ipsa unice ex peccato enatam. Et quanquam justus aliquando patiatur bonorum suorum jacturam, thori sui violationem, & quæ sunt porro mala; hæc nihil officere sanctæ Providentiæ, sed eam commendare potius, quæ ista ratione nos doceat abhorrere omnino a peccato, inque ejus intentos esse pœnam, quod tanto nos affi-

cit

afficit malo. Nam vix tanta unquam ſeveritate adverteremus in peccatum, niſi nobis ab ipſo adeo metuendum haberemus.

(β) Non requirere ſanctitatem Providentiæ, ut nulla ſit im- 168.
pietas. Nam, quæ conſequentia: Deus ſanctus eſſe nequit, quia homines dantur impii? Si nullum homini permittendum peccatum, nec voluntatis libertas concedenda; quod una cum peccato etiam tolleret ſanctitatem, cum ſublata electione libera omne ſuſtollatur morale bonum & malum. Sine culpa quidem non ſunt, qui peccatum,
cum impedire poſſint, non impediunt; at ſciendum (1) Deum non 172.
poſſe ſemper immediate impedire peccata abſque violatione ordinis, quem naturæ præſcripſit. Per miracula coercebantur peccantes Jeroboam & Uſias I. Reg. XI. II. Chron. XXVI. Si tale quid ſemper præſtaret Deus, vel cito finem arceſſeret orbi, vel omne enervaret commercium converſationemque, vel denique judicaret mundum, non gubernaret. (2) Deum multa prævenire peccata, quæ homines moliuntur, non tamen immediata ſupernaturali poteſtate, ſed humano modo, id eſt, præcipiendo, ut conſilio, admonitione, auxilio nemini ſimus auctores ad peccatum. (3.) Permittere, ut in actum deducatur peccatum, non magis contaminare ſanctitatem, quam permittere, ut mente concipiatur. Nam licet impediatur conſummatus peccati
actus, a reatu tamen non ſolvi peccantem, qui voluit prævaricari, 173.
ſed non potuit. Quapropter permiſſio vel impeditio externa commiſſionis peccati, non tam ſanctitatem, quam juſtitiam & bonitatem providentiæ reſpicit; dicetur enim Deus ſolummodo prohibuiſſe damnum, quod peccatum actuale dediſſet per homicidium, adulterium, furtum &c. (4) Ideoque finem, ob quem Deus permittit peccata, poſſe bonum eſſe, ſcilicet pœnam vel caſtigationem, vel ut ipſum peccatum reddat abominabile, pudori exponat peccatorem, terreat alios, & denique impediat vel detegat impiorum conatus, ut Hamanis conſilium, & conſpirationes in vitas illuſtrium.

(γ) Objectionem a permiſſione peccati nullam eſſe, niſi pro- 175.
batur, Deum eſſe vel cauſam vel auctorem peccati; quod tamen vel cogitare maxima eſſet blaſphemia. Hinc reſpondet Auctor objectio-
nibus, quæ a præſcientia futurorum deſumuntur, diſtinguendo nempe 178.
inter eventum ex neceſſariis cauſis productum, & eventum certum: certa ſunt, quæ fiunt; non tamen omnia neceſſario fiunt. Ad illa Scri-

181. pturæ loca, quæ asserunt, a Deo decretum esse, quod peccatores perfecerunt, e. g. Christi crucifixionem Act. II, 23, respondet, non determinasse Deum, ut Christus traderetur a Juda, crucifigeretur a Judæis; sed voluisse permittere, ut fierent ista, voluisse Christum in ipsorum relin-
183. quere manibus &c. Objectioni ex Pharaonis obduratione petitæ reponit, quod Deus non obduraverit illum, infundendo pertinaciam: sed, sicut innocentissima datur obduratio per indulgentiam, qua parentes obfirmant liberos servosque suos; ita Deum dicentem, *Ego obdurabo cor Pharaonis*, non aliud voluisse indicare, quam, ego ista permittam, unde scio, quod Pharao cor suum sit obduraturus. Deinde obdurationis longiuscule rationem explicans, omnem a Deo peccati cau-
200. sam devolvit, vel sejungit. Ad loca illa, quæ peccaminosas hominum actiones Deo asserunt, ut cum dicitur, a Deo deductum esse Josephum in Ægyptum, Jobum opibus privatum, Davidis uxores Absalomo traditas &c. responsio Auctori facilis est: eventus Deo asseri, qui soleat ex peccatis hominum non minus sapienter, quam sancte & juste educere, quod bonum & æquum est.

214. *Cap. VII.* exhibet *Providentia Bonitatem*, quam oppugnat
216. (α) error de natura Bonitatis Dei. Bona Deus omnia creavit, & beata mansissent omnia, ni homo lapsus esset. Bonitas ergo Dei jam dum per Justitiam circumscripta, non potest creaturæ benefacere, prout vult, sed prout decet: temperat tamen justitiam, ne exserat se erga peccatorem, qui reduci ad fruges potest, exserat vero eam solummodo erga homines, quorum malitia deplorata est; unde & Salvatorem homines impetrarunt, Angeli minime.

226. (β) Error de natura boni malive in statu aliquo disciplinæ. Distinguendum enim inter bonum finis & bonum medii. Bonum est, quodcunque ad beatitudinem, quæ finis est hominis summus, ducit: ideoque paupertas, morbi &c. mala dici nequeunt, quoniam ad hanc nos deducunt.

225. (γ) Error, quo ignoramus, qualis bonitas requiratur ad mundi gubernationem, videlicet, ut Deus non solummodo severe puniat, sed & eo ipso Justitiæ suæ relinquat monumentum, alios a peccatis deterrens, ne sæpe tam rigidus peccatorum vindex esse cogatur. Præterea in maximo etiam rigore, clementiæ pariter & sapientiæ videtur Auctori Deus dedisse indicia, ut in quatuor illarum Monarchiarum

rum

rum & a Romano demum Imperio absorptarum interitu; ubi quidem universus commotus est orbis, ast literæ & eruditio delatæ sunt ad barbaras gentes, quas ad evangelium præpararunt amplectendum. 237.
Si vero quis objiciat innumeras in orbe calamitates, nec debuisse DEUM formare creaturam, quæ potuerit per peccatum fieri calamitatibus obnoxia; respondet (1.) Beatitudinem esse solius creaturæ rationalis, & DEUM haud fuisse bonum, si nullam ejusmodi creasset. 238.
(2.) Explicat illud Prov. XIX. 3. & postquam tradidit genuinum ejus sensum, subjungit homines ut plurimum suæ miseriæ auctores esse, bonitatemque DEI satis elucescere inde, quod (α) non omnia hic largiens bona, ad alteram nos vocat vitam. (β) Quod facit, ut hæc vita mediis in miseriis tolerari tamen queat, non obstantibus maledictionibus a DEO repetitis. (γ) Quod etiam hic aliquis insignis sit piorum character, videlicet non omnigena prosperitas, sed læta conscientia, & ipsa peccata suam sæpe post se trahant pœnam, ut intemperantia, avaritia, prodigalitas. (δ) Quod Bonitas DEI non plus calamitatis permittat in pios, quam sufficit ad virtutis exercitium. (ϵ) Quod magnam exerat patientiam & longanimitatem. (ζ) Quod plus boni vel mali in nos conferat, ut doceamur a bono DEO mundum regi. (η) Quod multa impediat mala a malis certe hominibus, si permitteret, perficienda. (ϑ) Quod abunde nobis provideat de sufficienti remedio & solatio, adeo ut, si modo velimus, non necesse sit afflictionis sentire aculeum. 254. p. 241. 221. 224. 225. 259. 263.

Si denique quis objiciat DEUM προσωπολήπτην esse, nec æqualiter distribuere bona sua, dum diversos constituit hominum ordines, respondet Auctor (a) totum orbem non aliter posse gubernari; servus si non foret, neque dominus esset. (b) Felicitatem non summæ dignitati, opibus, &c. inhærere; sed & absque iis concedi dejectis egenisque hominibus. (c) Multas perituras virtutes, si æqua omnium esset conditio; neminem, nec ipsam Providentiam DEI, quod ageret, habituram. 265.

Cap. IIX. Sapientiam Providentiæ divinæ depingit venustissime, enarrando res magnas in orbe gestas. Ut post lapsum homo maneret immortalis, congruum non fuisse; laboriosam vero vitam ipsum decuisse, docuit Auctor jam pridem in discursibus de *Morte & Judicio*. Hic diluvium examinat, & observare jubet (α) quod DEUS 269. 271.

non homines omnes aquis merserit, sed servaverit unum aliquem, ne post tam brevem providentiæ scenam videretur errasse in creando homine; aut Diabolus gloriaretur, sua seductione illa se alteram rationabilium creaturarum perdidisse speciem; aut deesset, qui ad posteros deferret hunc justitiæ divinæ actum: quandoquidem athei DEUM negantes creasse mundum, quia id nemo vidit, etiam negaturi fuissent, DEUM perdidisse eundem, nisi aliquis ex illa hominum
272. ætate superstes mansisset. (β) Quod DEUS eousque distulerit diluvium, donec remedium aliud ad corrigendos hominum mores non viderit. Totius orbis destructionem rem esse horrendam, & conceptum de DEO facere terribilem, neque excusari potuisse tantam severitatem, nisi incorrigibile hominum genus, ideoque necesse fuisset, alia ratione corruptum reformare mundum. (γ) Ipse destructionis modus docet sapientiam DEI; cum enim miraculosa & super-
273. naturalis fuerit, demonstravit utique DEUS, divinam se hic manifestasse potentiam & providentiam. Frustra igitur sunt, Auctoris judicio, qui conantur ex philosophia succurrere veritati divinæ, & imprudenter tum creationem, tum destructionem terræ caussis naturalibus asserunt. Nam sicut ante creationem nullæ fuerunt, ita nec, quando cum mundo creatæ sunt, in ipsius perniciem operari potuerunt, sed potius, sicuti a DEO legem acceperunt, juxta quam operantur, ita & a solo DEO contra hunc ordinem moveri potuerunt,
276. in destructionem terræ. (δ) Sapientia quoque DEI factum, ut deletis hominibus terra non vastaretur; quem in finem maxime idonea fuit inundatio, telluri minime nocens, postquam aquæ recesserunt, sed
277. potius irrigans eam & novis seminibus impraegnans. Cumque duæ sint tantum destruendi terram viæ, per aquam & ignem, illa, ut præcederet, fuit aptissima, cum purgari debuerit & reformari orbis, non deleri; quod per ignem omnia consumentem, vel in unam aliquam massam liquefacientem fieri commode nequivisset: prout nec orbis per diluvium deleri poterit, nisi id velles perpetuum.

285. Dispersionem gentium in Babel ita exhibet: (α) Nimrod intendens universalem monarchiam, facile etiam pias Semi Japhetique familias a vero DEI cultu abducere potuisset: ideo separantur homines invicem, ne corrumpant viam suam, prout factum ante diluvium, filiis DEI ad filios hominum, i.e. Sethi posteris ad Caini progeni-
em

em transeuntibus. (β) Sed quoniam separatio quoad locum non sufficiebat, etiam quoad linguas divisi sunt. (γ) Quo plures introductæ linguæ, eo securius vixerunt homines a corruptione generali. (δ) In exiguas divisi respublicas non uni paruerunt Tyranno, cujus potentia quidem ingens, at provida in omnes cura fuisset exilis. (ϵ) Cum Deus promisit, nolle se amplius delere orbem, in sua tamen retinuit manu gladium, nonnunquam hominum peccata mutuis bellis plectens, non immediata semper, ut in diluvio, & a se immissa clade. 286. 287.

Sunt alia adhuc prudentissime hoc in libro observata, videlicet, quomodo Abrahamum vocarit Deus, Judæos ex gentibus elegerit, & ut eos contra idololatriam muniret, legem, promissiones, typos de Messia tradiderit, severeque eos gentibus aliis impune dimissis puniverit, Christum denique, postquam omnem tentaverat reformandi orbis methodum, & per Judæorum dispersionem singulas fere ad eum recipiendum præparasset gentes, sero quidem, sed maxime oportune in mundum miserit: quomodo miracula ediderit, non ut everteret naturæ ordinem, vel aliter suum assequi scopum nequiret, sed ut signa essent, quibus existentiam suam & providentiam demonstraret hominibus, tum ad polytheismum potius quam atheismum propensis. 289. 327. 316. 326. 302.

Restat quoque integrum *caput IX.* nostra erga providentiam divinam explicans *officia*; sed, quoniam jam excessimus limites instituti nostri, subjungimus tantum porisma unum vel alterum. Ex illo, quod Providentia Dei nos conservat, concludit Auctor, ingratos nos fore, si non consideremus a Deo nos creatos esse, atque ab eo exeamus, tanquam filius a Patre, cliens a Patrono; stultos autem fore, si non consideremus nos ab ipso sustentari. Et quanquam non possimus sic irritare eum, ut in nihilum nos redigat, Justitia tamen ejus æternis nos traditum iri flammis. De sanctitate Providentiæ Dei disserens docet, non licere nobis male facere, ut aliquod inde eliciamus bonum. Deum non egere peccatis hominum, ut suum assequatur finem; licet enim ex peccatis educat bonum, nunquam tamen eum approbare malum. Illum virtutis amantem revera non esse, quicunque aliquod eligit peccatum, quod in bonum quodammodo tendat. Prophetias ideo tradi obscuras, ne ad peccatum provocetur, qui Providentiæ vult inservire ac implere prophetiam. His itaque acquiescimus, addito tantummodo voto, ut quispiam ex Anglico in 211.

Latinum vel Germanicum sermonem transferat librum eruditissimum, quem integrum ab unoquoque legi, non consultum modo, sed & necessarium arbitramur. Certe in compendio, quale pro instituti nostri ratione exhibuimus, neque clare satis ac perspicue exprimi profundæ Auctoris Reverendissimi meditationes potuerunt, neque argumentorum, quibus usus est, pondera ex dignitate expendi. Invenient vero, qui in Atheismum proclives sunt, suæ contra Deum disputationis obicem, rectiusque de providentia divina sentire discent, ubi librum ipsum justo studio excusserint.

Historischer gründlicher Bericht von dem uralten und vormals in Böhmen gewesenen mächtigen Hauß HOVORA &c.

sive:

HISTORIA HOVOREA. PARS PRIMA ET SECUNDA. Auctore PETRO BECKLERO.

Curiæ, apud Jo. Nicolaum Martium, A. 1694. in fol.

Constat alphabetis sex.

MEminimus, in Actis nostris, & Tomo quidem primo Supplementorum, Sect. IIX. p. 419, cum de Viri doctissimi, Petri Beckleri, Professoris quondam Juris publici & Historiarum Mons-Belligardini, hodieque Ephori Rutheno-Plaviensis, Stemmate Ruthenico verba faceremus, nos olim annotasse, quod is prelo tunc paratam jam habuerit posterorum Hovoræ Historiam. Ista ergo ubi lucem nunc aspexit, merito sibi locum heic postulat; atque inde breviter B. L. monemus, quod Auctor in eadem origines Domus Hovoreæ, inter gentes Bohemicas olim florentissimæ celebratissimæque, derivet ab Hovora I. natales suos Slavis procul dubio debente, & circa A. C. 1003 tempore Jaromiri, Boleslai III, Ducis Bohemiæ, filii, magnas utique dignationes adepto. Egit ille antea venatorem Jaromiri, donatusque primum Præfectura venatorum, cum Hero fidem suam egregie probasset, & eum aliquando in præsentissimo vitæ periculo constitutum ope solerti sublevasset, autoritate Henrici II. Imp. ad eum dignitatis gradum evectus est, ut Dominus Bohemiæ primus seu proximus a Duce nuncuparetur. Cum autem postea contingeret, ut descendens ab eo Gicha Howorez, Sobieslai Ducis intimus Consiliarius, (quem circa

A. C.

A.C. 1140. Auctor obiisse censet,) familiam suam in tres lineas divisisset, propemodum Hovoræ nomen intercidit, assumtis pro eo tribus hisce aliis, ut una linea Dominorum de Lippa (von der Leippen) altera de Ronova, (von Ronou) tertia de Lichtenburgo, (von Lichtenburg/) appellaretur. Singulas proin curatius prosequi instituit Becklerus, ac lineæ Lippensis ortum a Zdislao, Ronovensis a Jaroslao, Lichtenburgensis a Smilone, tribus Gichæ illius Hovoreczii seu Hovoræ filiis, deducit, familiasque has non parum postea dilatatas una cum suis affinibus sigillatim delineat. Ac ut unicuivis ordinem successionis noscere eo dilucidius daretur, post unamquamque subjunctum est schema genealogicum, non principalis modo, sed agnatarum quoque familiarum seriem ob oculos proponens. Hactenus vero circa Lippensem modo & Ronovensem Domum industriam hanc Noster exercuit, proximeque adeo Lichtenburgensis expectanda est, cui tamen quarto loco ..ens, quæ dicitur, Berckana adjungetur. Bercka enim seu Bercowiz ex eadem cum Hovora domo oriundus, A. 1004. alter Bohemiæ Dynasta fuit constitutus, eademque cum isto insignia obtinuit. Cæterum ut munia a singulis lineæ utriusque Proceribus administrata, (quæ certe amplissima semper fuisse, ac æternum his nominibus decus conciliasse patet,) resque ab iis præclarissime gestas in opere hoc late ubivis recenset: ita imprimis celebrat supremi Mareschalli in regno Bohemiæ officium, quod Johannes, Rex Bohemiæ, A. 1336. Henrico, Domino de Lippa, ejusque posteris hæreditario jure tradiderit, quodque, Lippæis plane extinctis, justo titulo ad familiam Ronovensem (quacum Bibersteinensis, hic itidem fusius descripta, coaluit,) pervenisse, e documentis antiquis probare nititur. Tametsi vero deinceps in personas passim alias collatus ille honor fuerit, nunquam tamen aut olim aut hodie familiam hanc Dominorum de Ronova suo juri renunciasse ait, sed Illustrissimum Comitem ac Dominum, Dominum JOANNEM ALBERTUM, Comitem a Ronova & Bieberstein, Serenissimi Principis Barutho-Brandenburgensis Consiliarium intimum, supremum aulæ Mareschallum, & Capitaneum ordinis equestris Curiensis, ab invictissimo Imperatore jus istud sibi suisque competens defensum, ac plena ejus exercitia tandem aliquando restitutum iri, haud præter rem confidere ostendit, simulque allegat opinionem Bohuslai Balbini, qui famili-

am

am Ronovensem hodie extinctam antea crediderit, sed ea tamen postmodum mutata, aliquot epistolis ad laudatum modo Comitem perscriptis (quarum apographa heic Noster exhibet,) historiam hujus Gentis petitiquo jam memorari justitiam subinde illustrarit.

Atque his capitibus tota operis hujusce summa explicata videri poterat. Et partem sane ea potissimam constituunt. At multa tamen insuper alia ad res imprimis Bohemiæ spectantia (qua de causa liber hic sub alio etiam titulo divendi, ac Chronicon Bohemiæ inscribi cœpit) late nonnunquam insperguntur, ut puta: quando primi Bohemorum Ducis Czechi, primique Regis Wratislai A. 1086. in Comitiis Moguntinensibus jussu Imperatoris Henrici IV. solenniter proclamati historiam recenset; quando Regibus Bohemiæ Electoratum seu jus electionis Imperatoriæ competere ostendit; quando de tributo per Bohemos a Polonis exacto, de Superiori Palatinatu toto fere Bohemiæ incorporato, de insignibus regni Bohemiæ, de judiciis in eo erectis, de ceremoniis in coronatione Regum observari solitis, deque aliis ejusmodi operose atque erudite differit. De vi & usurpatione vocis Comitum, deque titulis exin compositis, & æqualem aut superiorem quoque dignitatem innuentibus plurima commentatur. Ut taceamus nunc sat amplas aliquot Imperatorum, Regum, Principum, Ducumque qui ista tempora, per quæ familias suas deducit Noster, vivendo attigerunt, historias, & πάρεργα istius generis reliqua, quibus pro re nata subinde prolixius immorari studuit.

Istud insuper Lectorem minime latere volumus, quod Auctor posthac usui publico familiarum illustrium Imperii Romano-Germanici, superstitum pariter ac emortuarum, notitiam, inde a seculo octavo narratione inchoanda, daturum se polliceatur, justumque etiam tractatum meditetur de Voitlandia nov-antiqua; quibus adeo in operibus perficiendis ut prospero per omnia successu gaudeat, merito optamus.

Prodibit proxime Sectio VII. Tomi II. Supplementorum. Caterum in Sectione IV. Tomi illius secundi Supplementorum pag. 161. lin. 22. & 23 mendum, quod irrepsit, tolli cupimus, & pro Roterodami in Hollandia *legi* Medioburgi in Zelandia.

* * *

ACTA ERUDITORUM

publicata Lipsiæ

Calendis Junii, Anno M DC XCV.

MEMOIRES POUR SERVIR A L' HISTOIRE ECCLESIASTIque des six premiers siecles &c.

id est:

Commentarii conscribendæ Historiæ Ecclesiasticæ sex priorum seculorum inservituri &c.

Tomi primi pars prima, secunda & tertia.

Bruxellis apud E. H. Friex, 1694. 12. Alph 2½.

Autor horum commentariorum est Vir doctissimus Tillemontius, cujus Historiam Imperatorum Romanorum, aliorumque Principum, qui summam rerum tenuere prioribus sex Ecclesiæ Christianæ seculis, A. 1693. mense Aprili *p. 188.* exhibere cœpimus. Institutum ejus consiliumque frons libri indicat. Non ergo est, ut tam Historiam Ecclesiasticam, juxta leges Historiæ conscriptam ab eo expectemus, quam commentarios solum, materiam illis subministraturos, qui in hoc campo ingenii periclitari vires, Historiamque Ecclesiasticam suis numeris absolutam condere voluerint. Nec tamen omnes Historiæ Ecclesiasticæ partes hac ratione sibi pertractandas sumpsit, sed eam solum, quæ virorum & pietate & doctrina & meritis in Ecclesiam illustrium facinora resque gestas pandit, sistere secum constituit. Hæreses vero & concilia, doctrinæque habitum, sæpius aliud quasi agendo, & tum demum, si viri cujusdam sancti vita ansam de ejusmodi rebus differendi illi suppeditaverit, attingit.

Primi Tomi pars *prima* Historiam Servatoris nostri JESU CHRISTI, B. Mariæ Virginis, &, cui desponsata fuit, Josephi, nec non alterius Josephi, cui patria Arimathia nomen dedit, & denique Johannis

Baptistæ sistit. Hinc Notas subjicit, quibus selectiores Ecclesiasticæ Historiæ controversiæ explicantur, quas paucis indicare, simulque ea, quæ memoratu maxime digna nobis visa sunt, inde excerpere, ab instituto nostro non erit alienum.

Nota in vitam Christi. Asserit itaque diem, quo Servator conceptus est in utero B. Virginis Mariæ, ignorari: Cyrenium, non alium, quam P. Sulpitium Quirinium esse: Christum Servatorem, non tam Bethlehemi, quam prope eam, natum esse: natum esse Christum die 25. Dec. A. ab U.C. 749. De bove & asino, præsepi Domini adstantibus, quæ tradit Baronius, rejicit. Fabulas, quæ de Simeone & Hanna circumferuntur, explodit. Festum Purificationis Mariæ jam ante Christiani Imperatoris tempora, solenni ritu fuisse celebratum, a vero non videri abhorrere, censet. Docet porro, beatam Virginem post purificationem Bethlehemum reversam fuisse: Magos post purificationem Mariæ demum ad Christum venisse: eosdem ex Persia venisse; stella vero Hierosolymam ductos non fuisse: de numero, nominibus, regiaque Magorum dignitate quæ passim traduntur, falsa esse atque incerta; perinde ac Græcorum de numero infantum ab Herode occisorum tradita. Tetrarchiam Abilenes, Luc. III. 1. memoratam, explicat. Caipham atque Annam vocari Pontifices, non quod plures uno in gente Judaica simul Pontifices fuerint, sed quod, qui hac dignitate functi erant, nomen retinuerint, edisserit; ubi Baronium æque ac Casaubonum refellit, illum, quod dicit, Annam fuisse Principem 24. Classium Sacerdotalium, hunc, quod pro Vicario perpetuo Summi Sacerdotis eum venditavit. Christum die sexto Januarii baptizatum fuisse ostendit: ast nuptias Cananæas forte circa finem Februarii fuisse celebratas. Fueritne Cibyra Cariæ, an Phrygiæ urbs, disputat. Apostolos ab ipso Christo baptizatos fuisse, Ambrosio, aliisque assentitur. Fabulas de muliere Samaritana procul facessere jubet. Temporum rationes, quoad annos, quibus publico Doctoris munere functus est Servator, observat. Urbem Capernaum in tractu Gennasareth sitam fuisse tradit. Laudes Apostolorum ex Chrysologo sistit. Septuaginta & duos discipulos a Christo fuisse electos, utut numero rotundo vulgo dicatur, eum habuisse septuaginta, cum Cotelerio observat. Zachæum a Petro Episcopum Cæsareensem fuisse constitutum, probari posse negat. De tempore mortis Christi ultimoque Paschate

ſchate prolixe diſſerit. Comprobat porro, apud Johannem Evangeliſtam agnum paſchalem ultimum Chriſtum non comediſſe: verſiculos *43. & 44. cap. XXII.* Lucæ, in quibusdam codicibus non legi, allegari tamen ſubinde a Patribus tum Græcis tum Latinis: Judam, poſtquam ſe ſuſpendit, ruptum fuiſſe. De uxore Pilati, cui Proculæ nomen fuiſſe tradunt, quorundam commenta rejicit. Marcum atque Johannem, Evangeliſtas, quoad horam, qua crucifixus eſt Servator, ut videtur, inter ſe diſſentientes conciliat. Quæ de Simone Cyrenæo, ejusque filio Rufo, nec non de Veronica traduntur, incerta dubiaque eſſe profitetur. Latronem jam ex ligno pendentem demum converſum fuiſſe, forte & miraculis, quæ Chriſti paſſionem comitabantur, commotum reſipuiſſe, multis ex ipſis Patribus perſuaſum fuiſſe; aſt non deeſſe rationes dubitandi tradit. Solis defectionem, quæ patiente & moriente Chriſto contigit, profanis quoque Scriptoribus obſervatam fuiſſe, Phlegontis præcipue, aliorumque teſtimoniis comprobat. De illis, qui una cum Chriſto reſurrexerunt, quædam tradit, & num denuo fuerint mortui, diſquirit. Plutarchum de morte Panis non retuliſſe falſa, contra Antonium Dale contendit. Quæ de Longino centurione Græci referunt, a vero non adeo abhorrere putat. Fieri enim potuiſſe, ut miraculis perculſus, ſemina fidei conceperit, quæ Apoſtolorum ope deinceps deducta fuerint ad maturitatem. Latinos autem cum hoc Longino militem lateris Chriſti perfoſſorem perperam confundere aſſerit. Utrumque latus Chriſti perfoſſum fuiſſe, contra Prudentium negat. Ubi & illud rejicit, quod in tragœdia cui titulus, *Chriſtus patiens*, de milite ſanguine Chriſti ſe lavante dicitur. Divum Lucam de loco, in quo Chriſtus adſcendit in cœlum, verba facientem, ſecum non pugnare evincit. Non enim tam urbis Bethaniæ, quam montis oliveti ab Hieroſolyma diſtantiam deſignare voluiſſe. De myſteriis, quæ Chriſtum in cœlum aſcenſurum cum diſcipulis ſuis communicaſſe, in antro montis oliveti, Euſebius refert, diſſerit. Ubi hoc de S. Euchariſtia intelligendum eſſe, non quidem aſſerit, Valeſio tamen, de inſtructione iſta Matth. XXIV. memorata capienti, non ſuffragatur, cum ſublimius quid verba Euſebii innuant. Die Jovis, non Saturni, ut Chryſoſtomus putat, Chriſtum in cœlos adſcendiſſe exiſtimat.

Mariam Virginem, ex tribu Juda, fruſtra reclamante Fauſto, ho-

Notæ in vitam Mariæ. mine Manichæo, oriundum fuisse, demonstrat. In fundamenta sententiæ receptæ, quæ patrem Mariæ Joachimum, matrem autem Annam fuisse tradit, inquirit: cætera autem, quæ de parentibus B. Virginis familiaque Baronius affert, æque incerta esse ac ea, quæ rejicit, probat. In originem festorum conceptioni & nativitati B. Virginis sacrorum inquirit. Educationem Mariæ virginis expendit, & cumprimis observat, fieri quidem potuisse, ut ætatem in templo transegerit, cum apud Judæos hoc non fuerit infrequens; documenta tamen, quibus hoc factum fuisse probatur, non mereri fidem, ut nec illa, quæ cibum ab Angelo Mariæ subministratum fuisse referunt. Commenta quorundam de matrimonio Mariæ explodit. Fuisse eam Josephi sponsam, cum Angelus illi nuntium, quod editura in lucem filium DEI esset, afferret, probat. Constitueritne secum Maria vitam cœlibem vivere, ita ut eam pluris, quam Angeli promissionem faceret, dispicit. Quare verbis, ut videtur, durioribus matrem in nuptiis Cananæis exceperit Servator, disputat. Cognatos Christi eum, dum docebat, adiisse, non ut significarent suam, qua erga Servatorem pollebant, autoritatem, quemadmodum Chrysostomus censet, sed aliis de causis, docet. Dubitasse Mariam, patiente Christo, sitne quem cruci affixum videbat, DEI Filius, falso asseri censet. Post resurrectionem Christi apud Johannem, idque ex more gentis Judaicæ, matrem Domini commoratam fuisse pronuntiat. Atque huc trahit 1. Cor. IX. 5. 6. Ephesi mortuam esse sanctam Virginem a vero non abhorrere: cætera, quæ de morte ejus narrantur, falsa esse, scripta autem, unde hæc depromuntur, ut illud, *De morte Mariæ Virginis*, supposititia: sed nec istud, Mariam Virginem, tertio aut quarto, ex quo obiit, die resurrexisse, documentis fide dignis probari posse: mortuam vero esse B. Virginem, ambigi non debere: nec sequi, quod doctissimus vir Thomasinus, in libro de Festis autumet, de resurrectione Mariæ qui dubitent, illis etiam de morte ejus dubitandum esse, ostendit. De Festo Assumptionis Mariæ, ejusque origine, præcipit.

Notæ in vitam Josephi. De duplici Josephi Genealogia, & quo pacto, quæ Matthæus & Lucas hic tradunt, conciliari possint, disquirit. Laudat autem præcipue sententiam Julii Africani, plerisque ex Patribus etiam, quin ipsi Augustino probatam. Fuisse Josephum fabrum lignarium vel potius carpentarium, a vero non abhorrere putat. Eum vitam cœlibem, præter-

præterquam quod ei Maria fuerit desponsata, egisse non quidem negat, documenta tamen fide digna, quibus hoc probetur, præsto non esse judicat. Cætera, quæ de Josepho referuntur, incerta esse. Quid impulerit Josephum, ut deserere Mariam secum statueret, quærit. Subjicit tandem quædam de Josepho Arimatheensi, cuncta, quæ de eo narrantur, ex scriptis suppositititiis deprompta esse, demonstrans.

Nota in vitam Joh. Bapt.

Zachariam, patrem Johannis Baptistæ, non fuisse summum Sacerdotem, contra Augustinum probat; domicilium autem Zachariæ fuisse Hebrone. Johannem in utero materno & agnovisse Christum, & Spiritu S. fuisse repletum, itidem contra Augustinum evincit. De vigilia S. Johannis quædam tradit, inter alia observans, jam antiquissimis temporibus festum D. Johannis multis superstitionibus fuisse profanatum. Quando & quomodo Johanni Christus Servator innotuerit, explicat. Disquirit, num Johannes a Christo fuerit baptizatus? Item sintne verba hæc: *Et de plenitudine ejus &c.* Johanni Baptistæ, an vero Evangelistæ vendicanda? Baptistæ enim vendicari ab Augustino, sed perperam. Quærit, quando in carcerem conjectus fuerit Johannes? ubi prolixe & erudite refellit auctorem *Concordiæ Evangelicæ*, asserentem, Johannem duabus vicibus carceri fuisse mancipatum, initio quidem Hierosolymis jussu Synedrii, deinde & ab Herode, & hac ratione historiæ Evangelicæ conditores quam optime posse inter se conciliari. Ast aliam rationem consensum Scriptorum sacrorum demonstrandi affert Tillemontius; addens, multa fingi ab hoc auctore, quæ cum gravitate & sanctitate Johannis e diametro pugnent. Filiam, nec non primum Herodiadis maritum considerat. Et filiam quidem communi fere consensu Salomen vocari observat. Maritum vero a Josepho Herodem, a divo Marco Philippum vocari. Paulinum, ut Poetam locutum fuisse, cum Johannem nullo unquam contaminatum fuisse peccato asseruit, autumat. Fabulas de morte Johannis refellit. Johannem mortuis annuntiasse Christum Redemptorem, perperam credidisse nonnullos Patres monet; nec illud satis evictum esse, quod Sebastiæ capitali supplicio fuerit affectus Johannes. De solenni dedicatione templi divo Johanni Alexandriæ sacri, agit. De capite Johannis proditum memoriæ est, illud jussu Herodiadis tandem Hierosolymis in palatio Herodis sepultum, ast tempore Constantini Magni a monachis quibusdam effossum, mirifico fato Emesum, inde

ad alias urbes translatum fuisse: id quod prolixe Cangius in libro de capite Johannis, & ex eo Tillemontius noster refert. Idem tamen addit, multa in hac narratione dubia esse & incerta, quædam & aperte falsa. Et initio quidem caput Johannis non Constantinopolin, sed Emesum delatum esse convincit. Simulque auctoritatem Scriptoris istius, qui *Sermonem de translatione capitis Johannis* circa finem seculi IX. composuit, quem Leo Allatius Simeonem Metaphrasten fuisse perhibet, sub examen revocat. Quo anno, item quo die caput Johannis Emesum translatum fuerit, disquirit. Additiones ejusdem auctoris examini submittit, quorundam errores Chronologicos redarguens. An, & quo tempore Comanam, & inde Constantinopolin caput Johannis delatum sit, item de capite Johannis, quod apud Ambianenses conspicitur, nec non de cæteris Ecclesiis, quæ caput Johannis apud se esse gloriantur, agit. Tandem & de cæteris Johannis reliquiis disserit.

Notæ I. in vitam Petri. Pars secunda Tomi primi vitam Petri & Pauli exhibet. Fueritne Petrus, an Andreas primogenitus, disquirit. De tempore, quo vocati sunt Petrus & Andreas disserit. Tributum quod Christus solvit, usibus templi fuisse destinatum, Hilarium secutus probat. Divum Marcum Christum dixisse referentem, Petrum prius se abnegaturum, quam gallus bis cantaret, cæteris Historiæ Evangelicæ conditoribus conciliat. Apostolos, post Christi ascensionem, priusquam Spiritus Sanctus super illos effunderetur, in templo preces ad DEUM fudisse, nec obstare locum *Actor. I, 13.* docet. De sorte, qua electus fuit Matthias disserit, & *de Josepho Barsaba.* Dubia quædam de die, quo effusus est super Apostolos Spiritus S. solvit. Præcipue istud expendit, quod communi consensu creditur, hoc contigisse die Solis; cum tamen festum Pentecostes, Judæorum videlicet, in diem Saturni incidisse videatur. Apostolos omnium linguarum notitia divinitus imbutos fuisse, a vero non abhorrere putat. Quodnam primum divi Petri fuerit miraculum dispicit. De porta templi, quæ pulchra dicta est, agit, & de Johanne, qui *Actor. IV. 6.* memoratur. Stephanum atque Philippum & fuisse Diaconos, simulque Ecclesiæ bona dispensasse & Sacramenta administrasse, contra Chrysostomum probat. Septem primos Diaconos non fuisse ex duobus & septuaginta Christi discipulis electos, contra Epiphanium demonstrat. Conjecturam Baronii de Judæis per Galatiam, aliasque Orientis provincias dispersis confutat.

Quando

Quando Pilatus ad Tiberium scripserit, inquirit. Hinc & locum quendam Justini Martyris emendat. Falsum esse ait, quod ab Hieronymo & Orosio dicitur, tempore Tiberii Christianos decreto Senatus urbe Roma fuisse ejectos. Acta Passionis Dominicæ supposititia procul facessere jubet. Quo anno baptizatus sit Cornelius, disputat. Situm urbis Saronæ monstrat. Jejunasse Cornelium, in omnibus fere Græcis, non autem Latinis memorari codicibus monet. Cornelium primum esse, qui ex Gentilibus & conversus & sacro baptismo initiatus fuerit, docet. Eundem ab Usuardo aliisque perperam pro Episcopo Cæsareensi venditari. De Petri Episcopatu Antiocheno ita disserit, ut fateatur, multa hic se offerre dubia, quæ non facile dilui possint. Petrum & in Asia Evangelium prædicasse, a vero non abhorrere putat; quæ vero de abstinentia ejus a certis ciborum generibus traduntur, fundamento carere. De cathedra Petri quædam commemorat; de anno item, quo in carcerem conjectus est Petrus. Quæ de itineribus Petri, tum alii, tum & ipse Baronius referunt, fabulis accenset. Epistolam Petri priorem lingua Græca, non Hebræa, ut Baronius censet, ab ipso Petro conscriptam fuisse, nec Babylone sed Romæ, observat, idque contra Pearsonium probat, Grotium simul laudans, asserentem, Petrum Romæ fuisse, a nemine posse dubitari. Quando Judæi per Claudium Imperatorem Roma sint ejecti, dispicit. Petrum post concilium Hierosolymitanum a Paulo reprehensum fuisse, evincit, simulque illos, qui per Cepham, ut in plerisque codicibus manuscriptis legitur, non Apostolum, sed alium quendam intelligunt, arguit. Concilium Antiochenum a Baronio, Turriano, & aliis fictum rejicit. Romanam Ecclesiam recte quidem Africanæ vocari matrem, ast Petrum Africanos Christianorum sacris imbuisse, non perinde certum esse demonstrat. Corinthios doctrina Christiana primum a Paulo instructos fuisse, negat. Divinam posterioris Epistolæ Petrinæ auctoritatem stabilit. De ultimo Petri in Urbem adventu disquirit. Num illi Roma discedenti, & quando, apparuerit Christus, quærit; item fueritne Petrus A. post C. N. 66. capitali affectus supplicio? Acta S. Processi & S. Martiniani spuria esse, contendit. Eodem anno, eodemque die, videlicet XXIX. Junii, sed & eodem loco Petrum pariter ac Paulum, pro cœlestis doctrinæ confirmatione, beatum spiritum Deo reddidisse probat. Catenas, quibus ab Agrippa vinctus fuit Petrus, Romæ aut

Con-

Constantinopoli repositas asservari, perperam nonnullos sibi persuasisse. Fueritne a Petro & Paulo constitutum, ut festum Paschatos die Dominica celebraretur, quærit. Falsum esse putat, Petrum tonsuræ clericalis esse auctorem. Certamen Petri & Simonis Magi rejicit, Marcellum figmenti hujus auctorem impostoribus accenset, & de Hegesippo disputat.

Nota in vitam Pauli. De ætate Pauli sollicitus est, eaque occasione cum Savilio scriptis supposititiis accenset orationem de Petro & Paulo, quæ perperam Chrysostomo tribuitur. Quinam sint cognati Pauli Rom. XVI. 7. memorati, dispicit; item quando & quam ob causam Apostolus nomine Pauli voluerit insigniri. Tarsi natum esse D. Paulum probat. Quo anno fuerit conversus quærit, & quo pacto in sui conversione viderit Christum. Commenta de martyrio Ananiæ, ejusque capite Roma Pragam translato explodit. Acceperitne D. Paulus Spiritum S. per baptismum, an alia ratione præter communem ordinem, ut Cornelius; item, habueritne statim ab initio donum miracula patrandi, dispicit. Paulum nunquam iniisse matrimonium, plerisque Patrum persuasum fuisse ostendit. Eundem, priusquam post conversionem Hierosolymam rediret, maximam partem Damasci degisse, probat. Cum Hellenistis, non autem Gentilibus, ut versio vulgata innuit, ei intercessisse disceptationem docet. Quo anno Antiochiam venerit, inquirit. Apostolos ipsos impositis manibus consecrasse Paulum, contra Leonem, negat. Cypro insulæ præfuisse Pro-Consules, ostendit. Quæ Baronius de libro, quem Bar-Jesu contra Paulum scripsisse dicitur, refert, confutat. Ex *Actor. XIII. 42.* ejiciendam esse vocem ἔθνη, cum nec in pluribus codicibus Græcis, nec in versione Latina, nec in Syriaca reperiatur; falli quoque, qui per eam Proselytos designari autumant, docet. Quo anno Concilium Hierosolymitanum fuerit celebratum, definit. Num & Illyriis Paulus doctrinam cœlestem annunciaverit, quærit. De decreto Concilii Hierosolymitani, quo sanguinis & suffocati esus prohibeatur, disserit. Titum non fuisse circumcisum probat. Phrygiam, Mysiamque a Paulo cœlestem accepisse doctrinam, a vero non abhorrere docet. De certo tormentorum instrumento, quod lignum interdum, quandoque nervum Latini vocabant, quædam affert. Quid per τὸ ἱκανὸν *Act. XVII. 9.* intelligatur, edisserit. De Jasone & Mnasone, fabulas veterum discutit. De

ara

ara Atheniensium, Deo incognito sacra, agit. Provocaveritne Paulus ad libros Sibyllinos, id quod innuere videtur Clemens Alexandrinus, quærit: item quando Paulus Corinthum venerit, indeque rursus fuerit digressus. Pro *Achaia Rom. XVI. 5.* legendum esse *Asia*, evincit. Cajum Derbensem alium esse quam Macedonem illum, docet. Priorem ad Thessalonicenses Epistolam nec Athenis scriptam, nec per Timotheum ad Thessalonicenses missam fuisse, commonstrat. Posteriorem vero, rerum summam tenente Claudio, & quidem Corinthi scriptam fuisse. De Justo illo, qui Corinthi conversus est, agit. Nimirum Justum hunc & Titum vocatum fuisse observat, qui tamen cum altero Tito, ad quem Apostoli extat Epistola, non sit confundendus, quod quidem multis solenne est. Judæos, non Græcos, ut nonnulli censent, Sosthenem, Principem Synagogæ, quæ Corinthi fuit, verberibus excepisse, probat. Paulum Corinthi coram tribunali Gallionis verberatum fuisse, quod Baronius censet, negat. Paulum, non Aquilam, ut Chrysostomus putat, & versio vulgata innuit, Cenchreis tonsum fuisse, docet. Eundem, cum Ephelo discederet, Palæstinam, non Cappadociam petiisse, ostendit. Paulum, non Johannem, Ecclesiæ Ephesinæ jecisse fundamenta, contra Theodoretum aliosq; evincit. Etiam umbram Pauli ægrotis restituisse valetudinem, quibusdam persuasum fuisse monet. Fuerintne πεπιστευκότες *Actor. XIX. 18.* de quibus dicitur, quod crimina sua fassi fuerint, Christiani, an vero Gentiles, disputat. Paulum cum bestiis dimicantem, vel potius bestiis objectum sistit. Neque enim Baronio ἀλληγορικῶς vocem θηριομαχεῖν interpretanti suffragatur. Quando Paulus altera vice Corinthum venerit, explicat. Ephesi, non Romæ, Epistolam ad Galatas scriptam esse probat. De dissensionibus Corinthiorum a Paulo reprehensis quædam tradit. Priorem ad Corinthios Epistolam Ephesi scriptam esse, verosimile arbitratur. De Sosthene quædam observat. Paulum duos annos mensesque tres Ephesi fuisse commoratum, cum Pearsonio contendit neque Usserium dissentire ait, sed saltem eum addere, quod novem insuper menses in aliis Asiæ urbibus vixerit. De illis, qui ab Apostolo cum Tito ad Corinthios missi sunt, verba faciens, non adeo abnuit, alterum aut Silam, aut Lucam, alterum vero hominem ipsis forte Corinthiis ignotum fuisse. Sopatrem *Actor. XX. 34.* commemoratum eundem esse cum Sosipatre probat. Adieritne Paulus Trogyllium, disquirit. Quo die Hierosolymis captus

 sit

ſit Apoſtolus, nec non, quid per ſeptimum diem innuat Lucas *Actor. XXI. 27.* quærit. Paulum, utut Romanum civem, nihilo ſecius vinculis catenisque oneratum Romam delatum fuiſſe autumat. De Pontificatu Ananiæ agens, dubia quædam circa temporum rationes ſolvit. Fieri potuiſſe, ut Ananias Pontifex Paulo ignotus eſſet, adeoque verba Pauli, quibus profitebatur, ſe neſciviſſe, hunc eſſe Pontificem, neutiquam *κατ' ἀντίφρασιν* capienda eſſe, docet. Altero, poſtquam Hieroſolymis abductus eſt, die, Paulum veniſſe Cæſaream cenſet. Felicem vero a Paulo juſtitiæ laude ornatum fuiſſe, negat. In quamplurimis enim codicibus vocem *δίκαιον* non reperiri. Duos annos Paulum Cæſareæ captivum degiſſe. Eundem Adramytto, quæ erat Myſiæ civitas, non Adrumeto, quæ erat Africæ urbs, navi Romam petiiſſe, edisſerit. Fabulas, quæ de S. Ariſtarcho circumferuntur, explodit. Myra, non Lyſtram, ut verſio vulgata habet, Lyciæ urbem *Actor. XXVII. 5.* innui, autumat. Quando naufragium paſſus fuerit Paulus, exponit. Urbem Aſſon perperam a Vulgato fingi, & in Candia poni ait. Errorem Sulpitii Severi, aſſerentis, Paulum aquis ſubmerſum tres dies noctesque in fundo maris vixiſſe, refellit. Ad littus Malthæ inſulæ navem, quæ vehebat Paulum, ejectam fuiſſe, evincit. Publium Malthenſem, cum Publio Athenienſi non eſſe confundendum monet. Græcorum aliorumque de S. Epaphrodito, nec non S. Philemone commenta rejicit. Epiſtolam Pauli ad Philemonem A. 61, ad Coloſſenſes A. 62. ſcriptam eſſe contendit. Paulum Coloſſenſes nunquam vidiſſe, contra Theodoretum probat. Epiſtolam Pauli ad Laodicenſes, quæ hodie circumfertur, ſuppoſititiam eſſe, docet. S. Oneſimum, qui Philemoni quondam a ſervitiis fuit, Beroenſem quidem, non autem Epheſinum Epiſcopum fuiſſe, hiſtoriarum documentis comprobat; quæ vero de martyrio ejus traduntur, eſſe incerta. Epiſtolam ad Hebræos a plurimis antiquiſſimisque tum Græcæ, tum Latinæ Eccleſiæ Doctoribus, inter libros canonicos relatam, evincit. Paulum Hiſpaniam Galliamque peragraſſe, doctrinamque Evangelii per hæc regna ſparſiſſe, documentis fide dignis probari negat, ſecus ac Baronius exiſtimat. Eundem, poſtquam duos annos Romæ ſubſtitit, ad Eccleſias orientales rediiſſe, contra Baronium aſſerit; Epheſum quoque poſt rediiſſe, quam Epiſtolam ad Timotheum ſcripſerat. Græcorum de S. Carpo commenta explodit. Apoſtolum tum demum coram Nerone prima vice cauſam ſuam peroraſſe, cum Romam rediiſſet,

diisset, demonstrat. Epistolam ad Ephesios non tam illam, quæ est ad Colossenses, quam secundam ad Timotheum, & temporis ordine atque ratione excipere, evincit. Epistolam ad Ephesios non ad solos Ephesios, sed ad omnes Asiæ Ecclesias scriptam esse, Usserium secutus contendit. Varia de morte Pauli commenta, lac videlicet ex capite loco sanguinis profluxisse, saltasse caput, & cætera ab ipso Baronio defensa, confutat. De S. Crescente Pauli discipulo erudite & prolixe disserit. Nimirum eum Gallos adiisse, certis & fide dignis documentis probari posse, abnuit. Nec quicquam huc facere oraculum D. Pauli *II. ad Tim. IV. 10.* Licet enim non desint, qui per Galatiam Galliam intelligant, vel pro *εἰς Γαλατίαν* legendum esse *εἰς Γαλλίας* contendant, eos tamen in errore versari probat. Multo minus ergo verum esse, quod alii sibi persuadent, eum Ecclesiæ Viennensis in Gallia, & Moguntinæ fundamenta jecisse. Usuardi, Adonis, aliorumque de S. Erasto traditiones parum certas esse autumat. Nec certiora esse, quæ de S. Herodione memorantur. Tandem & illos, qui Narcissum, cujus *Rom. XVI. 11.* mentio injicitur, Christianorum sacris imbutum martyrioque affectum fuisse censent, parum firmis niti argumentis, observat.

Tertia pars Tomi primi sistit Andream, Jacobum majorem, Johannem Evangelistam, Thomam, Jacobum minorem, Philippum, Bartholomæum, Matthæum, Simonem, Judam, Matthiam & Barnabam.

Andream fundamenta Ecclesiæ Byzantinæ jecisse, contra Nicephorum Callistum negat. Negavit quidem & Baronius, ast inter alia argumenta & hoc attulit: Zeuxippum Tyrannum, quem ea ætate Byzantinis imperitasse Nicephorus asserit, jam pridem a Romanis in ordinem redactum fuisse. Quod argumentum tamen robore omni destitui, Tillemontius probat. Acta Barnabæ, quæ a Presbyteris & Diaconis Achajæ, Apostoli hujus discipulis & martyrii spectatoribus, composita esse dicuntur, sub examen revocat, spuriaque esse contra Baronium evincit. Quando morte sit affectus, non posse definiri fatetur. Corpus autem ejus A. 357. Constantinopolin translatum esse docet. *Nota in vitam Andreæ.*

Jacobum Hierosolymis, non Cæsareæ, martyrium subiisse, ostendit. Quod una cum Jacobo interfectus sit *ὁ εἰσαγαγὼν αὐτὸν εἰς δικαστήριον*, ex Clemente Alexandrino refert Eusebius. Quis itaque iste fuerit, num delator, an vero minister, aut miles, *Nota in vitam Jacobi Majoris.*

aut lictor disquirit. Perperam censere Baronium, ac si Hieronymus dixerit, Jacobum die secundo Paschatos martyrium subiisse, observat. Nec rationem posse reddi, cur festum Jacobi memoriæ sacrum celebretur die XXV. Julii. Jacobum nunquam Hispanos adiisse, tum aliis argumentis, tum præcipue confessione Roderici Archiepiscopi Toletani probat. Hujus Apostoli corpus Compostellam translatum esse, multos ait credidisse, ast quando & quomodo hoc factum sit, definiri non posse. Quæ enim alii tradunt, fabulosa esse & commentitia.

Notæ in vitam Johannis.

Quando Augustinus asseruit, Johannem vitam cœlibem vixisse, non de Baptista, sed Evangelista, eum loqui, observat. Christum ultimum agnum paschalem apud Johannem comedisse, negat. Sed & illos falli ait, qui juvenem istum, quem nudum aufugisse Historia passionis Dominicæ perhibet, Johannem fuisse contendunt. Nec illud satis certum, quod Christum usque ad domum Caiphæ fuerit comitatus. Johannem Ephesi ante A. 66. sedem suam non fixisse probat. Cerinthum, non Ebionem, ut Epiphanius putat, fuisse cum Johanne in balneo, cum inde vir divinus aufugeret, docet. Domitiano, non Nerone, ut Hieronymus alicubi autumat, rerum summam tenente, oleo ferventi immersum fuisse Johannem, evincit. Commentarium in Apocalypsin, de cujus auctore dubitatur, Victorino vendicat. Divinam canonicamque auctoritatem Apocalypseos Johanneæ adstruit, documentisque Patrum probat, divum Johannem ejus esse auctorem. Justinum atque Irenæum commentariis explicasse Apocalypsin, quod alicubi videtur innuere Hieronymus, probari non posse, nisi cum Halloixio dicas, eos certa loca Apocalypseos in scriptis suis subinde fuisse interpretatos. Latroni cuidam converso dignitatem clericalem contulisse Johannem, a vero abhorrere. Errorem autem ex verbis quibusdam Eusebii a Rufino male translatis, ortum esse. Christum circa tertiam horam condemnatũ esse, in codicibus Evangelii divi Johannis probatioribus legi, in quibus & historia adulteræ deprehendatur. Primam & secundam Epistolam, quæ Johannis nomen præ se ferunt, ab eodem etiam revera fuisse scriptas, divinaque pollere auctoritate, testimoniis Patrum evincit. Matronæ, ad quam secundam Epistolam Johannes scripsit, nomen Electæ, sive Eclectæ fuisse, docet. Quod ad mortem Apostoli hujus attinet, hoc palam esse, eum rerum summam tenente Trajano vita functum esse, cætera dubia atque incerta

certa esse, contendit. Quæ de tunica Johannis Romæ asservata scripsit Johannes Diaconus, fabulis esse accensenda, arbitratur. Qui existimarunt, Johannem non fuisse mortuum, aut si qui sunt, qui ita existimant, in magno eos versari errore. Eundem a mortuis jam resuscitatum esse, multis persuasum esse, pluribusque rationibus hoc probare anniti ait Florentinium, quas refert & expendit. Quæ vero de perdice Johannis refert Cassianus, vero plane non esse similia, pronuntiat.

Notæ in vitam Thomæ.

Thomam Apostolum etiam Judam fuisse appellatum, & fuisse fratrem Thaddæi, documentis fide dignis probari non posse ait. Eundem de resurrectione Domini revera dubitasse, contra Gaudentium probat. An magos fide Christiana imbuerit, disquirit. Indis & Æthiopibus eum annuntiasse Evangelium, multos perperam sibi persuadere ait. Thaddæum, quem Edessam missum perhibent, non fuisse Judam Apostolum, sed aliquem ex septuaginta discipulis Servatoris, qui itidem sæpius apud veteres Apostoli vocantur, ostendit. Quando Edessam missus sit Thaddæus, non posse definiri fatetur. Argumenta virorum doctissimorum, præsertim Natalis Alexandri & Eliæ du Pin, quibus probant, literas Christi ad Abgarum Edessenorum Regem supposititias esse, diluit. Falsum vero esse, quod perennem stabilitatem urbi Edessæ promiserit Christus, docet. Græcorum de Thaddæo fabulas explodit.

Notæ in vitam Jacobi minoris.

Jacobum Alphæi eundem esse cum Jacobo Hierosolymitanæ Ecclesiæ Episcopo, demonstrat. De parentibus ejus agens; probat, non adeo certum esse, quod Hieronymus, Theodoretus, aliique docent, matrem Jacobi, quam itidem Mariam vocant, fuisse sororem B. Virginis. Nec illud concedit, Cleopham fuisse patrem Jacobi: eum tamen fuisse Alphæi filium, a vero non abhorrere ait. Falli ergo & illos, qui eum filium Josephi esse contendunt, quem aut ex Maria, aut alia uxore susceperit. Fabulas, quæ de reliquiis Mariæ Cleophæ circumferuntur, refellit. Eusebius ex Hegesippo refert, Jacobum huncce etiam dictum esse Ὠβλίαν. ἐκαλεῖτο, inquit, δίκαιος καὶ ὠβλίας. Scaliger hanc vocem exponit per propugnaculum, quem sequitur Petavius. Ast Noster cum Valesio contendit legendum esse: σαδδὶκ καὶ ὠζλιάμ. De ætate Jacobi disputat. Sententiam quandam Hieronymi examini subjicit. Quando Episcopatui Hierosolymitano fuerit præfectus Jacobus, disquirit. Lamina aurea, ceu Episcopatus insigni

signi, caput Jacobi fuisse ornatum, tradit Epiphanius: ast auctores, unde hæc deprompsit, de D. Johanne loqui monet. Jacobum fuisse Sacerdotem, adeoque & licuisse illi in Sanctum ingredi, non tamen in Sanctum Sanctorum, evincit. Hegesippi quoque auctoritatem contra Scaligerum defendit, pro quo etiam Petavius, Pearsonius, Dodwellus pugnant. Jacobum esse auctorem traditionis Apostolicæ, de festo Paschatos die Dominica celebrando, vix sibi persuadere potest. Martyrio eum affectum esse A. post C. N. 62. probat. Quæ de Judæis Jacobum rogantibus, ut suam de Christo exponeret mentem, refert Hegesippus, licet a vero videantur abhorrere, talia tamen esse, quæ non possint in dubium vocari, contendit. De Rechabita isto, qui teste Hegesippo Judæis mortem Jacobi exprobraverit, disserit. Epistolam, quæ Jacobi nomen præ se fert, Jacobo minori vendicat, ejusque divinam auctoritatem adstruit. Liturgiam vero, quæ itidem Jacobi nomine superbit, spuriam esse, contra Leonem Allatium evincit.

Nota in vitam Philippi. Philippum Apostolum Galliam doctrina cœlesti imbuisse, negat. Nec certa satis aut extra dubium posita esse, quæ de martyrio Philippi traduntur, docet. Græcorum de eodem fabulas explodit. Polycratem apud Eusebium filios Philippi cujusdam commemorantem, de Apostolo, non de Diacono, qui itidem hoc nomine fuit insignitus, capiendum esse, autumat.

Nota in vitam Bartholomæi. Commenta illorum, qui Bartholomæum filium Ptolomæi cujusdam, Syriæ Regis, & aliorum, qui eum cum Nathanaele confundunt, refellit. Non satis evidens certumque esse, quod tamen multis etiam ex veteribus persuasum fuit, Bartholomæum prædicasse Evangelium in India, commonstrat. Sed & cætera, quæ de eodem traduntur, dubiæ esse fidei, asserit.

Nota in vitam Matthia. Hebræos quandoque publicanorum munere functos fuisse, contra Tertullianum probat. Matthæum in parte Æthiopiæ Septentrionali doctrinam Evangelii sparsisse negat. Jacobum Historiam Evangelicam Matthæi Hebræo sermone conscriptam in Græcum transtulisse, asseruerat Frassenius; id quod refellit Noster. Evangelium Nazarenorum ab Hieronymo memoratum non esse idem cum Evangelio S. Matthæi, evincit. Quod ad tempus attinet, quo historiam suam condiderunt Matthæus & Marcus, illorum quam maxime sententiam probat, qui vivente adhuc Paulo hoc factum esse existimant. De dispersio-

spersione Apostolorum disserit. Falsum esse, quod a Baronio aliisque dicitur, unumquemque Apostolorum articulum Symboli Apostolici condidisse, probat. Quin an plane Symbolum, quod Apostolicum dicitur, ab ipsis Apostolis confectum sit, non immerito dubitari posse, autumat.

Simonem Apostolum perperam cum Simeone Hierosolymitano confundi, monet *Nota unica* in vitam Simonis.

Nota in vitam Judæ. Judæ Apostolo cognomen Zelotæ a pluribus etiam Patribus dari, observat. Judam, qui frater Domini appellatur, eundem esse cum Juda Apostolo, probat. Quando mortuus sit, exponit. Divinam Epistolæ Judæ auctoritatem adstruit.

In Historia Matthiæ, quam Bollandus exhibet, multa deprehendi, quæ a veritate plane abhorreant, asserit *Nota unica in vitam Matthæi.*

Nota in vitam Barnabæ. Barnabam fuisse ex septuaginta Servatoris discipulis, probat. Hellenistas *Actor. XI. 20.* memoratos fuisse Gentiles, docet. Quæ Alexander Monachus, aliique de Barnaba tradiderunt, incerta esse, demonstrat. Mediolani Barnabam Evangelium prædicasse, probari non posse innuit. De Evangelio in tumulo Barnabæ reperto agit. Epistolam Barnabæ non esse genuinam, autumat. Græcorum de Aristobulo commenta explodit.

Subnectitur denique tribus hisce partibus Index Chronologicus.

Levitischer Hoher-Priester und Priester.

hoc est:

PONTIFEX HEBRÆORUM MAXIMUS ET SACERDOTES reliqui, delineati a JO. LUNDIO.

Hamburgi, apud Gothofredum Libernickel. A. 1695. in 8.
Constat Alphab. 2. plag. 11.

ETiamsi liber hic, quantum ad illius molem attinet, paulo minor appareat eo, in quo cultum Hebræorum publicum latius descriptum dedit B. Lundius, quique a nobis mense superiori pag. 210. recensitus est; nihilominus tamen & æqualem in materia principaliori pertractanda industriam adhiberi, & digressiones non minus frequentes atque eruditas heic institui cognoscimus. Nimirum ut in qualibet Religione e communi fere gentium consuetudine habita semper fuit Sacerdotum ratio præcipua, ita id in populo Judaico imprimis obtinuisse

nuiſſe nemo, niſi qui rudis plane fuerit, iturus eſt inficias. Unde nec mirum cuiquam videbitur, quod Auctor noſter his peculiarem tractatum deſtinaverit, & eum quidem ſuapte ſponte in duas ſeſe partes diſpeſcentem, (ubi tamen capitum haud interruptam ſeriem ſervare placuit;) quarum prior ſummum, poſterior autem reliquos ab eo Sacerdotes accurate contemplatur.

Ut igitur a primo illo (quem ſub Pontificis quoque Maximi titulo indigitare impoſterum licebit,) ordiamur, ſtatim eum in volu-
Cap. 1. mine hoc obvium habemus, poſtquam Auctor antea de Sacerdotio
2. ad tribum Leviticam ſolum alligato verborum nonnihil fecit. Inde enim mox varias illius appellationes deducit præ cæteris, & requiſita juſtæ nativitatis, proſapiæ, ætatisque ab eo quondam poſtulari ſo-
3. lita exponit. Mox ad veſtes fit progreſſio, non Sacerdotum modo ſingulorum communes, ſed & ſummi proprias, ac inter hujus orna-
4. 5. tum exteriorem pectorale ante omnia excutitur, cui Urim atque Thummim quia perhibetur inditum, ideo, quidnam iſtis vocibus inſinuetur, quæ fuerit reſponſionum ex eo redditarum ratio, & quæ inſuper huc ſpectent, ex aliorum potiſſimum mente diſquiritur. Sed nihil fere uſpiam in rebus dubiis hoc in loco ex opinione propria definire Auctor ſuſtinet, ut adeo in placitis aliorum recenſendis eo nos poſſimus eſſe parciores. Spenceri tamen mentionem heic injectam haberi obſervamus, quandoquidem is ſuam de Urim & Thummim diſſertationem libris de legibus Hebræorum ritualibus poſtea inſertam diu ante, quam Noſter ſcriberet, ediderat. De cætero in locum hujus oraculi extructo templo ſecundo בת קול ſeu filiam, quæ dicitur, vocis ſucceſſiſſe conſtat: ejus itaque ſimiliter conditionem intactam
6. 7. prætermittere nequaquam Noſter voluit, qui & præterea veſtium ſacerdotalium ſplendorem, originem, geſtationem certis duntaxat temporibus conceſſam, aſſervationemque & reliqua ad materiam
8. hanc pertinentia, in plenam Lectoris informationem ſubjicit. Poſt ſummi Sacerdotis unctionem conſiderat, muniaque ejus ſingularia,
9. Numen puta per Urim & Thummim conſulendi, ungendi Regem, &, quod ſolemniſſimum, intrandi quotannis in Sanctuarium, enu-
10. merat. Maximam quoque illius auctoritatem ſtrenue tuetur, ac eum in functione ſua conſtitutum Reges omnino anteiviſſe, extra illam vero proximum ab iis locum obtinuiſſe probat. Quinimo primarias ei partes

ei partes in Synedrio magno attribuit; quod ipsum etiam, suppeditata 11.
hac occasione commoda, tribus integris capitibus exacte delineat; nec 12. 13. 15.
ad pœnas Judæorum capitales excurrere gravatur, quas lapidatione, 14.
combustione, strangulatione, decollatione absolutas fuisse perhibet. Romanorum crucifigendi modum a Judæorum suspendio distinctum, & καταποντισμὸν apud hos inusitatum reputat, pœnisque antea dictis carcerem mulctasque pecuniarias, tanquam minores, flagellationem item, ut quæ a pœnis capitalibus propius remota videatur, adjungit. Recipiens se ad Synedrium, Regem quidem coram hoc in jus vocari non potuisse, adversus quamplurimos contendit; eum tamen vicissim sua isti jura modis omnibus intacta reliquisse superaddit, & istud, statu, quem post captivitatem Babylonicam habuis- 16.
se deprehendatur, considerato deserit, ad minus, quod appellari 17.
soleat, Synedrium in singulis prope urbibus juxta portam congregatum accedens; ubi illius Assessores viginti tres, nec non Candidatorum numerum in tergeminam classem dispertitum producit, ac tandem judicium aliquod inferius, quod nunquam veniat sub nomine Synedrii, describit. In singulis autem his judiciis cum sedula Schoterim occurrat mentio, inde iis quoque lineas nonnullas consecrat.
Conjugium a Pontifice maximo initum, & personarum ab eo in ma- 18.
trimonium ducendarum delectum accuratissimum, in luctu mode- 19.
rando solicitam diligentiam, inque vestibus scindendis modum peculiarem ei præscriptum fuisse monet. Successionem in summo isthoc 20. 21. 22.
Sacerdotio, & quomodo singuli se invicem, temporibus sensim labentibus, exceperint, ab Eleazaro, Aaronis filio, inchoat; Mosen vero ante Aaronem Pontificatu insignitum pernegat. Pontificum maximorum in templo primo æque ac secundo quæ celebrentur nomina, octoginta tria recenset, & quo pacto dignitas hæc in Judam Maccabæum, 23.
genusque adeo Hasmonæorum, descenderit, explanat. Primum, qui cum sacerdotio regnum conjunxerit, Aristobulum facit; in extremis temporum spatiis Pontifices maximos jam depositos, jam restitutos, nunquam autem duos simul hoc munus administrasse memorat; ævum tamen Davidis longius hæc antecedens excipit, ubi exemplum peculiare contrarium Scriptura nobis ob oculos proponat. Denique 24.
in typi, quem maximi hi Pontifices ad Christum gesserint, evolutione, cui tota pariter de Melchisedeco doctrina inspergitur, filum hoc abrumpit.

Sed

25. Sed prius, quam pedem profert ulterius, ſacerdotem, qui audiat
משוח מלחמה , & qui populo in bellum abeunti præpoſitus, eum
item, qui dicatur סגן, tertiusque a ſupremo Sacerdote fuerit, conſpici-
endum exhibet. Nec Sacerdotes limen obſervantes, theſaurariosque
& præfectos varios in uſus ordinatos præterit.

26. Quibus ita abſolutis, Sacerdotes tandem vulgares aggreditur,
ſimilemque, ut jam ante fecerat, in modum, natales eorum ab omni
labe alienos, corporaque a diverſis vitiis immunia, fundamenti velut
loco in eorundem ſegregatione magna cum ſolertia obſervari, ac
eorum ætatem non ab anno demum trigeſimo, ſed vel a decimo ter-
tio aptam huic officio cenſeri debuiſſe ſcribit; quanquam ante vigeſi-
mum annum nonniſi ex ſingulari indulgentia eos in Sacerdotum nu-
27. merum cooptatos largiatur. Munia ad hos ſpectantia non unius fa-
cit generis, atque adeo pro objectorum ea attingentium diverſitate,
ad varias etiam excurſiones calamum deflectit. Inter prima memo-
ratur arcæ fœderis portatio, quæ ipſa quoties ſuſcepta reperiatur, di-
ſpicit. Benedicendi ac maledicendi actus in montibus Ebal & Garizim
ad latus ei adjunguntur, quos haud ſine accurata locorum modo
28. memoratorum deſcriptione edoceri Lector ſentiet. Operoſa dein-
ceps pollutorum ſequitur purificatio, quæ ut eo magis illuſtretur, co-
29. mitem heic nacta eſt puerperarum ſtatum, lepræ in hominibus æque
ac veſtibus ædibusque olim obviæ naturam & hiſtoriam, ac vaccæ ru-
30. 31. fæ una cum aſperſionis aqua ceremonias. In Nazaræos quoque cum
Sacerdotes ex ſui muneris ratione intenderint, ſeorſim eos adducit
Auctor, debitam in id impendens operam, ut, quod alii de iis prolixe
ſatis diſputant, in nucleum quaſi coarctatum heic conſpiciatur. Quod
ordini ipſorum adſociandus Servator noſter veniat, haud plane ab-
nuit. Ad minimum fictitias eſſe ait imagines, quæ vulgo ipſum capil-
litio prolixo decoratum ſiſtant, ni eundem Nazaræum pronunciare
velis; cum ſane in neminem, qui voto tali obſtrictus non fuerit, ex
Judæorum moribus hæc forma cadere potuerit. Sed inſuper inſpe-
32. ctionem Sacerdotum flagitabant offerendæ in templo primitiæ, quæ
33. vocitantur Biccurim, flagitabat eam mulier de adulterio ſuſpecta &
aquis idcirco amaris in facti explorationem potanda; quamobrem
utrinque multa curioſa pariter ac utilia paginas haud præter rem com-
plures ſibi vindicant. In poſteriori dum occupatus eſt, præter alia
non

non abhorret abs illorum sententia, qui gravidam citra viri adjumentum Mariam aqua hac amara potatam fuisse sibi persuadeant. Ordo 34.
Sacerdotum & ante & post captivitatem servari suetus, officiorum
indies peragendorum ope sortis facta distributio, adhibenda ab istis 35.
in munerum administratione cautio circa manus pedesque ac totum corpus abluendum, circa vestium solennium & minus detritarum usurpationem, circa abstinentiam a vino, circa capillorum & barbæ curam, ita deducuntur, ut, si vel e singulis decerpere tantum nonnihil vellemus, verendum pæne esset, ne ultra præfixos nobis terminos nimium excurreremus. Hactenus interim Sacerdotes extra templi limina nondum conspeximus, sed nunc, quid foras illi egerint, com-
periemus. Studiis eos diligenter admodum incubuisse narrat Auctor, 36.
licet progressus in iis pleniores necessarii absolute haud fuerint. No-
tatu etiam dignus est vel maxime processus, juxta corpus hominis ab 37.
altero, qui plane ignorabatur, occisi ab iis instituendus. Meretur at- 38.
tentionem provida circa votorum solutionem aut redemtionem cir-
cumspectio iis demandata, vitæque genus extra sacerdotii functionem 39.
haud prohibitum, & reverentia haud mediocris ab unoquoque his 40.
personis jure præstita, in quibus ex antiquitate sacra eruendis segnem se aut parcum deprehendi Noster non patitur.

Ast reliqua, quæ superest, præsentis libri portio in enarrandis
reditibus ad Sacerdotes & Levitas derivatis integra consumitur, no- 41. 42.
minatis primum eorum civitatibus, suburbiis, agris, ac amplius 43.
urbium homicidis fortuitis asylum largitarum conditionibus. Fru- 44.
gum primitiæ, quæ a supra nominatis per vocabulum Thruma distinguuntur, in gratiam Sacerdotum parili modo dicuntur erogatæ.
Rursus solertissimum se in decimis computandis Auctor gerere di- 45. 46. 47.
gnatus est, quarum aliæ Levitis exhibebantur, & ex horum manu decimarum decimæ ad Sacerdotes iterum redundabant; aliæ ad urbem Hierosolymitanam, ut iis inibi paterfamilias solenniter cum suis frueretur, deportabantur; aliæ anno tertio quovis a Sabbatico inter Le-
vitas, peregrinos, viduasque & orphanos distribuebantur. Quemad- 49.
modum vero Levitas nonnunquam ex præda quoque suam partem
sat opimam accepisse innuit, ita ex insigni Palæstinæ fertilitate judi- 48.
candum relinquit, quid ex solis decimis iidem colligere valuerint.
Sacerdotum tamen reditus Levitarum opes multum adhuc superasse 50.
evictum dat, quoniam, licet pecudum decimæ non ad ipsos, sed ad 51.

52. Dominum immediate pertinuerint, e decimis certe per Levitas subministratis, eque aliis muneribus iis ex divino instituto debitis, tantum acquisiverint, ut ingentibus non raro divitiis cumulati passim referantur.
53. Diligentia interim eorum, pietate, ac ardore paulatim defervescente, non potuisse DEUM asserit, quin & curam hanc pro ipsis specialem tandem aliquando abjiceret, eorumque proventus magis magisque decurtari permitteret. Atque sic emenso quoque isthoc spatio
54. nihil Auctor ulterius addendum arbitratur, quam ut Sacerdotes hos in universum omnes, non secus atque summum illum, figuram Christi suppeditasse, ex hujusmodi circumstantiis per universum opus affatim probatis demonstret.

LA VIE D' ARMAND JEAN CARDINAL DUC DE RICHELIEU.

id est:

Vita Armandi Johannis Cardinalis Ducis Richelii. Tomi II. Coloniæ, 1694. 12. Alph. 2. pl. 4.

Fuerunt inter Romanæ Ecclesiæ Cardinales nunquam fere non clarissimi præstantissimique Viri, qui & eruditione & civilium quoque rerum peritia, magnam consecuti sunt laudem. Jam pridem enim hæc apud multos obtinuit opinio, viros sacro licet ordini addictos consecratosque, nihil tamen adeo a vitæ suæ genere atque conditione alienum facere, si Reipublicæ administrationi se admoveri patiantur, Principumque versentur in aulis, eorumque se misceant consiliis. Hinc in civilium rerum, quæ omnium exposita est oculis & animis, scena, surgentes ruentesque & momento pereuntes Respublicas, Principum item ac Politicorum artes, curas, atque labores, multiplicemque aulæ faciem sistente, non raro & Præsules, rerumque sacrarum Antistites, & R. E. Cardinales comparent. Et hosce quidem aliquando dispensandis gentium fatis præpositos, tam feliciter muneris sui partibus functos esse, ut in exemplum prudentiæ abierint, gentium nos edocent annales. Et nonne Ximenes, Richelius, & Mazarinus, Cardinales (cæteros enim taceo) omnibus, quibus summos Principes instructos esse oportet, feliciter regnandi artibus adeo excelluere, ut qui cum illis conferri possint, raro admodum inveniantur?

Qui

Qui itaque vitam Armandi Johannis Richelii, Cardinalis Ducisque, literarum monumentis denuo prodidit, quisquis etiam ſit, certe doctus æque ac diſertus Auctor, ejusmodi ſibi tractandum argumentum ſumpſit, quod dignum eſt, in quo ingenii vires periclitentur præclaræ mentes. Nec eum deterrere potuit, quod jam multi in hoc campo deſudaverint. Licet enim ingenium fortaſſis nemini, fides tamen integritasque omnibus fere defuit. Alios enim amor obcœcavit, ut adulandi ſtudio perciti, nihil aliud agerent, quam ut laudes Richelii inepte & intempeſtive decantarent: alios implacabile adverſus Cardinalem odium, ad evomendas quaslibet injurias, ac mendacia induxit. Hosce ſcopulos ſedulo evitare, dum mari huic ſe commiſit, Auctor ſecum ſtatuit. Præ cæteris tamen Ludovicum Auberyum & Victorium Sirium laudat, quorum ille lingua Gallica vitam Cardinalis ſcripſit, Pariſiis A. 1660 tribus in folio, ut loqui ſolent, voluminibus editam, hic vero Lib. III. Tom. II. Mercurii ſui, Italico idiomate compoſiti, multa quæ huc faciunt, congeſſit. Auberyum tamen adulandi libido ſæpius in transverſum egit; a qua utut alienus ſit Sirius, ſunt tamen alia, quæ in eo Auctor deſiderat. Non unam enim commentationes ejus præ ſe faciem ferunt; prolixius quoque commemorant, quæ paucis attigiſſe ſatis fuiſſet; quæ latius deduci debebant, paucis delibant; ordinem denique qui hiſtoriam decet, non ſervant: ut taceam, nomina propria ut plurimum in illis depravate ſcribi, vitio quidem Italis, quoties in aliarum gentium rebus verſantur, ut Auctor cenſet, non infrequenti. Cæterum ſi vitam Cardinalis Richelii in compendium mittere vellemus, talia nobis commemoranda eſſent, quæ nemo ignorat, niſi qui hoſpitem ex literarum ſtudiis retulit animum. Sufficiat itaque indolem geniumque Richelii, ab Auctore in fine libri delineatum, hic ſiſtere. Nimirum ingenio acri fuit & prompto, adeo ut nihil eſſet tam reconditum, in rebus præcipue civilibus, quod non introſpiceret ſtatim penitiſſime. Nec minus judicio inſigni graviſſimoque pollebat. Injurias adeo ferre non poterat, ut nulla magis re, quam vindicta, delectaretur. Superbiam ſuam & iracundiam humanitate ac lenitate, quam præ ſe ferebat, callide occultare didicerat. Diſertus præterea fuit, & ad ornate quoque dicendum ſemper paratus; quam quidem facultatem ſtudiis partim, partim uſu ſibi comparavit. Literarum ſane non fuit rudis, ſine dubio tamen

 exco-

excolere animum magis & erudire potuisset, nisi insignis, qua flagrabat, civilia negotia tractandi cupido, juvenem adhuc a studiis avocasset. Fortis intrepidusque animus ejus in magnis periculis, quando Reipublicæ salus in discrimen adducebatur, sese prodebat: ast quoties ejus res agebatur, nullius animi, nullius consilii fuit. Si non statim votis responderet eventus, abjecit animum & desperavit: prosperæ contra & secundæ res efferebant illum, faciebantque insolentem. Assentationibus & adulationibus adeo libenter aurem præbuit, ut sermones, qui non laudes ejus ultra modum decantarent, ut meri ruris plenos contemneret.

Quemadmodum vero Cardinalis hujus celeberrimi vita exemplum luculentissimum præbet, quod intueri illis præcipue salutare fuerit, qui Reipublicæ suam consecrare operam constituerunt: ita hinc leges sibi ipsi construere quilibet facile potest, ad quas actiones suas componat. Tres tamen regulas, quas præ cæteris ipse laudavit Richelius, & quarum fructum usus rerum eum edocuit, dignas Auctor judicavit, quæ quam diligentissime observentur. I. In rebus magni momenti, homines minus sapientes optima quandoque dare consilia, experientia se didicisse, asserebat Richelius: nullius itaque consilium esse spernendum. II. Quæ iratus secum constituerit, nunquam prospere cessisse, sed ejusmodi consiliorum se semper pœnituisse, dicebat. III. Proceribus rerumque civilium antistitibus non sint a servitiis homines acri judicio, & eximio intellectu præditi. Dominorum enim cogitata vel ex levissimis signis haud difficulter ejusmodi servi detegunt, & secreta produnt.

M. JOANNIS HEINRICI POSEWITZ METAPHYSICA THEOlogica, quæ regularum Metaphysicarum usum & abusum in quæstionibus & controversiis Theologicis exhibet.

Lipsiæ, impensis Lanckisianorum, 1695. in 8.
Constat 2. alphabet. & 3. plagul.

QUi paucis abhinc annis *Metaphysicam Juridicam* in Actis hisce recensuimus, nunc pari ratione *Theologicam* sistimus, quam cum orbe literario communicare placuit viro eruditissimo, *Jo. Henrico Posewizio*, civitatis Ermslebiensis Pastori reverendo, cujus in his literis

teris scientia jam olim ex *Arte nova* tum faciendi syllogismos, tum destruendi sophismata; imprimis vero ex *Theologia Scholastica* Helmstadii A. 1667 excusa innotuit. Et vero quæ in tradenda Metaphysica Theologica spectari solent, ea in opere hoc diligenter observata esse, animadvertere licet. Id enim dedit operam clarissimus Auctor, ut regulas metaphysicas accurate explicatas suis muniret limitationibus; & ut porro usum regularum seu modum applicandi regulas in variis quæstionibus, quæ hinc inde in controversiis Theologicis occurrunt, non perspicue tantum monstraret, sed & ut abusum earundem studiose annotaret atque corrigeret; præmissa, ubi opus est, terminorum evolutione. Qua methodo dum procedit, *trecentas ac septem regulas* Metaphysicas, & *quingentas ac quinquaginta quinque quæstiones* & controversias Theologicas expeditas dedit, vestigia virorum in hac disciplina maxime celebrium, Thomæ, puta, Scoti, Vasquesii, Suaresii, Becani aliorumque potissimum secutus.

M. NICOLAI BEN. PASCHÆ, OLIM FACULTATIS Philosophicæ in Academia Wittenbergensi Adjuncti, nunc vero Colleg. Grun. quod Starg. est P.P. & Rectoris, Metaphysica Thetico-Axiomatica.

Francofurti & Lipsiæ, impensis Joachimi Wildii, 1695. in 8.
Constat Alphab. 2. & plag. 17.

SUbjungimus Metaphysicæ Theologicæ Metaphysicam magis generalem, seu, ut alio eandem insignire placuit nomine Auctori clarissimo, *Ontologiam Thetico-Axiomaticam*. Cum enim ipse olim in celeberrima Leucorea Musis operaretur, ubi tum temporis studia Logica & Metaphysica inprimis florebant, occasionem sibi abunde oblatam memorat, invitante insimul ad subtiliores ejusmodi speculationes genio & auditorum frequentia, ut paulo intimius, quam fieri solet, se iisdem immergeret. Enimvero apparet ex libro hoc satis amplo, eum haud proletariam operam eo ipso insumpsisse; eleganti ubique ingenii acumine eminente. Nec methodus ipsa displicere potest, quæ accurata admodum deprehenditur. Nam singulorum terminorum formalitates perspicue tradit, additaque exegesi bono ordine resolvit; distinctiones nominales a divisionibus realibus diligenter discernit, adhibitis, ubi necesse est, justis animadversionibus; ac deni-

ac denique axiomata per universum systema distinctionibus necessariis illustrat, annexis insuper rationibus & exemplis perspicuis.

BERNHARDI NIEWENTIJT CONSIDERATIONES CIRCA analyseos ad quantitates infinite parvas applicatæ principia, & calculi differentialis usum in resolvendis problematibus Geometricis,

Amstel. apud Joh. Wolters, 1694. 8. plag. 3.

EXponit hoc libello Cl. Auctor difficultates, quibus urgeri videtur calculus infinitesimalis, seu arithmetica analysisque infinitorum. Cujus fundamenta cum tradiderint Cl. Barrovius & Celeb. Newtonus, ea primum examinat. Et in Barrovio quidem præcipue hoc desiderat, quod ex ejus principio sequatur, quantitatem infinite parvam semel acceptam nihilo æquivalere, atque hinc inter duas quantitates infinite parvas, vel nullam, vel æqualitatis esse rationem; in Newtono vero, quod asserat, eas quantitates ultimo æquales fieri, quæ dato tempore ad æqualitatem constanter tendunt, ita ut differentia fiat quavis data minor, cum tamen non demonstret, figuras propositas ad æqualitatem constanter tendere, neque ad æqualitatem sufficiat, ut differentia fiat quavis data minor, sed requiratur ut sit nulla. Ab his pergit ad calculum differentialem illustris Leibnitii, & inprimis in dubium vocat differentiationes repetitas, lemmatisque Newton. 2. lib. II. demonstrationem. Exemplis etiam, quæ a Celeb. Leibnitio, & Clarissimis Bernoulliis, quorum illi acutissimam inventionem, his propagationem indefessam hic calculus debet, in Actis Eruditorum Lipsiensibus passim proposita sunt, utitur ad nectenda dubia contra hujus calculi usum, eumque non ad omnes curvas promiscue adhiberi posse censet. Quæ tamen eum in finem se attulisse profitetur, ut celeberrimos Viros ad difficultates propositas amoliendas, & sua, quæ etiam nunc se premere significant, publico indulgenda instigaret, non vero ut analysin infinitorum convelleret; cum ipse eadem utatur, sed superstructa principio firmissimo, ex quo omnium Geometrarum sibi nota principia ad curvilineorum mensuras adhibita possit derivare, difficultates contra Barrovii Newtonique methodos motas tollere, terminos in infinitorum analysi nihilum designantes ab infinite parvis & adhuc inter entia nume-

numerandis infallibili criterio discernere, & contra doctissimum Cluverum solide ostendere, frustra nihilum non fingi a Geometris, sed non quanta, licet inter quantitates infinite parvas, seu eas quæ sua natura in infinitum minuantur, non sint quærenda, ex proprietate tamen hisce peculiari necessario emergere. Primum autem differentiationum principium non ex differentiæ, sed ex ipsa indeterminabilitatis natura petendum esse existimat, mentemque suam procul dubio exponet dilucidius in suis Elementis analyseos infinitorum, quæ maximam jam partem impressa esse significat.

C. H. v. H. Teutsche Rede-Ubungen / nebenst zwey beygefügten Lob-Schrifften vornehmer Standes-Personen / und unterschiedlichen Proben der Beredsamkeit.

hoc est:

C. H. ab H. EXERCITIA ORATORIA TEUTONICA. ACCEDUNT Orationes duæ in totidem personas nobiliores encomiasticæ, una cum nonnullis eloquentiæ speciminibus.

Lipsiæ, apud Jo. Ludovicum Gleditschium. A. 1695. in 8. Constant plag. 34.

QUæ benevolus Lector in publicum produci videt, exercitia hæc oratoria diversi aliquot Auctorum fœtus sunt, qui tamen singuli ad unum istum scopum collimare videntur, ut & ab inventionis felicitate, & a materiarum elegantia, & a dictionis qua incedunt, nitore curiosis eloquentiæ æstimatoribus se comprobent. Ac luctum quidem heic lætitiamque alternare, & jam acerbos quorundam deplorari obitus & defunctorum celebrari laudes atque merita, jam aliorum officia & connubia sermonibus ornari gratulatoriis, jam Principum exceptiones homagiaque iis præstita, jam casus alios passim occurrentes stylo oratorio condecorari deprehendas. Uti autem olim Pindarus cujusvis operis initium præclarum esse voluit ac splendidum, ita istud heic imprimis observatur, quando Oratorum nunc in scenam prodeuntium antesignanus velut constituitur post fata etiam in his opusculis superstes incomparabilis *Christianus Hofmannus ab Hofmanswaldau*, quem literæ initiales sub tituli frontispicium comparentes indigitant. Quamvis enim hi sermones

 primor-

primordia duntaxat eloquentiæ Viri censeri debeant, quandoquidem is plerosque juvenis adhuc consignavit; eam tamen & isti præ se ferunt eruditionem, ac iis penitus abundant floribus, ut haud obscura ubivis appareant vestigia illius ingenii, quod in hoc non patriæ modo suæ, sed orbis etiam eruditi decore quilibet non immerito suspiciendum arbitratus est. Habes igitur orationum ab eo profectarum & ἀνεκδότων hactenus Decadem tergeminam, quarum prima nuptiales, secunda in adventum Principum aliarumque personarum illustrium exaratas, tertia funebres complectitur. Postremæ additur mantissa quatuor ex eodem genere alias, ac unam gratulatoriam ob susceptum Consulis officium, æque ut cæteras ab oblivione interituque vindicans. Duæ, quæ sequuntur, orationes encomiasticæ auctorem agnoscunt *Christianum Gryphium*, virum amplissimum ac pridem celeberrimum, qui sigillatim eas, & unam quidem sub speculi memorialis (Gedächtnis-Spiegel/) alteram sub templi mortis (Tempel des Todes) titulo in publicum quondam emisit, & funeribus bigæ matronarum gentis non minus ac virtutis laude nobilissimarum consecravit. Dignæ tamen omnino æstimatæ sunt, quæ, ut has paginas eo illustriores redderent, vice iterata imprimerentur. Locum denique extremum obtinent specimina viginti circa argumentum a superioribus haud diversum occupata, & e quibus elucet industria *Jo. Georgii Pritii*, collegæ nostri clarissimi, a cujus etiam calamo profluxit mutuarum, quæ sub finem annectitur, epistolarum amatoriarum hexas ligato sermone condita. Cum enim literæ, quæ vocari solent, heroicæ inter Germanos pariter frequentari cœptæ fuerint, hinc vires suas in hoc scribendi genere periclitari Noster quoque voluit, ac ideo in solennitatibus quorundam connubiorum isthæc olim fudit carmina, & similem posthac in modum amores Christi fideliumque mysticos ad poetici hujus inventi ductum delineatos daturus est.

VOYAGE ou RELATION
de l'Etat present du Royaume de PERSE.
id est:
Relatio de præsenti statu Regni Persici.
Autore SANSONIO.
Lutetiæ apud viduam Mabre-Cramoisi 1695. in 12. plag. 13. figur. 5.

Rela-

Relatio hæc de regno Persico (quæ in Germanicam quoque linguam a V. Cl. Junckero translata, apud Wincklerum bibliopolam Dresdensem venum prostat) & mole & argumento & scribendi genere exacte convenit cum Relatione de Imperio Marocano, quam præcedenti mense Februario recensuimus. Et quo jucundior est compendiosa hæc tam variarum rerum narratio, eo magis optamus, ut de reliquis Asiæ atque Africæ regionibus, quarum præsens status parum nobis cognitus est, similis generis relationes prodeant. Autor, ut habet præfatio, anno 1683. Missionarii officium in peregrinis his oris explevit; deinde vero Legati vices obiit, domumque reversus, ipso Rege Galliæ jubente, hæc peregrinationis suæ memorabilia publicæ luci exposuit. Prætermissis autem iis, quæ de pristino Persiæ statu conquiri possent, ea tantum persequenda sibi sumit, quæ ad modernam istius Regni faciem pertinent. Et hæc quidem in *quatuor partes* distribuit, ex quibus notatu digniora legere non pœnitebit.

PARS I. *de Rege ejusque ministris* agit. Vocatur autem Persarum Monarcha *κατ' ἐξοχὴν* CHA h. e. *Rex*: alio vero nomine ALAM PENA, i. e. *umbra mundi*, sive *asylum gentium*. Et ne unquam plures existere possint simul, fratribus omnibus ignito ferro oculorum usus adimitur; imo hoc seculo nova lege constitutum est, ut etiam qui ex Regis filiabus, sororibus & neptibus generantur masculi, statim in cunis extinguantur. Familia quæ hodienum rerum potitur, originem trahit a CHIECK-SEPHI, qui ducentis abhinc annis, ut monarchiam Persicam a Tamerlane tum funditus eversam, restaurare valeret, natalibus suis ab ipso Mahomede deductis, sanctitatis opinionem sibi conciliavit. Nuperrimus Rex (qui, si fides habenda relationibus publicis, in confinio hujus & superioris anni, quadragesimo anno ætatis mortuus est, successore filio CHA-SOLIMANN relicto) sub initium imperii sui CHA-SEPHI dictus est: cum vero Judæorum incantationes gravissimum ipsi morbum crearent, mutato nomine, ut scilicet eluderet artes magicas, SOLIMANNUS dici voluit. Splendor aulæ, sive ædificia sive ministros spectes, plane est magnificus. Nam quatuordecim militum millia in quinque cohortes distributa, circa regiam excubias agunt perpetuas. Gynæceum regium ad minimum octingentas complectitur fœminas: in quarum gratiam Rex haud raro vena-

p. 3.
p. 18.
p. 20.
p. 4.
p. 7.
p. 102.
p. 84.

 ro vena-

ro venationes instituit, quibus tamen præter Eunuchos nemini ma-
sculini generis interesse licet: quin imo capitis supplicium incurrit
is, qui Regem fœmineo hoc comitatu incedentem, saltem e longin-
p. 68. quo conspicere non veretur. Epulas Rex adornat frequentissimas at-
que lautissimas, neque quenquam nisi bene potum dimittit; callido, ut
Autor putat, consilio, ut hac ratione ex inebriatorum imprudenti
p. 19. loquacitate regiminis arcana cognoscere possit. Rerum sacrarum su-
premam curam gerunt quatuor Pontifices, quos inter agmen ducit
SADRE CASSA h. e. *Pontifex primarius*, cum Turcarum Muphti omni-
p. 25. no comparandus. Reipublicæ vero negotia curant sex ministri primi
ordinis, quos Persæ ROHNA DOLVET i. e. *Columnas Imperii* appellant.
p. 26. Præcipuus omnium vocatur ETMADAULET, quod patria lingua
p. 32. *fultrum potentiæ* sonat. Supremus justitiæ antistes DIVAN-BEGUI di-
p. 33. ctus, quinquaginta millia thalerorum salarii loco habet, ne scilicet
lucri causa cuiquam justitiam denegare opus habeat. Inter ministros
p. 35. secundi ordinis, notabilis est VAKI-ANEVIS sive *Secretarius status*,
qui res omnes in aula gestas consignare, easque primo quoque
recurrentis anni die, Regi cæterisque consiliariis perlegendas exhibere
consuevit. MONADGEN-BACHI, qui *primus inter Magos sive Astrologos* est,
tanta pollet autoritate, ut eo inconsulto, nihil temere suscipiatur in au-
la: hinc ubicunque incedit, corollam precatoriam manu tenet, ut statim
ex paritate vel imparitate globulorũ forte fortuna comprehensorum,
p. 36. de eventu futurorum contingentium divinare valeat. Neque prætere-
undus est HAKIM-BACHI h. e. *archiater Regis*, cujus tamen periculo-
sissima est conditio, quippe qui obitum Regis plerumque capitis sup-
p. 40. plicio luere jubetur. Inter Equites eminet ordo SOPHORUM h. e. *San-
ctorum*, a supra nominato CHIECK-SEPHI institutus: cujus caput
cum ipse sit Rex, factum est, ut communiter MAGNI SOPHI nomine
p. 42. veniat apud exteros; quod tamen ob contemtum, quo equites isti
p. 102. hoc tempore laborant, in Persia minus habetur honorificum. Redi-
tus vasti hujus regni, juxta calculum Autoris, quotannis viginti octo
p. 106. milliones librarum Gallicarum efficiunt. Vires militares quod attinet,
perpetuus exercitus centum & quinquaginta millium militum in-
gentibus impensis alitur; qui tamen nullos comprehendit pedi-
p. 108. tes, utpote qui per montosa deserta iter facere non valerent. Naves ve-
ro plane habent nullas, quanquam versus utrumque polum commo-
dissi-

diſſimam navigandi occaſionem habent: imo *Nacoda* h. e. atheos cognominant illos, qui vitam elemento tam fluxo & dubio credere non verentur. Introitus in aulam regiam vocatur ALLA-KAPI h. e. *porta* p. 56.
Dei, eſtque aſylum inviolabile omnibus qui eo confugiunt. Poculum, p. 68.
quo utitur Rex, cum vino obruere vult convivas, vocatur HAZAR PECHA i.e. *myriotechnites*; quod, qui ſtrenue illud evacuant, ebriorum more de mille artibus loqui ſolent. Proceres aulæ, ne videantur ſenes, p. 91.
barbam jam caneſcentem nigro colore obducunt. Perſæ non veſcuntur p. 93.
carne, niſi certi ſint, quod facta cæde, ſanguinem ſparſerit verſus meridiem, quam mundi plagam in honorem ſepulchri Mahometis ſacram eſſe credunt. Cha-Abbas Rex Perſarum turrim ſatis excelſam p. 95.
non alia ex materia, quam ex cornibus & oſſibus cervorum extrui juſſit, cujus figuram æri inciſam p. 96. exhibet.

PARS II. *Statum regiminis Politici* exponit: ubi ſatis prædicare p. 110.
non poteſt Auctor abſolutiſſimam Regis poteſtatem, quam contra ne hiſcere quidem audeant ipſi proceres, etiam ad ſupplicium jam deſtinati. Neque rara ſunt talia crudelitatis exempla, quæ ne ex- p. 144.
cidant e memoria hominum, primo quovis anni die ſtrenæ quaſi loco Regi repræſentantur capita eorum, quos præterito anno ſuæ ſive juſtitiæ, ſive tyrannidi immolavit. Cæterum varia quidem ſunt col- p. 144.
legia, in quibus tractantur negotia politica; nihil tamen decidi poteſt, niſi in Senatu intimo ex meris eunuchis compoſito, qui cum ab p. 146.
Indis emti nec parentes noſcant ſuos, nec alium quam Regem hæredem relinquant, cauſam habere non videntur, cur privatam utilitatem præferant ſaluti publicæ. Ex vicinis omnium minime timent p. 162.
Magnum Mogorem. Non enim tantum confidunt montium jugis, & fortalitio *Kandahar*: ſed & ipſam Indorum fortitudinem adeo nihili ducunt, ut Cha-Abbas aliquando exercitui ſuo non virum ſed fœminam præfecerit, quæ nihilominus ita profligavit Indos, ut ab eo tempore inter Perſas invaluerit proverbium: *Unicus lapis ſufficit* p. 163.
quadraginta corvis occidendis. Plus ſibi timent a Tartarorum collu- p. 169.
vie, quos YUZ-BEGUES appellant: iſti enim perpetuo inſidiantur provinciæ Coraſſan, ſtimulati imprimis avara ſpe potiundi incomparabili illo theſauro, quem in urbem Maſched contulerunt hacte- p. 171.
nus Perſæ. Ut enim a peregrinatione Meccana ſenſim abſtraherentur ſubditi, hanc civitatem fictis miraculis ſanctam fieri curavit

Cha Abbas, largitionibus Magnatum plurimum deinceps auctam.
p. 178. Et antipathia hæc iner Persas & Tartaros non viros tantum agitat, sed & mulieres. Male enim Yuz-beg aliquis domi exciperetur ab uxore sua, nisi poculum sanguine Persico repletum secum afferret, quod illa in sanitatem reducis mariti exhaurire solet. Russos cur timeant Persæ, causam non habent, quamdiu cum Tartaris Calemucensibus pacem colunt, qui antemurale securissimum præstant. Nihil vero magis horrent, quam bellum Turcicum, quod male plerumque ab hoc vicino sint habiti; unde nostris temporibus nihil prius habuerunt Persæ, quam ut pacem cum Turcis sancitam religiose servarent. Ex quo principio factum est, ut præsenti bello, Germanorum, Polonorum, Russorumque Legati incassum laboraverint, necalia, quam hujus generis responsa tulerint: *Persas velle Turcas premi, non opprimi; fidem Turcis datam esse servandam; malle Regem amittere regnum, quam fidem frangere* &c. Imo Polonis commodissimam occasionem recuperandæ Balsoræ commendantibus, false regestum est: *tum occasionem fore meliorem, cum Poloni recuperassent Cameneciam.* Cæterum ne unquam intra regni viscera quisquam ex vicinis excitare possit turbas, perspicacissimo consilio id egit primus Monarchiæ restaurator, ut Persarum religio cunctis aliis Muhamedanorum sectis, Turcicæ inprimis, sit contraria. Quem in finem Sacerdotes persuadent vulgo, si contingat Sacerdotem Persicum simul comburi cum Turcico, nullo modo cineres eorum, obstante scilicet religionis antipathia, permisceri posse.

(Margin notes: p. 173. p. 175. p. 140. 144. p. 142. p. 177. p. 178.)

p. 178. Pars III. *Forum Civile Persarum* describit. Leges autem Persæ non habent alias, nisi quas præscribit Alcoranus ex mente Ali explicatus: quæ tamen, ut conqueritur Autor, ad præsentem regni statum minime quadrant. Latrones non puniuntur ex officio, nisi agnati vindictam judicis implorent. Virgines vitiatæ, capite raso, & asino superimpositæ per plateas circumducuntur, exclamante lictore: *maledictæ virgines, quæ pudoris curam non habent.* Apostatis ad religionem abjuratam impune reverti licet; secus ac apud Turcas, qui hanc animi levitatem flammis vindicare solent. Reliqua, quæ hac in parte occurrunt, levis sunt momenti.

(Margin notes: p. 183. p. 183. p. 200.)

Pars IV. *Statum Religionis* exponit. Etsi vero Persæ, æque ac Turcæ, Mahomedis errores faciunt suos, facilius tamen quis Protestantes cum Pontificiis, quam Persas cum Turcis reconciliaverit.

Genui-

Genuinus enim Mahomedis successor & interpres Turcis OMAR, Persis vero ALI est: quorum interpretationes toto aliquando cœlo a se invicem differunt. Præterea disputationes de religione, severissime inter Turcas prohibitas, unicuique permittunt: cujus generis plurimæ Autori sæpius de usu vini, de Deitate Christi, de polygamia &c. cum Persarum Magis intercesserunt. Quo minus autem a Christianorum Missionariis ad nostra sacra se perduci patiantur, id potissimum in causa est, quod sacram Scripturam a Christianis mutilatam esse, pertinaciter credant, imprimis Joh. XIV. v. 26. post vocabulum *Paracleti*, Mahomedis nomen expunctum esse contendentes. Neque quicquam proficiunt, qui collatis Alcorani legibus manifestas contradictiones opponunt: nam ad tales angustias redacti, mysterium subesse respondent, quod vires ingenii humani excedat. In scholis præter Alcoranum explicant Aristotelem ac Avicennam. Quotidie tribus vicibus orant, versus orientem, meridiem, atque occidentem: sub finem precationis salutant angelos; bonum quidem, ut benefaciat, malum vero, ne male faciat. Turcarum vero superstitionem, qua viridem colorem Mahomedi sacrum esse credunt, non faciunt suam: cum enim Cha-Abbas rogaretur ab Amurathis legato, ne sacrum hunc colorem profanari amplius pateretur a Persis: tum se id facturum, promisit, cum Turcæ impetrassent a vaccis suis, ne prata, viridi colore vel maxime conspicua, inposterum macularent.

p. 251. p. 252. p. 203. p. 204. 216. p. 215. p. 210. p. 256.

Sub finem libelli, quædam non injucunda de veterum Persarum religione commemorat. Vivunt nimirum in hunc usque diem inter Persas, qui religionem a majoribus acceptam tueri, quam Mahomedis vestigiis insistere maluerunt, quos Persæ GAVRES appellare solent. Illi Solem adorant, cujus in centro DEI thronum, sedemque beatorum collocant: unde etiam filios non circumcidunt, sed Solis solum radiis exponunt, quo facto mundos eos ab omnibus peccatis existimant. Vitæ alterius beatitudinem in accurata contemplatione Solis reponunt, ad quam tamen neminem, nisi tertia post mortem die admitti credunt; unde mortuis cibum apponunt atque potum, ne intra triduum illud aut sitiant, aut esuriant. Ut autem explorent, num beatis an vero damnatis adscriptus sit defunctus, ridiculum plane experimentum capiunt. Nimirum cadaver exponunt versus orientem, & infaustas aves, corvos, undecunque advolantes diligenter obser-

p. 257. p. 260. p. 261.

obſervant: qui ſi prius eruunt dextrum oculum, prædeſtinatum ad vitam eſſe credunt defunctum; ſin prius eripiunt ſiniſtrum, purificandam prius opinantur animam, antequam ad viſionem beatificam, ſcilicet, admittatur; ſi vero utrumque aggrediuntur ſimul, nullam ſalutis ſpem reliquam habent.

DE GEHEELE MATHESIS OF WISKONST HERSTELT IN zyn natuurlycke gedaante, door Abraham de Graaf.

hoc eſt:

Univerſa Matheſis reſtituta in nativam ſuam formam per Abrahamum de Graaf.

Amſtelodami apud Joh. ten Hoorn, 1694. in 4. plag. 42. cum tab. æn. 96.

QUi omnem fere ſuam ætatem in Matheſi docenda contrivit ſolertiſſimus hujus libri Auctor, variaque edidit doctrinæ ſuæ ſpecimina, quæ ad Arithmeticam, Navigationem & Algebram pertinent, noluit deeſſe expectationi Auditorum ſuorum, qui Matheſis integrum ſyſtema, deſcribendi ut labore ſublevarentur, typis ut excudendum curaret, ab illo flagitarunt. Id quod in publicum jam prodit, Belgica lingua conſcriptum, neque indignum, quod in Latinum idioma convertatur, ut latius pateat ejuſdem uſus; quippe cum breviter in eo pertractentur præcipuæ diſciplinæ Mathematicæ ſuis demonſtrationibus inſtructæ. Nam primo libro de Proportionibus, quoniam omni quantitatis ſpeciei competunt, agit: in ſecundo Arithmetica, tertio Geometria traditur; illa arctioribus, hæc amplioribus finibus comprehenſa, & tam theoremata quam problemata præcipua continens. Quartus liber Trigonometricus eſt, reſolutionem triangulorum planorum & ſphæricorum docens, nec non conſtructionem canonis trigonometrici & logarithmorum: quintus Aſtronomicus, theoriam planetarum præcipue ſecundum Lansbergii placita exponens. Sexti libri argumentum eſt agrorum & doliorum dimenſio; ſeptimi navigatio; octavi arctitectura militaris ſecundum Batavorum methodum. Nonum librum Gnomonica Arithmetica & Geometrica ſibi vindicat, quæ analytica docetur methodo, ita ut pro obliquis ad horizontem, & ſimul declinantibus a meridie aut ſeptentrione, quærantur regulæ, cum ad ſubſtylaris deſcriptionem, tum ad elevationem

tionem styli super planum datum inveniendam pertinentes, quæ membris nonnullis omissis aut parum immutatis ad reliquos simpliciores casus quoque transferuntur. Decimus liber projectiones scenographicas dilucide exponit, undecimus autem Dioptricam & Catoptricam, duodecimus Mechanicam brevibus explicat. Ultimus tandem Algebræ speciosæ præcepta, præcipue ad reductionem & resolutionem Æquationum spectantia, uberius paulo quam Algebra Auctoris edita A. 1672. proponit, simulque præcipuas sectionum Conicarum affectiones Algebraice demonstrat.

EXCERPTA EX COMMENTARIIS MATHEMATICO-PHYsicis Academiæ Scientiarum Parisiensis, mens. Jun. & Jul. A. 1693. p. 98. 128.

Cum, qui Majo anni 1693. mense ab illustri illa Academia editi sunt commentarii, ad manus nostras propter impedita nimis commercia non pervenerint, paucis recensebimus, quænam comprehendantur in illis, quæ sequentibus duobus ejusdem anni mensibus prodierunt. Ac primum quidem comparet illustrissimi *Marchionis Hospitalii* solutio *Problematis Bernoulliani*, exhibita jam in Act. Erud. A. 1694. p. 193. Porro recensentur experimenta a *Dn. Homberg* circa *germinationem plantarum* instituta, ex quibus colligitur, neque elaterem aeris, nec ejus pondus, esse principalem causam germinationis plantarum, cum ipsa quoque fiat in vacuo; nihilominus tamen aerem esse accidentalem germinationis causam, cum de eadem quantitate seminum ejusdem speciei, quorum nonnulla vacuo inclusa, alia in aere libero relicta, longe major numerus in aere, quam in vacuo, progerminarit. Cujus phænomeni hanc rationem verisimilem reddit Hombergius, quod aer sementi inclusus, & pressione externi aeris in vacuo liberatus, se magna vi expandat, & plerumque laceret vascula nutrimento vehendo & distribuendo destinata. Dominus *Varignon* persequitur doctrinam de *acceleratione motus*, regulamque suam generalem ad omnes hypotheses possibiles applicat. Dominus *Cassinus* autem accurate disquirit, utrum *mutatio* aliqua facta fuerit *in poli altitudine* aut Solis cursu, contendens inter se celeberrimorum Astronomorum vetustissimas pariter atque recentissimas observationes, nec non suas, quas in observatorio Regio fecit, quæ ab omni

variatione non sunt immunes. Quibus omnibus tamen perpensis in ea est sententia, non solum hisce ultimis temporibus nullam extraordinariam mutationem factam esse, neque in altitudine poli neque in altitudinibus Solis meridianis, sed etiam cœlum omni tempore in eodem fuisse situ respectu terræ, quo jam usque a seculo integro fuisse deprehenditur. Credibile enim est omnes variationes, quæ afferri possunt, a pluribus defectibus oriri, qui in observationibus occurrunt.

Nam (1) Variationes illæ provenire possunt ex defectu instrumentorum, quibus observatio peragitur. Certum enim est, illa subinde alterationes sensibiles pati, quarum causa est imperceptibilis; unde opus est, ut rectificentur sæpe & corrigantur.

(2) Oriuntur etiam quandoque a difficultate, quæ occurrit in æstimandis minutorum partibus, quando non terminantur altitudines in minutis integris, aut quibusdam partibus aliquotis, v. g. dimidio, parte tertia, aut quarta, &c. sed fere incommensurabilibus.

(3) Potest etiam earum pars tribui refractionibus irregularibus, quæ in aere fiunt, præcipue in observatorio regio, quod in meridiana regione magnæ urbis situm est, cujus ignes diversimode possunt aerem rarefacere, per quem transeunt radii stellarum septentrionalium. Id quod eo magis credibile fit, quia Cassinus huc usque non reperit tantum variationis in altitudinibus solstitialibus, quæ capiuntur in parte australi, quam in poli altitudinibus, quæ in boreali explorantur.

(4) Quemadmodum subinde sensibilis est variatio in directione magnetis, ita fieri potest, ut aliqua mutatio contingat in directione fili perpendicularis instrumentorum, & hæc mutatio magis sit sensibilis in certis terræ locis, quam in aliis.

Tandem, quod ad observationes antiquas attinet, cum notum sit, veteres observasse instrumentis rudibus, si comparentur cum his, quæ jam sunt in usu, non attendisse ad refractiones & parallaxes, neque etiam ab aliis quibusdam circumstantiis sibi cavisse, quæ errorem parere possunt in observando, quasque experientia jam cognoscere & evitare docuit; mirandum non est, differentias inveniri considerabiles inter illorum observationes, & eas quæ seculo abhinc factæ sunt.

Quod

Quod si ergo cuilibet illarum causarum portio sua assignetur, quæ eidem competit de differentia, quæ reperitur in observationibus: parum certe restabit, quod possit attribui mutationi reali, quæ contigerit in situ cœli respectu terræ, aut motu astrorum; magisque consentaneum est rationi referre hanc differentiam ad causas illas accidentales potius, quam ad mutationem veram in cœlo, & irregularitatem, quæ non debet præsumi sine argumentis convincentibus.

Nihilominus maxime probabile est, successu temporis *vere parvam* quandam *variationem in altitudine poli accidere;* illa tamen se restituit deinceps in ordinem, nec duo minuta excedit. Neque enim durante hoc seculo mutatio deprehensa est, quæ foret duorum minutorum.

Credit quoque Dominus Cassini, sæpe *variationem quandam* contingere *in altitudinibus solstitialibus* apparentibus, quam primum observavit Bononiæ A. 1655, & deinde quoque in observatorio regio, sed quæ tamen paucorum est secundorum & brevi ad regularitatem redit.

Maximi autem momenti est in Astronomia nosse, quantus præcisionis gradus possit attingi in altitudine poli invenienda. Si enim cognitum fuerit, quæcunque cura adhibeatur, nos non posse esse certos de altitudine poli, nisi quoad minutum circiter dimidium, non adhibenda illa erit, nisi magna cum circumspectione, in operationibus, quæ requirunt magnam exactitudinem, e.g. in indaganda parallaxi planetarum Luna superiorum, & determinanda hora solstitii: in calculo enim error paucorum secundorum valde considerabilis est. Adhiberi autem poterit majori cum confidentia in inquisitionibus minus delicatis, v. g. ad stabiliendas declinationes astrorum, & inveniendam horam per altitudinem stellarum. Sine omni vero scrupulo in usum vocari potest in geographia & navigatione, quoniam differentia dimidii minuti in altitudine poli non potest gignere errorem majorem quarta leucæ parte, qui considerari non meretur, nisi quando charta conficitur loci non admodum ampli; quo in casu potius recurrendum est ad dimensionem actualem, quam ad observationes poli altitudinum. Tandem Dominus *Homberg* experimentis reiteratis cognovit, *gravitatem aeris ad gravitatem aquæ* esse ut 1 ad 800, & corpora nonnulla, v. g. lignea, eburnea in vacuo suspensa leviora

fieri, quoniam particulæ quædam ob ſublatam aeris externi preſſionem & interni expanſionem liberius exſpirant, & corporis pondus minuunt.

NOUVEAU VOYAGE DU LEVANT
par le Sieur D. M. &c.
id eſt:
Itineris novi per Orientem facti Deſcriptio, auctore
Dn. Du Mont.
Hagæ Com. apud Steph. Foulque, 1694. in 12.
Alph. 1. cum figuris æneis.

Videntur quidem artes omnes & ſcientiæ iſtud jam noſtra ætate faſtigium conſecutæ, ut nihil fere dicere quis aut commentari queat, in quo non alios ſibi præiviſſe, viamque quodammodo muniviſſe, ſtatim deprehendat. Præſertim vero qui mores ritusque gentium, provinciarum exterarum habitum, & quicquid ſplendidi ac præclari urbes & imperia gentium, quas adire paucis contingit, habent, mandant literis, tale quid aggrediuntur, quod jam multi præſtiterunt, adeoque gloriam, quippe quæ cum multis illis communis eſt, ſolis ſibi vendicare nequeunt. Nihilo ſecius tamen ſi calculum rite ponamus, ut nulla ſcientia, nulla doctrinæ pars, adeo omnibus ſuis numeris abſoluta eſt & conſummata, ut non præclaris mentibus bene de illis merendi pateat campus: ita qui orbis perluſtrant partes, & per gentes longe diſſitas animum curioſum circumferunt, nunquam fere non animadvertere quid ſolent, cæteris nondum perſpectum. Præterea mutat omnia tempus: mores præcipue atque ritus gentiumque inſtituta non ſemper eadem manent: ut adeo peregrinatoribus nunquam deſit facultas talia ſcribendi, quæ legentium provocare induſtriam, explere ſciendi cupiditatem, & ipſis Auctoribus ſummum decus conciliare poſſunt.

Fecit itaque operæ pretium clariſſimus Auctor Du Mont, dum haſce ſuas commentationes, ceu itinerum fructum uberrimum, eruditi orbis oculis ſubjicere voluit. Quo ipſo demonſtravit, ſe a ſummorum iſtorum virorum, quos & antiqua tulerunt ſecula, & noſtra vidit ætas, qui caſtra ſecuti, inter arma & bellicos ſtrepitus Minervæ litarunt, non procul abeſſe exemplo. Nos, ne inſtituti migremus leges, nec tamen ignorare patiamur Lectores, quid ex hoc libro ſpera-

ſperare debeant, quæ de Turcarum inſtitutis moribusque Epiſt. XIX, XX. & XXI. diſſerit, paucis referemus. Imperium Turcicum plane deſpoticum eſſe, idque ex ipſius Mohammedis lege, jam pridem quidem aliis eſt obſervatum, ab Auctore vero denuo comprobatum. Summa hæc Turcici Imperatoris poteſtas vel in eo conſpicitur, quod ſæpius ex arbitrio gregarium militem ad ſummam, quæ in hoc Imperio eſt, dignitatem evehat. Alterum, ut conſtat, ab Imperatore locum magnus, ut vocant, Vezirius tenet, qui Regis titulo gaudere dicitur, inde ut omnibus palam fiat, Imperatori jure meritoque Reges a ſervitio eſſe, neve Imperio Romano veteri cedere videatur, cujus in eo haud mediocriter exſplenduit majeſtas, quod Regibus imperitarit. Provinciarum ſequuntur Præfecti, quos Baſſas appellitant. Horum munus eſt, jura dare, & continere in obſequio ſubditos. Imperatori autem quotannis certam argenti ſummam penſitant, ſervosque tradunt. Circumſcriptam itaque ſatis cum ex lege habeant poteſtatem, non tamen intra officii ſui ſubſiſtunt limites, tantamque ſibi apud ſuos conciliant auctoritatem, ut nec Imperatori cedere videantur. Superbe atque avare imperitant ſuis, nihilque faciunt reliqui, ut Tyrannorum promereantur nomen. Nec Imperatorem hæc fugiunt: coercere tamen horum hominum petulantiam non audet, quod militem ſuis ſumptibus alant. Nec etiam Imperatori pecunia præſto eſt, ut ipſe ſolvere ſtipendia militi poſſit; unde profecto fit, ut Reguli iſti leges illi dare ſuſtineant, tantum abeſt, ut accipere ſemper parati ſint. Hinc omnes, qui Turcicum Imperium afflixerunt, motus, judice Auctore, manarunt: nec dubitat, quin nimia horum præfectorum auctoritas ultimam illi aut attractura, aut acceleratura ſit perniciem. Sed & alia, nec minora, Imperii hujus mala obſervavit. Nimirum nihil ſolennius Imperatori eſt, quam proceres, ipſumque magnum Vezirium vel levi de cauſa necare. Hinc viros rei militaris peritos valde imminui neceſſe eſt: adeoque cum rei ſumma, exercitusque cura, juvenibus rudibus valde, & nulla cognitione imbutis concredatur, nonniſi infelix belli inde ſperari poteſt eventus. Non enim ut fungi naſcuntur, qui ejusmodi muneribus poſſint admoveri. Præterea divina humanaque jura adeo impune apud Turcas violari docet, ut ſatis mirari nequeat, quosdam ſcriptores non erubuiſſe, Turcarum in adminiſtranda juſtitia diſciplinam collaudare. Non

 vero

vero alias habent leges civiles, quam quas Mohammedes illis dedit, easque Præfecti, ad quos juris dicendi potestas spectat, imperiti ut plurimum ineptique homines, satis male interpretantur. Quod vero magis deplorandum, a sententia judicis quantumvis iniqua, aut provocare non licet ad majus illud concilium Imperatoris, quod Divan vocant, aut etiam plane frustra provocatur. Causas civiles qui dijudicat, Cadi vocatur; criminalium cognitio ad Bassam sive Præfectum spectat; neutri vero constitutum est succurrere oppressis, sed opes corradere, unde & non raro inter se inimicitias gravissimas ipsi judices exercent; quod exemplis lepidissimis Auctor comprobat. Addit etiam quædam de suppliciorum generibus, apud Turcas usitatis; atque inter alia docet, vivicomburio solum Christianos plecti, qui Mohammedem aut Alcoranum conviciis proscindunt, vel cum fœmina Turcica rem habent: addit tamen, cuncta supplicia pauperibus solum esse metuenda; pecuniæ enim omnia cedere, & homicidia pariter ac latrocinia impune committi ab illis, qui pecunia non immodica pœnam sibi imminentem redimunt.

Quod ad sacra Turcarum attinet, DEUM quatuor Prophetas hominibus indulsisse, qui ad beatorum sedes viam illis monstrarent, quidve fas & nefas esset edocerent, existimant, Enochum, Mosen, Christum Servatorem nostrum, & Mohammedem. Et Christum quidem, quem ex virgine natum confitentur, crucis sublatum supplicio abnuunt. Judæos quippe Servatorem prehensuros, vi Numinis obcœcatos rapuisse ad supplicium Judam. Hanc suam sententiam Christo honorificam valde esse credunt; cum contra, quæ Christiani asserunt, eidem dedecori esse existiment. Eundem priusquam ultimus dies præmia bonis, improbis pœnas reddat, imperaturum orbi, matrimonium initurum, sobolemque suscepturum, contendunt. Prædestinationem acriter defendunt, eamque ad minima usque extendunt. Angelos bonos malosque agnoscunt, illos albos, hosce nigros vocantes: utrosque adorant, illos ut prosint, hosce ne noceant. Pœnarum autem, quæ improbis inflicturus est DEUS, fore finem, sibi persuadent. Animas mortuorum una cum corporibus in sepulchris commorari putant; easque etiam dum vivunt homines, non tam arcto vinculo corpori junctas esse, ut non discedant quandoque vel in paradisum vel ad alia loca, inque suum deinceps revertantur domici-

mici-

micilium. Taceo cætera: prolixe enim Auctor illorum de anima commenta memorat. Multiplici quoque ratione se pollui censent; hinc lotiones non unius generis apud eos sunt frequentes. Ter quotidie preces ad Numen fundunt: templum bis per hebdomada, qui præ cæteris religiosi videri volunt, frequentant. Romanæ Ecclesiæ ritus referunt, dum certum anni tempus jejunio est consecratum. Et tum quidem integrum diem sine cibo trahunt, ast noctu parum illis est cibo & potione famem sitimque depellere, quin genio ad satietatem usque indulgent. Suilla illos non vesci, nec bibere vinum, saltem hoc inter vetita haberi, nec ferre imagines, lippis quoque & tonsoribus notum est, adeoque obiter illud Auctor memorat. Stipem vero erogare pauperibus, opesque sacris usibus consecrare, id vero ejusmodi esse putant, ut non alia magis re placari Numen, expiari peccata opinentur. Ast parum illis est hominibus benigne facere, bestias quoque & cumprimis canes beneficiorum suorum experres esse non sinunt. Multa sunt, nec injucunda, quæ Auctor de Turcarum inepto in canes affectu, deque illorum commentis huc pertinentibus, refert. Tandem vero quæ de pestilentia illorum sit sententia, edisserit. Nimirum nullus fere annus est, quo non ea laboretur. Sed cum fato ineluctabili homines mori censeant, malo huic afferre medelam adeo negligunt, ut pro stulto ineptoque homine habeant, qui vim contagionis evadere sustinuerit.

Sed indolem vitæque rationem Turcis usitatam, exhibet Epistola XXI. eamque nostræ oppositam plane esse, advertit. Vel vestitus hoc comprobat; quem Europæi fere plerique mutare sæpius amant, Turcæ contra semper eundem retinent. Ast vero dum hinc argumentum capiunt inconstantiam levitatemque nobis exprobrandi, suum contra immotum animi robur prædicandi, oppido falluntur. Rem si accurate efferre velis, quod illi constantiam vocant & gravitatem, stupiditatem rectius, judice Auctore, dixeris. Supina rerum exterarum ignorantia, qua omnes, qui non summæ rerum admoventur, laborant, hoc satis superque testatur. Cæteri enim, quos officii ratio non cogit, ut civilium rerum intelligentia animum imbuant, præter fœminas & equos nihil curant. Hinc de vestitu tum virorum tum fœminarum, matrimoniis, polygamia & concubinatu, pœnisque meretricum, multa edisserit, alibi quoque obvia. Nec cultum fœmina-

rum

rum Turcicarum, magnificum profecto splendidumque, prætermittit; quo pulchritudinem, quam natura illis indulsit, augere omni ratione annituntur. Finit tandem Epistolam, de musica, saltationeque, & aliis Turcarum oblectationibus quædam exponendo, nullumque nobilitatis apud eos esse locum, observat.

Cæterarum Epistolarum indicare argumenta, vel ideo non abs re fuerit, quod & Europæ quasdam provincias urbesque nobiliores in illis descriptas videre liceat. Prima namque Spiram & Manhemium, cultissima nuper Germaniæ oppida exhibet, barbaramque Gallorum crudelitatem, qui solo hæc æquarunt, detestatur. Secunda, quæ anno 1689. præclare fortiterque a Germanis, præsertim invictissimo Heroe, FRIDERICO III Electore Brandenburgico, gesta sunt, exponit, urbesque tunc temporis & obsessas, & expugnatas sistit; præcipue autem Heidelbergam, Cochimam, Badam, Durlacum, Argentoratum, accurate & eleganter describit, & quæ in hisce urbibus visu digna sint, edisserit. Epistola III. Metas, Nannetum, Divionum & alias Galliæ urbes exhibet. Lugduni monumenta, antiquitatem ejus comprobantia, sistit Epist. IV. Viennæ, Gratianopoleos, Mommeliani, Augustæ Taurinorum, aliarumque minoris momenti urbium descriptionem, legere licet in Epist. V. Sexta Pinarolium, Aquas Sextias, totamque Provinciam repræsentat. Massiliensi urbi delineandæ conservata est epistola septima, in qua, quæ de odio Massiliensium erga Gallos memoriæ prodidit, cumprimis observatu digna sunt. Nec minus diligens est in sacra ista spelunca, quæ inter Massiliam & Telonem Martium est, delineanda. Fabulis tamen, idque ex merito, annumerat, quæ de Maria Magdalena, lachrymis suis hanc speluncam consecrante traduntur. Addit multa de Arelato urbe, splendidoque & Romanæ magnificentiæ locuplete teste amphitheatro, quod ibi conspicitur, Nemauso quoque, itidem amphitheatro aliisve Romanæ antiquitatis reliquiis splendida, de Occitania item universa, incolarumque ejus, præsertim fœminarum lepidissimis moribus. Hæc omnia epistola octava exponit. In epistola nona tum de Italia universa generatim, tum maxime de Republica Genuensi disserit, Romamque delatus Alexandrum IIX. Romanum Pontificem cum Innocentio XI contendit, subjiciens etiam quædam de asylorum abusu. Postquam autem tempestatis vim, quam subiit, cum Maltham adiret, graphice depin-

pinxisset, ipsius insulæ fata commemorat, quidve visu dignum in ea deprehendatur, accurate enarrat epistola decima. Hac occasione de antiquitate & origine, itemque hodierno statu ordinis Johannitici quædam subnectit; sed & subsequens epistola undecima situm ejusdem insulæ, mores incolarum, vestitum fœminarum, inquisitionis sacræ ibi usitatæ rigorem & alia nonnulla exponit. Trojæ rudera, urbisque Constantinopolitanæ situm, magnitudinem, templa, ædificia publica cæteraque monumenta illustria exhibet epistola duodecima. Nec aliud fere argumentum est epistolæ decimæ tertiæ, in qua tamen & de molestiis, quas devorare coguntur, qui in Asia iter faciunt, conqueritur, & de artibus Legati Gallici, qui tunc temporis Constantinopoli degebat, multa exponit. Triumphalem Imperatoris Turcici in urbem ingressum, ob res bene feliciterque anno 1690. in Hungaria gestas, depingit epistola decima quarta. Nihil ibi ad magnificentiam, qualis barbarorum esse solet, deerat; tota urbs faustis acclamationibus personabat: cumprimis Gallicus Legatus, ut suam lætitiam ob reportatam a Christiano nomine victoriam significaret, nihil fecit reliqui, nec sumptibus modum posuit. Indignabundus hac de re conqueritur Auctor, fœderisque, quod jam pridem Gallis cum Turcis intercedit, rationem persequitur. Maxime autem cognitu digna sunt, quæ de insula Chio exponit epistola decima quinta. Græci eam, ut constat, incolunt, sed privilegiis quam plurimis præ cæteris gaudent. Mohammedi quippe secundo, victricia arma longe lateque circumferenti, sua sponte se submiserunt, eaque obsequii promptitudine consecuti sunt, ut cum cæteri Græci dura servitute premantur, soli aliquam libertatis retinuerint speciem. Quæ de urbibus insulæ & monumentis, moribus quoque & vestitu incolarum disserit, legisse neminem pœnitebit. Rhodum Cyprumque insulas, & quæ in illis visuntur antiquitatis monumenta, Alexandriam itidem Ægypti urbem longe celeberrimam, moresque hodiernos Arabum, sistit epistola decima sexta. Decima septima autem de pyramidibus Ægypti & catacumbis, de urbe Cairo Memphisque ruderibus verba facit. Smyrnam describit epistola decima octava, in qua & de auctoritate consulum Gallicorum in urbibus Turcico imperio subjectis quædam addit. Hinc postquam de Turcarum imperio, religione, & moribus ea retulit, quæ supra a nobis sunt commemorata, Græcorum

statum modernum, mores & religionem, præsertim capita in quibus ab Ecclesia Romana dissentiunt, enarrat; de Judæis quoque in Oriente viventibus quædam tradit epistola vigesima secunda. Smyrnæ urbis statum, & pericula quibus exposita est, edisserit epistola vigesima tertia, in qua & de divinatione Arabum atque Turcarum, horumque de lapide philosophico sententia, quædam subnectit. Mohammedis quarti Imperatoris Turcici, ejusque successoris Solimanni, vitam, resque gestas, & fata memorat epistola vigesima quarta. Quæ a Christianis Principibus anno 1691 præclare fortiterque contra Turcas gesta sunt, motusque cladem exercitus Turcici subsecutos, & alia huc spectantia ibidem persequitur. Gallici Legati artes, omnem lapidem moventis, ne summa rerum Turcicarum conturbata, pax inter Turcas & Imperatorem nostrum ineretur, enarrat epistola vigesima quinta. Digna quoque sunt, quæ legantur de ritibus, quibus Christianus perfidus Turcarum sacris imbui cupiens initiatur, quæ in eadem epistola tradit. Præter insulas quasdam, urbem & rempublicam Ragusinam, & Venetam describit epistola vigesima sexta: sed & vigesima septima, octava & nona, Venetorum institutis & moribus, clarissimisque urbis splendidissimæ monumentis describendis consecrantur.

THOMÆ CEVÆ E SOC. JESU INSTRUMENTUM PRO Sectione cujuscunque anguli rectilinei in partes quotcunque æquales.

Mediolani apud Ambrosium Ramellatum, 1695. in 12. Plag. 1.

DUo ejusdem libelli ad nos exempla eodem tempore pervenerunt, quorum alterum illustrissimo Comiti *Mediobarbo Birago*, alterum celeberrimo *Magliabechio* debemus. Cum vero brevissimus ille sit, nec in officinis nostris prostet, integrum eum huc transcribendum duximus, ne ipsa quidem, cum occasionem invento ab excellentissimo Imperatore bellico suppeditatam aperiat, dedicatione omissa. Etsi enim non nisi excerpta e libris dare consueverimus, istum tamen morem quin aliquando certis id causis suadentibus migremus, quid impedit? Sequitur ergo opusculum ipsum ad verbum descriptum.

Excellentissimo Domino D. DIDACO PHELIPPEZ DE GUZMAN, Marchioni de Leganes &c. Mediol. Gubernatori &c.

Domi-



TAB. IV.
Fig. 1.

Fig. 2;

ftati
ab E
te v
bis f
terti
de l
dis
resc
ftiai
fta f
fpe
mo
cas
ta.
per
ftol
fina
fept
que

2

I
D
celel
nec
dux:
mo
Etfi
moi
imp

Domino suo benignissimo
Thomas Ceva e Soc. Jesu.

TRisectionem anguli (ut optime nosti, Princeps eruditissime) Pappus per hyperbolam, Clavius per lineam conchoideos, nonnulli per parabolam, alii aliter attentando absolvere conati sunt; sectionem vero ejusdem in quavis data ratione, per quadratricem & spiralem veteres perfecere. Qui vero geometrice alterutrum executus fuerit, inventus est nemo: nec praestat investigando operam perdere, quod videlicet ex his alterum inter problemata, quae vocant solida, alterum vero inter linearia censeatur. Itaque, quod tentari utiliter possit, illud unum reliquum est, ut res ista organice, & quidem praxi facillima, expediatur. Idque mihi videor assecutus instrumento excogitato, quod superiori anno Excellentiae Tuae obtuli, cujus structura ad sectionem anguli rectilinei in partes quotvis aequales extendi potest; atque hoc typis excusum, Tibi, praestantissime Dux, meorumque studiorum Maecanas humanissime ac beneficentissime, pronus sisto: immo tibi acceptum refero. Meministi siquidem, ea die, qua mihi aditus ad te primum patuit, post multa de Mathesi, aliisque pulcherrimis scientiis a te dicta, tandem de trisectione anguli sermonem injectum fuisse; quo super, artificium quoddam, in Belgio (si bene memini) inventum, ostendisti, lineae conchili veterum haud dissimile. Tantam vero tamque insitatam comitatem humanitatemque, cum eruditione bonarumque artium studio conjunctam, in summo clarissimoque Duce, ita sum admiratus, eademque perculsus, ut ex illo rem mecum diu volutans, si quid dignum auspiciis tuis forte invenirem, hunc tandem qualemcunque commentandi fructum nactus sim, testimonium animi erga te obsequentissimi. Ne vero occupatum curis gravioribus diutius teneam, demonstrationem, usum, constructionemque paucis subjicio: simulque operi tenuissimo veniam precor; cui, ut aliquid addam, (parum tamen addo) me ipsum adjicio, Tuaeque Excellentiae famulum addictissimum dedico.

Trisectio Anguli Rectilinei.

CIrcino *d m o* (*Fig.* 1.) affigatur alius circinus *z b p* contrarie positus, efficiaturque rhombus *m z b p*, qui circa vertices, sive centra *m, z, b, p* aperiri ac restringi possit; sitque *m d* sive *m o* ad minimum tripla ipsius *m z*, sive *m p*. Sit jam (*Fig.* 2.) propositus angulus *c b x* trifariam TAB. IV. *Fig.* 1. *Fig.* 2.

fariam

fariam dividendus. Resecentur lineæ *b c*, *b x* æquales ipsi *m z*. Centrũ deinde instrumenti *b* acu defigatur in vertice *b* ejusdem dati anguli *c b x*; restringanturque ambæ regulæ *m d*, *m o*, donec transeant per puncta *c*, *x*, excipiantque intervallum *c x*. Dico angulum *c m x* esse tertiam partem dati anguli *c b x*. Producatur diameter *m b* indefinite. Cum duo triangula *m z b*, *z b c* sint ex constructione isoscelia, erit angulus externus *c z b*, sive *b c z* duplus anguli *z m b*; ideoque, cum angulus externus *c b s* sit æqualis angulo interno *c m b* ejusque duplo *b c m*, erit triplus anguli *c m b*. Similiter angulus *s b x* demonstrabitur triplus anguli *b m x*, ideoque totus *c b x* triplus totius *c m x*. Quare angulus *c m x* tertia pars erit dati anguli *c b x*. Quod erat &c. Hinc sumpta distantia *p z* dabit subtensam tertiæ partis arcus *c x*; idemque præstabimus, si designentur duæ lineæ juxta *z c*, *p x*, vel in iisdem notentur utcunque duo utrinque puncta, quæ deinde, sublato instrumento, continuentur.

Sectio anguli rectilinei in quotvis partes æquales.

Fig. 3. Sit jam (*Fig. 3.*) datus angulus *s o m* dividendus in quinque partes. Addatur priori rhombo alter rhombus priori æquilaterus eodemque modo versatilis; ita tamen, ut, dum una cum rhombis clauditur instrumentum, possint vertices *x*, *z*, libere fluere versus *e*, *f* juxta costas utriusque regulæ *a e*, *a f*, vel per canaliculum intra easdem excavatum; sitque *a e*, sive *a f* ad minimum quintupla ipsius *a b*. His positis, resecentur *o s*, *o m* æquales ipsi *a b*. Centro deinde instrumenti *o* defixo, uti superius, in vertice *o* dati anguli *s o m*, ita restringantur ambæ regulæ *a e*, *a f*, ut excipiant intervallum *s m*. Dico angulum *s a m* esse quintam partem dati anguli *s o m*. Producatur diameter *a d* indefinite, quæ transibit etiam per *o*: sunt enim anguli *x d o*, *z d o* æquales, cum demonstrati sint triplices angulorum æqualium *b a d*, *c a d*, ideoque erit *d o* diameter rhombi *d x o z*. His positis, cum angulus *x d o*, sive *x o a* sit, ut ostendimus, triplus anguli *x a o*; externus autem *s x o*, sive *o s a* æqualis sit interno *x a o*, ejusque triplo *x o a*; erit idem angulus *o s a* quadruplus anguli *s a o*; ideoque externus *s o p*, cum sit æqualis interno *o a s*, & ejus quadruplo *o s a*, erit quintuplus ejusdem anguli *o a s*. Similiter & angulus *p o m* erit quintuplus anguli

anguli oam; ideoque etiam totus som erit quintuplus totius sam; ideoque angulus sam quinta pars anguli som. Quod erat &c.

Quod si datus angulus in septem partes sit dividendus, addatur præterea alius rhombus eodem modo constructus; & sic deinceps: eritque eadem praxis, & demonstratio.

Corollarium.

ITaque si habeatur hujusmodi instrumentum compositum ex pluribus rhombis (*Fig. 6.*) primus $ebzf$ inserviet pro trisectione, si nimirum, collocato centro z in vertice dati anguli, ita restringatur instrumentum, ut latera zx, zx rhombi sequentis congruant lateribus dati anguli. Secundus autem rhombus $zxkr$ inserviet pro sectione in quinque partes, si nimirum, centro k eodem modo collocato in vertice dati anguli, ita restringantur regulæ eb, eg, ut latera sequentis rhombi congruant lateribus dati anguli. Tertius pro divisione in septem, & sic deinceps. Facilius etiam id exequemur, si, centro z fixo in vertice dati anguli, aptentur prius cruribus ejusdem dati anguli latera zr, zx; iisdemque digito pressis atque detentis, restringantur regulæ eb, eg, donec utrinque contingant rotulas x, r. Idem dic, fixo centro k, pro sectione in quinque, & sic de cæteris. Habemus igitur artem, quæ extendi possit ad sectionem dati anguli juxta quoscunque numeros impares, & consequenter, per bisectionem, juxta quamcunque rationem in numeris datam. Satis tamen idoneum videtur instrumentum, si non excedat tres rhombos; quorum beneficio circulus in suos gradus exacte dividi, atque inter alia heptagonum, & enneagonum describi facillime, nec non plurimæ æquationes analyticæ absolvi possunt. *Fig. 6.*

Instrumenti modus.

FIgura quarta exhibet instrumentum pro trisectione: debet autem (*Fig. 4.*) rotula a ita limari in parte superiori, rotula autem o ita limari inferius, ut, clauso instrumento (quemadmodum in quinta figura apparet) altera alteri superinduci, atque invicem committi possit. Figura sexta exhibet instrumentum pro sectione anguli in tres, & in quinque partes; idemque cavendum in rotulis b, f, r, x, quo possunt invicem superinduci, dum clauditur instrumentum. Centra ro- *Fig. 4. 5. 6*

rotularum æqualium *b*, *x*, *n*, & *f*, *r*, *m*, in rectis lineis *e b*, *eg* necessario consistent. Centra autem rotularum *z*, *k* sint perforata, ut, intromissa acu, collocari ac detineri possint in vertice dati anguli, ut opus fuerit. Quomodocunque autem restringatur instrumentum una cum rhombis, semper angulus *b e f* erit subtriplus anguli *x z r*, & subquintuplus anguli *n k m*; & sic deinceps. Quare labor trisectionis in eo positus est, ut rhombi angulus *x z r* fiat æqualis angulo dato. Similiter divisio in quinque nihil aliud exigit, nisi ut angulus *n k m* fiat æqualis dato; & sic de cæteris. Experientia vero felicissime successit.

Dum instrumentum aperitur ex pluribus rhombis compositum, primo rhombo excepto, cujus rotulæ *f*, *b* defixæ sunt in regulis *e b*, *e g*, cæteri sequentes manu attrahendi sunt, ut eorundem rotulæ *x*, *n*, *r*, *m* adhæreant utrique costæ, earumque centra existant in lineis rectis *e b*, *e g*. Ex rotulis *n*, *m* id quod punctis designatum est, resecari potest.

Appendix.

Fig. 7. ILlud denique, appendicis loco, addendum puto, quod dato angulo *o a p* valde acuto (*Fig. 7.*) si intervallum quodcunque *a b* circino sumptum transferatur ex *b* in *e*, ex *e* in *f*, ex *f* in *i*, ex *i* in *k*, ex *k* in *l*, ex *l* in *o*, &c. quoad fieri id potest; ducanturque ex singulis angulis ad latera opposita perpendiculares *b c*, *e d*, *f g*, *i b*, *k n*, *l m*, *o p*; erit *b c* sinus rectus anguli *a* simpli; *e d* sinus rectus anguli *d b e* dupli; *f g* sinus rectus anguli *f e g* tripli; *i b* quadrupli, *k n* quintupli, & sic deinceps: rectæ *a c*, *b d*, *e g*, *f b*, *i n*, *k m*, *l p* complementa: *a e*, *b f*, *e i*, *f k*, *i l*, *k o* chordæ: *a b*, *b e*, *e f*, *f i*, *i k*, *k l*, *l o* sinus toti invicem æquales. Quæ omnia cum ex circulo in triangulum ex ordine deducta sint, servato ubique eodem sinu toto; cumque insuper triangula *a b c*, *a d e*, *a g f*, *a b i*, *a n k*, &c. sint invicem similia, aliquid utilitatis & compendii trigonometriæ afferre possunt; quod satis sit innuisse.

Lettres du Cardinal Duc de Richelieu.

id est:

Epistolæ Cardinalis Ducis Richelii.

Parisiis apud viduam Mabre Cramoisi, 1695. 12. Plag. 15.

Adeo

ADeo nominis sui fama orbem universum, dum vixit, implevit Armandus Johannes Richelius Cardinalis, ut quin posteros quoque serosque nepotes, magna invasura sit cupido, & facta viri hujus legendi, & monumenta tam præclari ingenii perlustrandi, nullus dubitemus. Hinc & neminem facile repertum iri existimamus, qui non fateatur, eum qui epistolas Richelii edidit, & de orbe erudito universo, & de venturis quoque seculis, non male meritum esse. Elucet enim in Epistolis indoles ac genius cujusque, ut ab Historiarum conditoribus, quantumvis præclaris & dicendi facultate æque ac fide integerrima præditis, vix luculentius designari aut repræsentari possit. Præterea id proprium ac peculiare fuit Richelio, ut non tantum prudenter feliciterque rerum summam tractaret, sed & quo pacto tractanda esset, quin quam Politicus in omni vitæ genere, interque fortunæ ancipites casus, tenere rationem deberet, accurate docere alios posset. In quo qui cum illo comparari possint, pauci admodum sunt: adeo plerique eas artes, quibus utuntur ipsi, cum aliis communicare aut nolunt, aut nequeunt. Et poterat quidem *Testamentum* Richelii, ut vocatur, *Politicum*, judice Auctore, omnes hac de re certiores facere, nemini ut dubitandi ullum argumentum superesset, sed & epistolas a se editas, non minus luculenter hoc testari, autumat atque contendit. Habent itaque prudentiæ civilis cultores, de quo sibi gratulentur. Habent vero &, qui historico studio justum ponere pretium didicerunt. Magnam quippe lucem Historiæ ejus ætatis per hasce epistolas affundi, nemo abnuet. Nimirum pleræque ex illis datæ sunt ad Cardinalem de la Valette, penes quem bellicarum rerum summam tum temporis esse voluit Ludovicus Rex. Lotharingiæ Duci signa hic inferre cœpit anno 1633, subsequenti vero anno Hispanis quoque & Austriacæ domui bellum fecit. Non tantum itaque Belgium, sed Italia quoque, Hispania, Germaniaque, qua Galliam attingunt, bellico strepitu personabant. Quantæ hinc Richelio enatæ sint curæ, sive obsidione cingendæ essent arces, sive acie decernendum, sive legendus miles, sive immensi sumptus subministrandi, sive corrigendi ob ignaviam Duces, aut ad constantiam & fortitudinem excitandi; quanta lætitia, si ex animi sententia res cederet; quantum tædium, si votis non responderet eventus; id omne ex literis hisce, præsertim ad Cardinalem de la Valette, Schombergium,

gium, Hallwinum, Chastillonium, aliosque exercitus Gallici Duces datis, abunde intelligitur. Sabaudicis maxime litibus & negotiis lucem affundent epistolæ variæ, ad Victorem Amadeum Sabaudiæ Ducem, ejusque conjugem, & Dominum d' Hemery. Iisdem illustrandis etiam inservit prolixa relatio de iis, quæ ad pacem Italiæ reddendam gesta sunt, recitata a Cardinali Richelio Gratianopoli, coram Rege & Franciæ Mareschallis, quæ exstat pag. 245. Quas ad Pontificem Romanum & Cardinalem Barberinum scripsit, itidem lites quasdam exponunt, simulque palam faciunt, Richelium nunquam tanto fuisse in Romanam sedem studio, ut non Regis regnique Gallicani commodis, cæteris omnibus neglectis, consulere allaboraverit. Cæterum conspiciuntur hic & quædam ad Jacobum Angliæ Regem, ejusque conjugem, epistolæ, in quibus præter solennem officiorum significationem, vix quicquam memoratu dignum deprehenderis. Ad Regem Ludovicum autem paucæ admodum hic comparent, quibus & nonnullæ Regis ad Richelium additæ sunt. Ex hisce autem profecto, quam incredibili affectu Rex Cardinalem prosecutus sit, abunde perspicitur: namque ut unico saltem hoc documento firmemus, epistola illa, quæ ducentesimæ decimæ quintæ subnexa est, Cardinalem, quem iratum sibi putabat, quod sententiam ejus de itinere differendo non probasset, placare verbis adeo submissis, & ad omnem modestiam compositis annititur, ut a subdito Regis iram metuente vix alia expectares. Lectu quoque digna est enarratio litium & contentionum, quæ inter Cardinalem & matrem Regis Mariam de Medicis intercesserunt in qua id unice Cardinalis agit, ut suam innocentiam probet, fortunæque iniquitatem deploret, quod nec deserere stationem, sine perfidia aut ingrati in Regem Galliamque universam animi labe, nec manere in illa, sine periculo possit. An vero ita cuncta ut refert, se habeant, omnisque criminis an expers sit, ut vult videri, dijudicabit haud difficulter, qui historiam Cardinalis non ita pridem editam, & supra a nobis recensitam consuluerit.

ERRATUM.

Sectione VI. Tomi II. Supplementorum lin. 31. pro *Michaele* lege *Christophoro*.

* *

*

ACTA ERUDITORUM

publicata Lipsiæ

Calendis Julii, Anno M DC XCV.

LA VIE DE JEAN BAPTISTE COLBERT MINISTRE d'Etat sous Louys XIV Roy de France,
id est:
Vita Johannis Baptistæ COLBERTI Ministri Status sub Rege Galliæ Ludovico XIV.

Coloniæ 1695. 12. Plag. 15.

POst Johannem Armandum Richelium ac Julium Mazarinum Cardinales, sæculi hujus prodigia, primas inter eos, qui Regi Galliæ LUDOVICO XIV a ministerio, gubernandoque & sustollendo in id fastigium, quo hactenus stetit, regni statu fuerunt, tenuisse partes putandus omnino est JOHANNES BAPTISTA COLBERTUS, cujus vitam *Autor*, quisquis etiam ille sit, simplici quidem stylo, sed qui bonum historicum decet, vero admodum, saltim verosimili, ac neque minus tamen eleganti descripsit; pictores imitatus, qui formam imaginis vivam expressuri, nævos faciei æque repræsentant, ac ductus illos elegantiores, qui istam alias plurimum solent commendare. Ut adeo ille tam a satyræ acerbitate, quam ab adulatione eorum, qui elogiis scriptis facta etiam virorum illustrium laude non digna emollire consueverunt, censeri debeat prorsus alienus. Causam eandem pro se allegat Autor in *præfatione*, & moram editæ serius vitæ hujusce eo excusat, quod Marchionis *de Seignelay*, quem filium natu majorem, & bonorum honorumque hæredem præcipuum reliquerat Colbertus, mors prius fuerit expectanda, ne vel is nocere posset vera scribenti, vel hic cogeretur alia longe, quam vellet, aut sentiret, de vita patris commentari.

Dotes Colberti mentisque ac morum habitum omnem simul ante

pag. 1. 2. complectitur, quam vitæ gesta reliqua, & artes, quibus ille sibi finxit ipse fortunam, enarret. Ait ipsum mediocris fuisse staturæ, sed acris admodum ingenii, severum ac meditabundum, sermonisque parcum, & expendentem prius omnia accurate; quam decerneret, aut consilia exequeretur; patientem præterea laboris ac indefessum, pietatis æque ac moderatæ vitæ affectatorem, sed & pecuniæ honorisque cumprimis avidum, ac literarum, quas tamen non didicerat, plurimum amantem, destinatorum mentisque affectuum dissimulatorem, & in rem suam cumprimis attentum. Patrem habuit *Nicolaum Colbert*
p. 3. *Dn. de Vandieres*, qui vini prius, ac pannorum deinceps, tandemque sericarum mercium mercaturam exercuerat; & matrem *Mariam Pussort*, ex iis nimirum *Rhemis*, primaria Campaniæ urbe, natus mense Novembri anno 1625. Mercatoriæ rei a patre destinatus Parisios cum venisset, & Lugdunum deinde, neglecta ea, caussarum patrono non
p. 4. uni cœpit esse a manu, commendatus denique *Michaeli Tellerio*, Ministro Status ex præcipuis tunc uni. Hujus studiis recte aliquandiu
p. 5. cum inserviisset, ab eodem Cardinali Mazarinio fuit permissus; qui cum fidem Colberti haberet perspectam, rerum suarum satagentis,
p. 6. Romam eum ablegavit, ut cum Pontifice de reconciliatione Cardinalis Radesiani (de *Rets*,) & *Castro*, quemadmodum cum Urbano IIX. erat conventum, Parmensi Duci restituendo transigeret. Inde vero
p. 7. cum rediisset, reique familiari deinceps consulere vellet, in matrimonium duxit quidem bene dotatam virginem *Mariam Charon*, Jacobi *Charon*, qui constituto extra ordinem belli ærario tunc erat præfectus,
p. 8. 9. & Mariæ *Begon* filiam; sed alias tamen subinde etiam fœminas amavit. In familiæ vero suæ fratrumque fortunam simul intentus autoritate
p. 10. sua ac commendatione apud Regem & Mazarinium effecit, ut *Carolus Colbertus* Præfecti Alsatiæ (*Intendant*) ac Præsidis in Parlamento Metensi, Nicolaus autem Episcopatus *Lucionensis*, & Bibliothecarii regii officiis augerentur. Mazarinio igitur cum studia sua, ceu dictum est, adprobasset, factum est, ut ab hoc jam morti vicino (quæ ipsi A. 1661. contigit) de meliori nota Regi commendaretur, qui etiam Colbertum emendandæ rei ærariæ (*d' état des finances*) in pessimum statum artibus quorundam malis hactenus redactæ, confestim præesse jussit. Fuit ea res cumprimis *Nicolao Fouquetto* exitio, qui fraudium admissarum ac peculatus crimine reus factus, tandem cum A. 1661. die 5.

Septem-

Septembris in vincula conjectus esset, ad perpetuos carceres Pignerolam, in confiniis Pedemontii situm oppidum, relegatus bonisque omnibus exutus fuit, sententia die 20. Decembr. A. 1664. promulgata, ibique diem obiit supremum anno 1680. Quæ acta cùm Fouqueto sociisque scelerum imputatorum Autor prolixe recenset, neque consilia Colberti, quibus Fouqueti fortunam æmuli sui eversum ivit, reticet. p. 10. 26.
Inter illos qui operam suam præstiterant Fouqueto, quosdam in exilium actos, quosdam in crucem, & quosdam denique ingenti pecuniæ vi multatos; unum tamen a Colberto *Paulum Pelissonium*, clarissimum inter poetas & doctos Academiæ Francicæ non solum, sed universæ Galliæ nomen, servatum memorat, & ad ministeria sua beneficiis plurimis pertractum. Cujus fata aliqua faciemque a morbillis turpiter p. 27.
exesam, & amores porro, sed honestissimos, cum eruditissima virgine *Scudery*, ac genium ad poeticæ rei elegantiam & cultum a natura factum cum descripsisset Autor, ad honorum Colbertianorum augmenta accedit, ipsumque ait Fouqueto in summa ærarii publici cu- p. 30.
randi dignitate successisse, re magis quam nomine, ex temporum, quæ tunc erant rationibus, sustinenda; cumque deinceps valentior opibus existeret, Marchionatum de *Seignelay*, & de *Blainville*, simulque Dynastias de *Moneteau*, de *Chesny*, de *Beaumont*, & de *Sceaux* emis- p. 32.
se, atque in conquirendis divitiis insigni subinde artificio esse usum; cujus specimina recenset Autor, versa deinceps vitæ pagina ea prolixo stylo enarrans, quæ laude digna gessit Colbertus, ministerio Regis præ cæteris admotus, & quæ ipsi Gallia merito referre debet in acceptis. Quorum primum est, constitutio commerciorum in Indiam u- p. 36.
tramque; ædificia deinde vel ad sæculi elegantiam nitoremque, vel p. 38.
posterorum usum atque exterorum admirationem & invidiam exstructa, quæ inter cumprimis eminet palatium regium, quod Versaliis est, cujus structuram omnem ac faciem totam repræsentat Autor; tum p. 40-92.
exornata passim Lutetia ipsa, ac marium duorum, Mediterranei vide- 151.
licet & Aquitanici, facto in Garumnam fluvium canali, conjunctio. p. 106.
Neque vero literæ minus debent Colberto, quibus utut non tinctus es- p. 131.
set ipse nimium, annisus est tamen studio incredibili, ac sumtibus a Rege impetratis, ut illæ non erigerentur modo apud Gallos pene sublapsæ, sed ut alias nationes, penes quas stetisse hactenus visum fuerat Reipublicæ literariæ moderamen, tantum non vincerent Galli. Quamob-

rem non ipse solum nomen suum dedit Academiæ Franciciæ, sed effe-
cit etiam porro, ut Academia pictorum & sculptorum anno 1664 (cu-
p.107. jus historiam exponit Autor, famosissimi pictoris, qui in Gallia un-
quam extitit, *Le Brun*, opera cæteris excellentiora simul recensens) &
Academia deinceps scientiarum & artium, atque ad hujus conamina
p.123. perficienda Observatorium peculiare sumtibus non pœnitendis erige-
retur. Pertinet quoque ad præcipua Colberti gesta, quod Parlamen-
torum, & præsertim Parisiensis autoritatem, quæ hactenus magna fue-
rat, arctis omnino circumscripserit sensim limitibus, & Regi adeo an-
p.146. sam dederit, summam sibi potestatem ac liberam prorsus vendican-
p.153. di. Idem quoque commerciorum felicitati in Gallia consulturus, va-
rias artificum atque opificum officinas adornari quidem curavit,
Italorum ac Batavorum æmulas, sed successu tamen non ubique spe-
rato; quemadmodum etiam compertum est deinceps, eum in emen-
p.156. dando Gallici juris ac legum civilium codice frustra, felicius tamen
in legum criminalium libro, & in tractatione inter mercatores spon-
soria, quam *assecurationem* vocant, elaborasse; cujus rei causas red-
p.157-165. dit Autor. Neque eventus spei isti, quam in magistratuum novo-
p 181. 185. rum hinc inde constitutione sibi conceperat Colbertus, respondit;
193. tametsi laudem promeritus est, quod ausus fuerit abusus varios, qui in
p.165-176. regno invaluerant, in publicum noxios, emendare ac tollere. Co-
natus simul ad rem navalem excolendam, cujus antea satis incuriosi
fuerant Galli non sine insigni damno, suos hortari, navibus bellicis
p.220. singularis inventi sub auspiciis *Tourvillii* exstructis. Qua occasione
Autor expeditiones jussu Regis a Marchione *du Quêne* adversus Tri-
p.226. seqq politanos, Algerios, & in insulam *Martinique* aliasque susceptas,
p.266. atque legationem denique Comitis *de S. Amand* ad Regem Marocca-
p.178. num, describit. Inter hæc atque plurima in Regis ac gentis suæ lau-
dem a Colberto acta, mirum non est, officia splendidissima ipsi fuis-
se concredita, e. g. Secretarii Status, equestriumque Regis ordinum,
p.145. (quorum hic simul brevis recensio fit) denique vero Status Ministri,
p.202. viamque factam ad affinitates ac necessitudines cum familiis princi-
pibus, & summam familiæ suæ fortunam. Siquidem filias, *Johan-
p.155. nam Mariam Theresiam* Carolo Honorato *d'Albret* Duci de *Chevreu-
se* Franciæ Pari A. 1667. d. 2. Febr. *Henriettam* vero Paulo de *Beau-
p.196. villiers* Duci de *S. Aignan* & huic Franciæ Pari A. 1671. die 21. Janua-
rii,

rii, & *Mariam* denique *Annam* minimam natu Ludovico de *Rochechoüart* Duci de *Mortemar* perinde Franciæ Pari ac futuro (*en survivance)* triremium præfecto d. 12. Febr. A. 1679. in matrimonium dedit; sed & fratrem *Carolum* Aquisgranum ad pacem cum Hispanis & p. 208.
Belgis sanciendam, & deinceps Neomagum in pari negotio, nomine p. 201.
Regis ablegavit, eidemque tunc absenti de munere Præsidis in Par- p. 209. 201.
lamento Parisiensi, quod mense Sept. A. 1679. redux adiit, prospexit; filium vero natu majorem Johannem Baptistam Marchionem de *Seignelay*, cum peragrasset cultiores Europæ provincias, in partem laborum honorumque, persuaso Rege, assumsit, conciliata ipsi in thorum p. 198. 202.
primis nuptiis *Maria Margaretha* Marchionissa d'*Alegre*, & secundis *Catharina Theresia de Matignon*, Comitis *de Thorigny* filia: mino- p. 209. 307.
ri autem filio *Julio Armando* Marchioni *d'Ormoy*, de summa rei architectonicæ (*de la Surintendence des batimens*) præfectura, ac suæ p. 202.
sorori de Abbatia *de Lys* prope urbem *Melodunum* A. 1677, sororis au- p. 204.
tem alterius *Mariæ Colbertæ* Johannis Dn. Desmarests conjugis filio utrique, & *Nicolao* quidem *Desmarests* filiæ Ludovici *de Bechamel* Secretarii Regii marito, de redituum publicorum præfectura, *Jacobo* p. 207.
autem *Desmarests* de Agentis Clerici Gallicani nomine officio, filioque secundo-genito *Jac. Nic. Colberto*, (Archiepiscopo hodie Rotomagensi, de Abbatia *Beccensi*, & loco in Academia Francica, ac tertio nato p. 207.
Antonio Martino inter Equites Melitenses recepto de legionis unius præfectura deinceps prospexit, antequam honorum curarum- p. 208.
que ac vitæ fortassis satur mortem subiret; quod factum memorat Autor d. 6. Septembr. A. 1683. ætatis annum LXIV cum explevisset, p. 303.
funusque noctu elatum ac militum vigilum cohorte una circumseptum fuisse, ne vulgi, cui exosissimus erat Colbertus, ob excogitata tributorum ac onerum varia genera, ausibus tanto viro indignis forte peteretur. Tot autem officia, quæ solus sustinuit Colbertus, a morte ipsius partim Claudio le *Pelletier*, partim Marchioni de *Lou-* p. 305.
vois, ac partim denique Marchioni de *Seignelay* cesserunt, cujus character animi, & matrimonii utriusque fata, tum porro expedi- p. 306.
tio in Genuensium urbem, ac reliqua Regi præstita officia, luxus- p. 310. 317.
que & mors, quæ ipsi anno 1690 contigit, ab Auctore plano satis 321.
stylo designantur, qui fata filiorum Colberti senioris simul enarrans, p. 331.
omnibus duos, Archiepiscopum nempe Rotomagensem, & Ludovi- p. 305.

 cum

p. 333. cum, olim Abbatem de Bonport, nunc vero legionis unius Præfectum, hodie adhuc superstites esse affirmat.

JO. FAES DE HEBDOMADE MAGNA LIBRI TRES.

Bremæ impensis Hermanni Braueri, A. 1695. in 8.
Constant alphab. 1. plag. 17.

INter libros elegantissimos pariter ac utilissimos, quos Auctor in Actis nostris jam aliquoties non sine laude memoratus orbi erudito hactenus donavit, cujus etiam generis plures ex ipsius sponsione imposterum ab ejus manu expectamus, non intacta certe prætermitti debet hæc, quam de Hebdomade magna studiose admodum perfecit, commentatio. Quemadmodum nempe gesta sanctorum Martyrum magni semper habita, & a veteribus frequenter in memoriam revocata nullo non tempore fuisse innuit: ita merito ab iisdem passioni, quam optimus mundi Redemtor pro genere humano sustinuit, considerandæ plus longe fervoris datum reperiri annotat. Præcipua autem religio cum quotannis in magnam illam hebdomadem, memoriæ passionis Christi unice sacram quasi confluxerit, dignissimam ideo hanc censet, quæ paulo plenius delineata in eruditorum oculis versetur. Et Isaacum certe Casaubonum tractationis hac de re suscipiendæ spem fecisse testatur, sed & eam post viri tanti obitum jam plane decollasse queritur, Nec fuit interim, qui defectum hunc solari vellet alius. Quapropter diligentiam eo curatiorem sibi impendendam ratus est, ut quantum de ea reperire in antiquitatum forulis liceret, excuteret.

Procemium desumit a Quadragesima, quam vocem multis subjacere magnisque æquivocationibus observat, ac præcipuas earum minime intactas relinquit; cumque ab initio rem suo huic nomini non satis respondere visum fuerit, progressu temporis evenisse notat, ut nonnullæ ecclesiæ, particulares tamen, quadraginta dierum circulo jejunia absolverint, quarum deinceps aliæ, quamvis non uno modo, nec una forma, sed cum notabili differentia, sese imitatrices gesserint. Iis vero, quæ in reliquis Quadragesimæ hebdomadibus proposita ac frequentata leguntur, nunc omissis, ad eam se convertit, quam non immerito cæterarum aliquod compendium appellaveris. Ac tribus quidem libris opera Auctoris universa absolvitur, horumque primus solis fere nuncupationum vocabulis dicatus est, secundus historiam ejus

ejus generaliorem recenset, tandemque dierum singularum examen speciale tertius instituit. Age igitur, quo pacto negotium ubique procedat, distinctius paulo videamus.

Hebdomadis magnæ etymon excutiendum venit ante omnia, peculiaremque proin considerationem vocabulum hebdomas exegit, postquam ad appositi memoriam descendit Auctor, & hanc hebdomadem a Græcis Patribus *μεγάλην*, a Latinis magnam appellari in quamplurimis Homiliarum inscriptionibus ostendit. Sicut autem hac denominatione non majorem dierum in ista numerum aut longiorem singularum durationem innui, facile quis animadvertit; ita ad rerum hac hebdomada gestarum magnitudinem eodem magis respici vicissim sibi quisque persuadebit. Quinimo cum festus dies Paschatos a Johanne c. XIX, 31. *ἡμέρα μεγάλη* vocitetur, (id quod prolixe satis evictum dare Noster allaborat,) veteres autem Græci hebdomadas suas non a die Dominica præcedente, sed subsequente, denominaverint, hoc *τῆς μεγάλης* sive magnæ epitheton ad hebdomadam istam & hinc manasse affirmat. Mox alia illius nomina in Ecclesia orientali frequentata recenset; quandoquidem audire soleat interdum *ἑβδομὰς*, voce *κατ᾽ ἐξοχὴν* & absolute posita; id quod ad *ἑβδομάδα* Daniеliticam se referre videatur, cujus, si rem ipsam putemus; hæc complementum sit. Sed & *ἑβδομὰς ἁγίων παθῶν*, & *σωτηρίου πάθους ἑβδομὰς*, *σεβάσμιοι ἡμέραι*, *ἡμέραι παθημάτων*, *ἡμέραι πασχάλιοι*, solennia Græcorum nomina sunt, quæ huic indita reperiuntur; prout apud Latinos eadem jam sub hebdomadis majoris, ultimæ item ac pœnosæ, jam sub septimanæ sacræ ac sanctæ titulis innuitur, modo hebdomas indulgentiæ, modo authentica, modo aliter paulo nuncupatur. In Ecclesia occidentali Saxonica Germanicaque dici eam constat die Charwoche/ die stille Woche/ die Marter-Woche / die Creutz-Woche/ quarum appellationum unamquamque non sigillatim modo refert Noster, sed & origines, significatus, emphasesque cunctarum proprias persequitur.

His ita prælibatis ad rem ipsam se accingit, deque Auctore hujus hebdomadæ cum cura dispicit: ubi nullam ejus in sacris mentionem fieri cum pateat, non ab ipsomet Deo, verum aliunde ejus auctoritas repetenda est. Occurrunt autem heic Apostolicæ Constitutiones, in quibus & nomen ejus & festivitatem haberi deprehendas.

Num

Num ergo Apoſtolos pro illius auctoribus venditare conſultum fuerit? Sic ſtatuunt omnino Pontificii. Sed contradicentem heic experiuntur Noſtrum, qui νοθείαν Conſtitutionum Apoſtolicarum prolixe probat. Quoniam tamen in una iſta ratione non acquieſcunt Pontificii, ſanctosque inſuper Apoſtolos Quadrageſimæ auctores conſtituunt, feſtivitatem ita hujus etiam hebdomadæ, quæ pars totius ſit, ad inventa eorundem deferentes; idcirco ſimiliter, quantum ad hoc, iisdem obviam procedit, & imprimis nubeculas e Patribus nonnullis objectas diſpellit. Forſan autem apud Viros Apoſtolicos Papæis reperire dabitur, quod fruſtra hoc pacto quæſiverunt apud ipſos Apoſtolos? At enim vero nec ita eos juvari oſtenditur. Produci namque inter alia dicit Auctor teſtimonium ex epiſtola Ignatii ad Philippenſes depromtum; aſt ignotum eſſe addit nemini, quod pleræque epiſtolarum, quæ vulgo adſcribuntur Ignatio, ſuppoſititiæ ſint, interque eas & hanc referri probat. Irenæum deinceps, qui ad latus jungatur priori, in loco, quem allegent, id neutiquam, quod velint adverſarii, asſerere demonſtrare nititur. Multo præterea minus calculum adjiciendum iis exiſtimat, qui Chriſtum ipſum Quadrageſimam inſtituiſſe doceant: ita enim comparatam eſſe hanc opinionem, ut ne apud omnes quidem Pontificios aſſenſum impetraverit. Qua de re ſuam mentem palam expoſiturus provocat ad ſilentium, quod eſt de hebdomade hac in tribus ſeculis prioribus altiſſimum, & quartum denique μεγάλης ἑβδομάδος nomen atque inſtitutum pandere fatetur. Ut enim Quadrageſimæ in Canonibus Conciliorum tunc congregatorum, inque Patrum eo tempore clarorum ſcriptis fiat mentio, ita pariter hebdomadem noſtram ibidem expreſſam qua titulum ac rem haberi non diſſimulat, verumque auctorem facit Magnum Conſtantinum, qui Theodoſium dehinc Principesque pios alios ſequaces poſt ſe reliquerit. Quod aſſertum ubi ſtabilitum eſt, proximum ab eo locum ſanctitatis hebdomadæ huic competentis ſcrutinium obtinet. Singulas etenim illius dies ſanctos vocari, imo tanquam centrum ſanctitatis totius Quadrageſimæ (ceu ſupra quoque innuebamus,) eam deſcribi perhibet. Itaque per partes ſuas ſanctitatem hanc Auctor uberius deduxit. Videlicet cum ſanctitas imprimis ſanctis actibus perficiatur, hi autem vel civiles eſſe poſſint in hoc negotio, vel eccleſiaſtici, inde ad utramque claſſem oculos ſolicite intendit. Exorſus a civilibus,

vilibus, per tot Imperatorum constitutiones hebdomadem hanc redditam fuisse, quantum ad seculares actus, ἀπρακτον, e genuinis documentis declarat. Ecclesiam autem speciatim prohibuisse ait conjugalem consuetudinem, nuptias, natalium celebritates, ac ipsa quoque Martyrum, quæ alias vocantur, natalitia. Non tamen in solis interdictis referendis acquiescit, utpote cum actuum positivorum exercitium longe amplius simul injunctum fuerit. Constituisse id affirmat in habendis concionibus, in quarum pericopas materiamque latius inquirit. Postulatam reconciliationem mutuam. Agi solitam fuisse pœnitentiam; cujus rationem dum describit, interque signa ejus alia cilicii quoque usum numerat, peculiarem de cilicio librum se propediem daturum pollicetur. Mox ad preces hac hebdomade fusas properat, ritumque & gestum genuflexionis ac humicubationis describit. Jejunia, & imperatam hoc tempore ξηροφαγίαν, datas perquam large eleemosynas, hymnos decantatos, & frequentes in his noctibus vigilias subjicit.

Restant vero nunc propria dierum, quæ hebdomadem hanc magnam confecere, nomina ac recolendæ in iis singulis solennitates. Caput earundem Dominica palmarum est, cujus considerationem ubi inchoat, aliquot simul ex præcedentibus Dominicas breviter illustratas in medium adducit. Istius autem titulum primarium a palmarum ramis, quos Servatori Hierosolymas ingredienti populus quondam hac ipsa die prætulit, ut ortum impetrasse censet, ita in historia ab Euangelistis hac de re consignata nonnihil commorari voluit, ac illam Romano-Catholicorum consuetudinem, qua palmas hac Dominica certis cum benedictionum generibus consecrent, nihil huc facere contendit. Nec aliam esse nominis originem existimat, dum eadem festum evangelismi ramorum dicatur. Sed unde titulus Dominicæ in ramis olivarum? Hunc itidem ab olearum frondibus una cum palmis in semitam projectis (Lightfooto enim, qui extructa firmataque ex his ramis velit tentoriola ac tabernacula, adstipulari non sustinet) derivat. Dominicam Osannæ dictam statuit a turbæ acclamatione, qua Christum excepit; unde & in vocabulo Hosanna deducendo haudquaquam parcus est. Inter actus diei politicos duo celebrantur, unus circa publicam munerum erogationem, & alter circa vinctorum e carcere dimissionem occupatus fuit. Ad ecclesiasticos quod attinet, ro-

gas (quæ cruces erant atque cerei,) a Patriarcha in ecclesia Græca collatas, Evangelium dehinc vel eucharistiam in feretro deportatam, ulteriusque lotionem capitum considerat. Mox Catechumenos hac Dominica Competentium appellatione mactatos sistit, nominaque ab iis dari tunc solita, & hac occasione libros etiam, quibus inscribebantur, (δίπτυχα nimirum) sub incudem revocat, & in facta iis symboli, quod Apostolicum fortassis fuerit, traditione atque inculcatione diei hujus acta terminat. Succedit dies secundus, in quo præter traditionem Orationis Dominicæ, sacras quoque meditationes & vitæ sanctæ studium assidue continuatum laudat. Tertii actus in Patrum monumentis non reperiri adeo recensitos largitur, haud dubium tamen esse superaddit, quin & is magnus semper sanctusque habitus, & in Competentium præcipue informatione sedulo traductus fuerit. Die quarto quod instituerint cum Competentibus examina, quæ a veteribus scrutinia dicantur, probabile sibi videri; rigidum vero imprimis jejunium mandatum, inque abominationem osculi a Juda proditore Christo dati, osculandi ritum penitus omissum reputat. Dies quintus pluribus actionibus illustris est. Vocatum eum alias observat Dominicam cœnæ, natalem calicis, capitilavium, pedilavium, diem indulgentiæ, den grünen / item den hohen Donnerstag. Ad actus ejus refert Symboli, quod Competentes Dominica antegressa acceperant, publicam & in Ecclesiæ facie promta ex memoria fundendam redditionem, restitutionem peccatorum in integrum, eucharistiæ pleno, quod integrum alioquin haud erat, cum stomacho sumtionem. Sed cum hodieque Pontificii eundem sedulo observent, ad horum quoque operas in eo absolutas excurrere neutiquam gravatur, & pedum adeo lotionem, præparationem chrismatis, & actum excommunicationis per Bullam, expresse ac prolixe recenset. Primam a Pontifice, Imperatore, Galliarum Angliæque Regibus peragi, sed a veteribus hoc die peractam non inveniri; secundam in priscis Ecclesiæ moribus parum fundari; ultimumque a Luthero dudum explosum fuisse meminit. Sextus itidem notatu valde dignus est, & merito κυρία vocatur καὶ πρώτη τῶν ἡμερῶν. Sed & Pascha consuevit nuncupari, vel quod mundi Redemtor sit πάσχα nostrum immolatum, vel quod Christus eopse die passus fuerit, unde eum Passionem κατ' ἐξοχὴν vocatum autumat. Nec reliquorum cognomentorum oblivisci-

TAB.V. ad





.V.
1.

viscitur, veluti sunt: σωτήεια, parasceve, dies passionis Domini, Kar-Freytag / stiller Freytag / guter Freytag. Intermissam eo illucescente γονυκλισίαν, ob genuflexionem a militibus in ludibrium Christi susceptam, repetitas econtra preces, jejunia, humicubationes, & passionis Christi meditationes digno prosequitur encomio. Magnum postremo honorem cruci habitum concedit, sed eum in σταυρολατρείας patrocinium trahi posse pernegat. Inter primas enim, quibus Romano-Catholica hodie ecclesia abutatur, cerimonias adorationem crucis collocat, eique sudarium Christi forma insignitum, quod Veronicam asservasse credatur, cultu haudquaquam idoneo affectum, quin & ejusmodi alia associat. Septimum, qui solus adhuc superest, μεγάλης ἑβδομάδος diem sub σαββάτου nomine sat cognitum, non secus, ac modo superatum sextum, jejunium rigidius vigiliasque constantiores cum precibus & hymnis conjunctissimas requisivisse, sacram in illius nocte eucharistiam distributam, & baptismum ex instituto collatum scribit. In Ecclesia Romano-Catholica cereum paschalem, ex moribus non a multis retro seculis, ut Gretserus velit, sed a Zosimi demum ætate repetendis, & aquam baptisterio infusam benedici, cereosque agnos consecrari refert, & calamum deponens quietem in hoc Sabbato a præsenti scriptione aucupatur.

DNI. MARCHIONIS HOSPITALII SOLUTIO PROBLEMATIS propositi in Actis mensis Octobris anni 1694, pag. 394, una cum contractione simplicissima alterius cujusdam problematis generalissimi huic affinis

PAucis abhinc diebus ad nos usque venerunt Acta mensis Octobr. anni 1694: in quibus reperi Problema circa methodum tangentium directam a Clar. Bernoullio Matheseos Professore Basileensi propositum. Illico Problematis hujus solutionem inveni, statimque mentem subiit aliud huic affine generalissimum. Utrumque his accipe.

Problema.

Datis tribus curvis Algebraicis, G, H, I, *& quarta* K, *quam formant intersectiones rectarum* HK, IK, *tangentium curvas* H *&* I *in iisdem punctis, in quibus tangens curva* G *ipsas secat; Quarere tangentem quarta* K. TAB. V. Fig. 1.

Solutio.

Anal. Fingatur ad curvam G tangens altera Ghi quam proxima priori GHI, quæque attingat curvas H & I in punctis h & i, e quibus prodeant & aliæ tangentes hk & ik occurrentes sibi mutuo in puncto k, quod *(hyp.)* erit ad curvam K. Tum ducta IR parallela ad Hh; triangula fient similia GHh & GIR; hki & RIi. Item ductis KO, KS, HP, hP, IQ, iQ, perpendicularibus ad tangentes hk, ik, HK, hk, IK, ik; similia pariter fient triangula KHO & HPh, KIS & IQi, rectangula in O, h, s, & i; siquidem anguli KHO & HPh additi singuli ad eandem PHh, totidem rectos constituent, proindeque sunt æquales: idemque dicendum de angulis KIS & IQi.

His præmissis, sit polygoni curvam H constituentis latus Hh = dv; datæque sint GH = a, GI = b, HK seu hk = m, IK seu ik = n, HP = f, IQ = g, (hic tanquam datas assumimus HP & IQ, eo quod sint radii evolutarum, curvas H & I natura datas describentium). Jam erit I. GH (a). GI (b) :: Hh (dv). IR $= \frac{bdv}{a}$. II. hk (m). ki (n) :: RI $(\frac{bdv}{a})$. Ii $= \frac{bnd}{am}$. III. HP (f). HK (m) :: Hh (dv). KO $= \frac{mdv}{f}$. IV. IQ (g). IK (n) :: Ii $(\frac{bndv}{am})$. KS $= \frac{bnndv}{agm}$. At ductis, a quovis puncto L tangentis KL, perpendicularibus LE, LF ad rectas HK, IK, manifesto liquet triangula rectangula LKE & KkO, LKF & KkS, fore similia; siquidem angulorum LKE & KkO, LKF & KkS differentiæ cum sint infinite parvæ, nullæ sunt. Ergo fiet LF. LE :: KS $(\frac{bnndv}{agm})$. KO $(\frac{mdv}{f})$ :: *bfnn. agmm.* Proindeque constat indolem eam esse tangentis KL, ut demissæ ab ejus puncto quovis L perpendiculares LF, LE ad rectas IK, HK, perpetuo sint inter se in ratione data quantitatum *bfnn*, *agmm*, ita nempe ut ubique sit LF. LE :: *bfnn. agmm.* Atque hinc ultro fluit constructio sequens.

Constr. Ducatur HL parallela ad IK, quæque sit $= \frac{agm^3}{bfn^2}$: Dico

KL

KL esse tangentem quæsitam. Nam ductis a puncto L perpendicularibus LF, LE ad rectas IK, HK, cum LM parallela ad HK, patet triangula rectangula LFM & LEH fore similia; proindeque LF. LE :: LM seu HK. HL :: (constr.) *bfnn. agmm.* Ergo &c.

Observandum diligenter constructionem hanc æque valere, sive datæ curvæ G, H, I, sint juxta mentem Authoris Algebraicæ, sive etiam sint illæ transcendentes seu mechanicæ, ita ut sit generalior. En alteram multo simpliciorem, sed quæ tantum est utilis cum curvæ H & I una componunt sectionem conicam HAI. Etenim ducta per datum punctum G diametro AG, agatur KL parallela applicatis hujus diametri, & ipsa erit tangens quæsita. TAB. V. *Fig. 2.*

Porro hoc idem Problema materiam præbuit alterius huic affinis, sed paulo difficilioris & universalissimi. Sit nempe data recta HI duas inter qualescunque curvas HI ita mobilis, ut eadem has utriusque punctis suis extremis H & I semper attingat. Jam si ex hisce punctis illas ad curvas ducantur tangentes HK, IK, quæ occursu continuo describant tertiam curvam K; Quæritur ratio ducendæ tangentis hanc ad curvam K, v. gr. in puncto K. *Fig. 3.*

Palam est, hoc ad superius problema reducendum, statim ac inventa fuerit natura curvæ G, quam singulis in positionibus tangit eadem recta HI. Proindeque hujus alterius problematis solutionem pendere solum ab inventione puncti contactus G in recta HI, pro dato hujus rectæ situ inter curvas H & I. Quæ solutio fit sane prolixa, dum ea rationibus menti primum obviis inquiritur, ut egomet sum expertus; at brevis & facillima ratione sequenti.

Ducta KC perpendiculari, ad HI, ubi necesse productam, assumatur IG = HC: Dico punctum G rectæ HI esse ad curvam G, seu curvam hanc in puncto G tangi a recta HI.

Atque hinc sequitur fore semper, vel puncta C & G simul inter curvas H & I, vel hasce curvas inter puncta C & G, vel denique hæc in illis.

Præterea si lineæ H & I rectæ ponantur, convenientes inter se ad angulum rectum, pariter liquet curvam G eam ipsam esse quam definivit Clar. *Johannes Bernoullius* in Actis an. 1692, pag. 33: cujus etiam *Bernoullius* alter Professor doctissimus, mentionem habet in Actis supra citatis; adeo ut istud eorum problema specialissimus duntaxat hujusce nostri casus sit.

G. G. L.

G. G. L. RESPONSIO AD NONNULLAS DIFFICULTATES, a Dn. BERNARDO NIEUWENTIJT *circa methodum differentialem seu infinitesimalem motas.*

EGregii Geometræ Batavi Domini *Bernardi Nieuwentiit* tractatus duos novos circa calculum differentialem, & Analysin infinite parvis utentem, nuper missu alterius, ut apparet, doctissimi Geometræ, *Dn. I. Makreel*, autoris jussu accepi. Itaque cum a me pluribus in locis difficultatum quarundam solutio humanissime petatur, operam reipublicæ literariæ debitam defugere nolui, tametsi summa tantum capita attingere tot aliis distractus, nunc quidem possim. Ad tria potissimum res redit: *methodum meam calculi differentialis & summatorii, laborare communi cum aliis difficultate, quod scilicet quantitates infinite parva abjiciantur, quasi essent nihil;* secundo, *hanc methodum non posse applicari ad curvas, in quarum aquatione indeterminata ingreditur exponentem:* tertio, *tametsi meus calculus differentialis primi gradus sustineri possit; differentias tamen inferiores, secundi, tertii & aliorum graduum, ut* d d x *seu* d^2x, d d d x *sive* d^3x, *& ita porro, non posse conciliari cum principio clarissimi Autoris,* quo tamen solo Geometriam hanc statuminari posse arbitratur. Specialia nonnulla, quæ *Hospitalianis, Bernoullianis* & *meis* objicit, nunc non attingo, cum illustrissimus *Marchio Hospitalius*, & ingeniosissimi *Fratres Bernoullii* tot præclara inventa sua optime tueri possint.

Quod ad *primam objectionem* attinet, clarissimus Autor hanc in præfatione Considerationum ponit enunciationem, quam liquidissimæ veritatis esse autumat: *Sola ea quantitates aquales sunt, quarum differentia nulla est, seu nihilo aqualis.* Et in *Analysi curvilineorum, sub initium axiom.* 1, *pag.* 2: *Quicquid toties sumi, hoc est per tantum numerum* (etiam infinitum, sic enim intelligit) *multiplicari non potest, ut datam ullam quantitatem, ut ut exiguam, magnitudine sua aquare valeat, quantitas non est, sed in re Geometrica merum nihil.* Hinc quia in æquationibus pro tangentibus investigandis, Maximisque & Minimis (quam Dn. *Autor Barrovio* tribuit, primus tamen, ni fallor, *Fermatius* usurpavit) remanent quantitates infinite parvæ, abjiciuntur autem earum quadrata, vel rectangula; hujus rei rationē ex eo ducit, quod quantitates ipsæ infinite parvæ seu infinitesimæ sunt aliquid; quoniam per numerum infinitum multiplicatæ quantitatem datam (id est, ordinariam

nariam vel assignabilem) efficiunt, secus autem se habere earum rectangula vel quadrata, quæ proinde ex axiomate præmisso sint merum nihil. Ego quidem fateor magni me eorum diligentiam facere, qui accurate omnia ad prima principia usque demonstrare contendunt, & in talibus quoque studium non raro posuisse; non tamen suadere, ut nimia scrupulositate arti inveniendi obex ponatur, aut tali prætextu optime inventa rejiciamus, nosque ipsos eorum fructu privemus; quod & olim Patri *Gottignies* & discipulis ejus circa Algebræ principia scrupulosis inculcavi. Cæterum æqualia esse puto, non tantum quorum differentia est omnino nulla, sed & quorum differentia est incomparabiliter parva; & licet ea Nihil omnino dici non debeat, non tamen est quantitas comparabilis cum ipsis, quorum est differentia. Quemadmodum si lineæ punctum alterius lineæ addas, vel superficiei lineam, quantitatem non auges. Idem est, si lineam quidem lineæ addas, sed incomparabiliter minorem. Nec ulla constructione tale augmentum exhiberi potest. Scilicet eas tantum homogeneas quantitates comparabiles esse, cum *Euclide lib. 5, defin. 5* censeo, quarum una numero, sed finito, multiplicata, alteram superare potest. Et quæ tali quantitate non differunt, æqualia esse statuo, quod etiam *Archimedes* sumsit, aliique post ipsum omnes. Et hoc ipsum est, quod dicitur differentiam esse data quavis minorem. Et *Archimedeo* quidem processu res semper deductione ad absurdum confirmari potest. Quoniam tamen methodus directa brevior est ad intelligendum, & utilior ad inveniendum, sufficit cognita semel reducendi via postea methodum adhiberi, in qua incomparabiliter minora negliguntur, quæ sane & ipsa secum fert demonstrationem suam secundum lemmata a me *Febr. 1689* communicata. Et si quis talem æqualitatis definitionem rejicit, de nomine disputat. Sufficit enim intelligibilem esse, & ad inveniendum utilem; cum ea, quæ alia magis (in speciem) rigorosa methodo inveniri possunt, hac methodo semper non minus accurate prodire sit necesse. Itaque non tantum lineas infinite parvas ut dx, dy pro quantitatibus veris, in suo genere assumo, sed & earum quadrata, vel rectangula $dxdx$, $dydy$, $dxdy$, idemque de cubis aliisque altioribus sentio; præsertim cum eas ad ratiocinandum inveniendumque utiles reperiam. Nec profecto video, quomodo *doctissimus Autor* in animum suum inducere potuerit, ut statueret, lineam seu latus dx esse

esse quantitatem, at quadratum vel rectangulum talium linearum esse nihil. Licet enim hæ quantitates infinities infinite parvæ, numero infinito primi gradus multiplicatæ, non producant quantitatem datam seu ordinariam; faciunt tamen hoc multiplicatæ per numerum infinities infinitum, quem rejicere par non est, si numerum infinitum admittas; prodibit enim numero infinito primi gradus ducto in se. Quod autem in æquationibus *Fermatianis* objiciuntur termini, quos ingrediuntur talia quadrata vel rectangula, non vero illi, quos ingrediuntur simplices lineæ infinitesimæ; ejus ratio non est, quod hæ sint aliquid, illæ vero sint nihil; sed quod termini ordinarii per se destruuntur, hinc restant tum termini, quos ingrediuntur lineæ simplices infinite parvæ, tum quos ingrediuntur harum quadrata vel rectangula: cum vero hi termini sint illis incomparabiliter minores, abjiciuntur. Quod si termini ordinarii non evanuissent, etiam termini infinitesimarum linearum non minus, quam ab his quadratorum abjici debuissent. Adjungi possunt Lemmata quædam mea, calculi differentialis fundamentis inservientia, ex *Actis Eruditorum Lipsiensibus Febr. 1689*, quæ *Cl. Autor* non nisi post editas considerationes in præfatione tractatus Analytici sibi occurrisse profitetur; ubi jam tum *incomparabilium* considerationem adhibui, ad has difficultates præveniendas.

Quod ad *secundum* attinet, *doctissimus Vir* æquationes exponentiales (ut a me appellantur) sua methodo tractari posse putat, mea non item. Idque tali ratione *cap. 1 Analys. pag. 62, seqq.* & *cap. 8, p. 280,* per suam calculandi rationem ostendere conatur, quam tamen usitatis mihi symbolis ratiociniisque sic exprimo. Sit æquatio (ad curvam transcendentem) $y^{x}\ (1) = z$. Unde alia pari jure fiet $\overline{y+dy}^{\,x+dx}\ (2) = z+dz$. Itaque differentiando æquationem 1, id est æquationem 1 ab æq. 2 subtrahendo, ut dz seu differentia inter duorum z valores (ipsius nempe z & ipsius $z+dz$) habeatur, (quod calculi differentialis fundamentum est) utique ex 2 & 1, fiet: $\overline{y+dy}^{\,x+dx} - y^{x}\ (3) = dz$. sed $\overline{y+dy}^{\,x+dx}\ (4) = y^{x+dx} + x.y^{x+dx-1}\,dx$. (quia ut olim in his Actis a me generaliter notatum est $\overline{y+a}^{\,m}\ (5) = y^{m} + \frac{m}{1}\,y^{m-1}\,a^{1} + \frac{m.m-1}{1.2}\,y^{m-2}\,a^{2}$ &c.

&c. Unde ex sententia *Autoris*, evanescente termino $\frac{m.m-1}{1.2} y^{m-2} a^2$ & sequentibus, quia a est infinities infinite parva, & pro a substituendo dy & pro litera m substituendo $x + dx$ prodit æq. 4) Itaque ex æq. 3 per æq. 4 fit $y^{x+dx} + x.y^{x+dx-1} dx - y^x = dz$. (6) Verum hæc ratio exprimendi, maximis laborat difficultatibus, quia non servat leges homogeneorum calculi differentialis, & quod caput est, non exhibet quæsitum, nempe rationem dx ad dy, seu subtangentialis ad ordinatam, in terminis ordinariis expressam; neque adeo ductu linearum assignabilium construi potest. Imo redit ad identicum. Nam juxta principium meum supra expositum, quantitas incomparabiliter minor alteri majori frustra additur, &, si hæc non evanescat (actu vel virtualiter) ipsamet abjici debet. Itaque in æq. 6, pro dy, dx, dz additis ad alia incomparabiliter majora, scribendo o, fiet $y^{x+o} + x.y^{x+o-1}.o. - y^x = o$; (7) hoc est abjecto o pariter & termino per o multiplicato, fiet $y^x - y^x = o$: quæ æquatio vera quidem, sed identica est, unde talis calculus non prodest. Quale quid ego quoque expertus sum, ut si sit $b^x = y$, posita b constante, tunc $b^{x+dx} - b^x$ erit $= dy$; & hanc dividendo per b^x fit $b^{dx} - 1 = dy : b^x$; & pro dx & dy ponendo o, fit $b^o - 1 = o : b^x$; seu $b^o - 1 = o$; seu $b^o = 1$, ut constat, ergo fit $1 - 1 = 0$. Sed talis identicismus in meo calculo differentiali evitatur. Interim non diffiteor obtulisse se mihi casus, ubi ista quoque calculandi ratio non prorsus negligenda sit. Verum ut videat *Clar. Nieuwentüt* meam methodum differentialem ad æquationes quoque, ubi incognita vel indeterminata ingreditur exponentem, (& quidem utiliter) porrigi, quas ego fortasse omnium primus considerandas Geometris proposui, cum meum Tetragonismum Circuli Numericum darem in *Actis Eruditorum anni 1682, mens. Febr.* attingam hoc

loco paucis, quod jam a multis annis habui, & ad summum Geometram *Christianum Hugenium* dudum perscripsi; nempe modum differentiandi æquationes exponentiales; quem Algorithmo meo olim publicato inserere non admodum necesse erat; ob talium expressionum raritatem & insolentiam, quæ, fateor, tanta est, ut ipse *Hugenius* eas ægre admiserit. Nec quisquam mihi notus est, præter ingeniosissimum *Bernoullium*, qui proprio Marte, me non monente, & ipse in calculo differentiali huc pervenerit, atque ad hæc penetrarit, quæ *Hugenius* per jocum hypertranscendentia appellabat. Nempe sit $x^v = y$ fiet $v.\ log.\ x = log.\ y$; jam $log.\ x = \int, dx:x$ & $log.\ y = \int, dy:y$. Ergo $v.\int, d:x = \int, dy:y$: quam differentiando, fit $v\,dx:x + dv.\ log.\ x = dy:y$. Porro v debet dari ex x & y, ambobus vel singulis, ergo scribi potest $dv = m\,dx + n\,dy$, & m pariter atque n dabuntur ex x & y, & prodibit: $v\,dx:x + log.\ x.\ m\,dx = dy:y - \overline{log.\ x.\ n\,dy}$, & fiet dx ad dy (seu subtang. ad ordinatam) ut y ad $\overline{\frac{v}{x} + m.\ log.\ y}$. Itaque habetur modus ducendi tangentem talis curvæ, ex supposita hyperbolæ quadratura vel Logarithmis; pro generali autem differentiatione exponentialium sufficit Algorithmo meo hunc canonem ascribi: $d.\,x^v = x^v,\ \frac{v}{x}\,dx + dv.\ + dv.\ log.\ x$ Unde si v sit constans numerus, ut e, prodit $d.\,x^e = x^e\,\frac{e}{x}\,dx$ id est $e.\,x^{e-1}\,dx$: quod est theorema nostri Algorithmi, pro differentiatione potentiarum vel radicum, dudum traditum

Superest, ut *tertiam Viri Clmi* difficultatem paucis absolvam, contra differentiationes scilicet successivas, seu quantitates differentio-differentiales. Itaque ipsas $d\,d\,x$ non putat admittendas, nec esse quantitates, quia per infinitum numerum multiplicatæ non dent quantitatem ordinariam. Sed sciendum est omnino eam prodire, ut ad primam difficultatem jam monui, si numerus multiplicans sit infinitus altioris gradus. Et res sane etiam aliunde multis modis confici potest. Nam quotiens termini non crescunt uniformiter, necesse est incrementa

menta eorum rursus differentias habere, quæ sunt utique differentiæ differentiarum. Deinde concedit *Cl. Autor*, dx esse quantitatem; jam duabus quantitatibus tertia proportionalis, utique est etiam quantitas; talis autem, respectu quantitatum x & dx, est quantitas ddx; quod sic ostendo. Sint x progressionis Geometricæ, & y arithmeticæ, erit dx ad constantem dy, ut x ad constantem a. Seu $dx = x\,dy : a$. Ergo $ddx = dx\,dy : a$. Unde tollendo $dy : a$ per æquationem priorem fit $x\,ddx = dx\,dx$: unde patet esse x ad dx, ut dx ad ddx. Et continuata progressione Geometrica etiam reliquæ differentiæ ulteriores ordine prodeunt. Et generaliter in progressione Geometrica non tantum series differentiarum ejusdem gradus, sed & series transitus seu differentiationum, geometricæ est progressionis. Sed & harum differentiationum successivarum veritas usúsque rebus ipsis confirmatur. Nempe, ut jam alias notare memini, quantitas ordinaria, quantitas infinitesima prima seu differentialis, & quantitas differentio-differentialis, vel infinitesima secunda, sese habent ut motus & celeritas, & solicitatio, quæ est elementum celeritatis. Motu describitur linea, velocitate elementum lineæ, solicitatione (velut initio descensus a gravitate, vel motus a conatu centrifugo) elementum elementi. Et in ipsa Geometria quantitates ordinariæ sunt pro vulgari algebra, differentiales primi gradus referuntur ad tangentes seu linearum directiones, sed differentiales ulterioris gradus ad oscula, seu linearum curvedines; quod etiam jam notare memini. Finiam, ubi hoc unum adjecero, mirari me, quomodo *doctissimus Nieuwentüt* credere potuerit, ex nostris principiis sequi hoc absurdum, quod in omni curva subtangentialis sit ordinatæ æqualis, *Consid. p. 19.* Sit curvæ elementum dc; erit $dx\,dx + dy\,dy = dc\,dc$, ut constat. Ergo differentiando $dx\,ddx + dy\,ddy = dc\,ddc$. Si jam dc constans fit $ddc = 0$, & fit $dx\,ddx + dy\,ddy = 0$, sed hac differentiali in summatricem rursus versa ait prodire $\frac{1}{2}dx\,dx = \frac{1}{2}dy\,dy$: adeoque $dx = dy$, quod utique absurdum est. Si talibus uteremur calculis, quomodo eorum ope tot veritates detexissemus? Sed respondeo summando seu versa differentiali in summatricem, proditurum $\frac{1}{2}dx\,dx + \frac{1}{2}dy\,dy - \beta\,dc = 0$, seu constantem areolam esse subtrahendam, alioqui fieret non quidem $dx\,dx = dy\,dy$, sed potius $-dx\,dx = dy\,dy$, seu $dy = dx\sqrt{-1}$: quæ est æquatio

nio impossibilis, quod indicat β non debere esse o, sed habere signum —, & esse quantitatem constantem, quæ non alia est, quam $\frac{1}{2}dc$, quia ipsam dc, posuimus constantem. Unde redit æquatio initio posita $dxdx + dydy = dcdc$; prout oportet. Et simili abusu calculi differentialis laboratur *Consid p. 21*; nec mirum est hoc modo calculum non esse tutum, aut incidere in absurda. Sic & in ipso tractatu majore seu *Analys. inf. c. 8, p. 283*, ponit triangula characteristica ejusdem curvæ, modo numero sint finita & serie non interrupta sese consequantur, esse similia inter se; unde facile infert, positis elementis abscissarum æqualibus, etiam elementa ordinatarum &c. fore æqualia. Sed cum ubique curva directionis suæ inclinationem mutet (alioqui non curva, sed recta foret) etiam anguli continue, licet insensibiliter seu per discrimina incomparabiliter parva, mutantur. Qua de re me quoque olim ratiocinationes instituere memini. Difficultas quoque objecta *Consid. p. 20*, contra triangulum, cujus basis est altitudine incomparabiliter minor, ejusdem est commatis: id enim pro isoscele habetur, quia differentia inter altitudinem & hypotenusam incomparabiliter parva est, perinde ac differentia inter radium & secantem anguli infinite parvi. Sed hæc sufficere judico, & ipsi *Clmo Nieuwentiit* satisfactura spero; qui si ingenium & doctrinam magis ad augenda, quam retractanda hæc studia vertere volet, haud dubie præclara dare poterit, quemadmodum ex his ipsis speciminibus judicare licet.

MARTINI LISTER EXERCITATIO ANATOMICA, in qua de Cochleis, maxime terrestribus, & Limacibus agitur. Omnium dissectiones tabulis æneis illustrantur.

Londini apud Sam. Smith & Benj. Walford, 1694, in 8.
Constat plagulis 14, & Figurarum Tabulis 8.

QUo iis cumprimis *Autor celeberrimus* satisfaciat, qui in universali Conchyliorum Historia magnis sumptibus a se confecta & a Nobis *Supplem. Tom. 2, Sect. 5, p. 245*, recensita aliquam animalium illorum anatomen desiderant, exactam hic Cochlearum terrestrium, testacearum pariter atque nudarum sive Limacum, proponit dissectionem, conchylia reliqua, ubi DEUS vitam sanam otiumque concesserit, forsan posthac itidem evoluturus. Licet namque Franc. Redi & Harderus

derus recentissime in cochlearum anatomia perpolienda indefessam locarint operam; aliam tamen & diversam plerarumque partium, tam externarum, quam internarum, maxime genitalium, descriptionem & explicationem in præsenti suggerere Noster sine negotio deprehenditur. Scilicet uti externa prius cernuntur internis, ita partes ante omnia externas, quæ in cochleis terrestribus & limacibus integris mox in oculos incurrunt, qualesque pes, rugæ sulcatæ, cornua, os sive labra, meatus externi naturaliter aperti, collare in domiportis cartilaginosum, scapularisque in limacibus plagula, atque testa, existunt, solicite examinat, usum alium de copioso rugarum muco, alium de liquida materia, qua collare domiportarum cartilaginosum scatet, enuncians. Ille quippe cochleas non modo contra aeris injuriam, sed & aliorum animalium deprædationem dicitur defendere; hæc vero operculo testæ efformando inservire. Hinc ad partes interiores quadruplici sectione detegendas accedens, in prima harum ligamentum sive fasciam conicam, nutrimentum ad testam transmittentem, membranam dorsalem seu branchialem, e cavitate sua notabili aerem & interdum humorem spumescentem copiose per foramen pro lubitu clausile eructantem, viscus cinereum intra cellulas utriusque suæ partis humorem quendam chylosum recondens ac pulmonum fortassis vices sustinens, cor & pericardium cum venis arteriisque & liquore contento subcæruleo admodum liquido, ossiculum denique munimenti causa cordi in omnibus limacibus superinjectum, nigro excepto materiam solum cretaceam inter cor & cucullum obtinente, attentius perlustrat, cochlearumque vivacitatem & motum cordis experimentis nonnullis confirmat. Tum ut persuadeat, pulmones ad superabundantes venas continendas primario facere, digressionem de piscium & cochlearum respiratione instituit prius, quam partium in cochleis differentem a perfectioribus animalibus positionem, ac in specie caput e crassis & cartilaginosis musculis sine cerebro compositum, dentem, cœcam ad mentum fistulam, omentum, gulam, ingluviem, ventriculum, intestina atque hepar demonstret, ac cochlearum victum ejusque concoctionem, succi item vitalis motum & naturam explicet. Hepar, veteribus meconium dictum, in animalculis istis pro meris intestinorum reputat appendicibus, non tam bilem secernentibus, quam promtuarium chyli præbentibus, cibi digestio-

nem instar receptaculi perficientibus chylumque per venas ad cor amandando vasorum lacteorum munere fungentibus. De liquore autem vitali agens Glissonium, qui ostrearum succum æstate a calore nimio in sanguinem mutari asserit, non minus ac Lowerum, sanguini venæ pulmonalis colorem magis coccineum, quam reliquo venoso, attribuentem redarguit, quod ostreæ in regionibus multo calidioribus haud sanguineæ habeantur, e diverso multa animalia frigida sanguinis tinctura saturata gaudeant, insufflatio vero pulmonum mediantibus follibus violentior longe sit respiratione naturali mitissima, adeoque turbas tantas non excitet, nisi in æmulationem cordis systoles, quæ ordinario sola, aerem non æque per pulmones ac per eandem cum chylo viam advenientem intimius cum sanguine miscendo, coccineum huic colorem conciliet. Porro sectione tertia cochlearum, veluti androgynarum, organa generationis duplicia, id est, uterum cellulatum cum vagina, funda jaculatoria, appendiculis sive folliculis cirratis, ligamento vermiculato, lacte seu glandula uterina, infundibulo & ovario, pariter atque penem flagelliformem & capreolo, nodo, tendine, vase deferente, ac testiculo stipatum, cura omni extricat, rationem superaddens, cur cochleæ vesica & renibus destituantur, genitalibus autem utriusque sexus gaudeant, & Venerem stimulare credantur. In ultima demum sectione, musculis sive tendinibus nervosis in unum nodulum, tanquam spinalem forsan medullam, coeuntibus cuteque tota tendinosa consideratis, undulationem in cochlearum & limacum progredientium pede observabilem explanat, causamque inediæ earum hyberno potissimum tempore triplicem dictitat, minorem nempe transpirationem ceu animalculorum frigidorum, fluidiorem contra succum vitalem atque voluntariam actionem cordis. In Mantissa tamen Anatomica annexa, qua observationes nonnullæ circa tres cochleas diversas media hyeme dissectas memorantur, ac animadversiones quædam quoad auriculæ & venarum in piscibus magnitudinem, usum lymphæ & chyli eorumque ductus, nutritionis rationem, fœtum in aliquibus animalibus exponendi necessitatem ob uteri angustias, animalium in sanguinea & exsanguia divisionem, innuuntur, eandem inediam accuratæ testarum occlusioni, vitalis succi ab aere jacturam impedienti, præcipue fert acceptam.

Tan-

Tandem ipsis Figurarum tabulis Appendiculam de quibusdam polypi, loliginis & sepiæ visceribus, ex Aldrovando, Swammerdamio & Francisco Redi adjungit.

ΟΡΘΟΔΟΞΟΣ ΟΜΟΛΟΓΙΑ ΤΗΣ ΚΑΘΟΛΙΚΗΣ ΚΑΙ ΑΠΟΣΤΟΛΙΚΗΣ ΕΚΚΛΗΣΙΑΣ ΤΗΣ ΑΝΑΤΟΛΙΚΗΣ.

hoc est:

Orthodoxa Confessio Catholicæ atque Apostolicæ Ecclesiæ Orientalis, interprete Laurentio Normanno.

Lipsiæ apud Joh. Thom. Fritsch, A. 1695. in octav.

Constat 2. alphabet.

Inter Ecclesiæ Græcæ seu Orientalis Confessiones, quæ typis exscriptæ prostant, hæc a *celeberrimo Academiæ Upsaliensis Professore atque Theologo*, NORMANNO, primum Latine reddita, est recentissima. Primum illa in Belgio Fœderato Græce tantum A. 1662. publico Præpotentium Ordinum sumtu excusa, paucioribus innotuit; quod exemplaria ejus maximam partem Constantinopolim, ut Græcorum Christianorum usui inservirent, transvecta essent. Sed τὸ πρωτότυπον ejusdem Patriarcharum Græcorum subscriptionibus confirmatum anno 1671. ad Legatum Galliæ Regis in Porta Ottomannica, Marchionem de Nointel, miserat Panagiota, primus Turcarum Imperatoris interpres, testantibus epistolis, quas *doctissimus Editor* in præfatione operis hujus allegat. Ipse autem primum exemplar ab illustri Sparwenfeldio, in quo paginis adversis cum Græca typis exarata, tum Slavonica calamo descripta habebantur, mutuo accepit, ut describeret, Latinamque adderet interpretationem. Cum hoc exemplar Belgicum supra memoratum contulit, & accurate indolem Græcitatis vulgaris, qua Confessio exarata fuit, versione Latina expressit. Cæterum ex Patriarchæ Hierosol. Nectarii præfatione adparet, condendæ hujus Homologiæ auspicia quidem sibi non immerito vindicare Petrum Mogilam, Metropolitam Kioviensem, Thronique Constantinopolitani Exarchum illustrem; sed ex eadem porro Nectarii, alteraque Dionysii præfatione ac Synodi Hierosolymitanæ testimonio simul patet, conceptæ inter Russos Confessioni rudi adhuc & impolitæ limam potissimum admovisse Meletium Syrigum Hieromonachum & Ecclesiæ CPtanæ Theologum eximium. Quam deinde quatuor se dium,

um, quas vocant, Apostolicarum successores Patriarchæ perlustrarunt, examinarunt, ac subscriptione, tanquam communem Græcorum Christianorum confessionem adprobarunt. Quapropter etiam pro Catechismo Orientalis Ecclesiæ Græcæ & Slaweno-Russicæ habetur, methodo quippe catechetica per quæstiones & responsiones adornata: in qua fidei articuli, quos Græci hodie profitentur, planis verbis proponuntur. Observare tamen inde licet, quod Græci a Pontificiis, quæst. LXVI. in doctrina de Purgatorio, & aliis etiam dissentiant, pristinosque errores, imprimis περὶ ἐκπορεύσεως τοῦ ἁγίου πνεύματος ἐκ μόνου πατρός, adhuc defendant. Nos amplissimo hujus Homologiæ interpreti vitam fortunamque secundam adprecamur, ut quos in veteres Grammaticos, & alios scriptores Græcos, prælo paratas habet animadversiones ac indices, orbi erudito impertiri ipsi liceat.

FRANCISCI BURMANNI TRACTATIO DE PASSIONE JEsu Christi. Accedit Sermo ejusdem inauguralis de Doctrina Christiana Ecclesia Novi Instrumenti per omnia secula. Ex Museo JO. A LENT.

Herbornæ, sumtibus Jo. Nicolai Andreæ, A. 1695. in 4.
Constat Alphab. 1. plag. 16.

FRancisci Burmanni, cujus Academicas Exercitationes in Sectione nona Tomi primi Supplementorum p. 455. sqq. late recensuimus, mentio nunc repetita exigitur, postquam haud incelebris inter Nassovicos Theologus, *Jo. a Lent*, bigam hanc scriptorum, abs eo mortuo inter alia relictorum, usui communi exponere dignatus est. Iis autem optimo ac laudatissimo consilio præmisit orationem funebrem a Viro amplissimo, Jo. Georgio Grævio, in Burmannum olim habitam, quæ ut doctrinæ ac virtutum in eo repertarum elogiis abundat pluribus, ita insuper hunc vitæ ejus cursum repræsentat, ut natus ille perhibeatur anno seculi labentis duodetrigesimo Lugduni Batavorum, quorsum e Palatinatu & urbe speciatim Franckentalia (ubi patrem Pastoris functum ait munere,) parentes, & matrem quidem gravidam, exilii necessitas detulerit. Eadem deinceps civitas, quæ prima nascenti receptacula concesserat, primam quoque juventutem sub Festi Hommii auspiciis erudivisse traditur, quam tamen adultior paulo factus & ad

ad obeunda munia præclara aptior, ætatis ſuæ anno tertio & vigeſimo relinquere neceſſum habuerit, Hanoviam nimirum ad præfecturam illius Eccleſiæ ſolenniter vocatus. Ibi cum per tempus aliquod ſacri hujus officii partes expleviſſet, Lugdunum ad Rectoris ſcholaſtici ſpartam revocatus, ac tandem vix anno unico vertente in Academia primum, poſt etiam in Eccleſia Ultrajectina, Theologi functione ornatus dicitur. Inter libros ab eo editos Syntagma imprimis celebratur Theologicum, quod in tanta habeatur dignatione atque pretio, ut in multis quoque ſcholis academiisque Belgicis, Germanicis, Pannonicis, publice ac privatim explicetur. Cæterum is finem jam vivendi fecit, cum annis adhuc aliquot a quinquageſimo abeſſet, anno quippe 1679. II. Id. Novembris defunctus.

Quantum vero ad ſcripta iſthæc poſtuma nunc attinet, de iis, quod dicamus breviter, hoc ſuppetit. Primum eorum ſuccincta eſt tractatio de paſſione Chriſti, cujus integram hiſtoriam Burmannus ſic recenſet, ut veſtigia Matthæi Evangeliſtæ preſſe inſequatur, enarratione propemodum nonniſi paraphraſtica uſus, cui immiſcetur frequens antiquitatum, quibus ea certe omnium eſt refertiſſima, ſcrutinium, & circumſtantiis quibusque principalioribus varia ſubjiciuntur poriſmata, ac uſus inde deducuntur practici, ad eum fere modum, quo in Harmonia paſſionis quondam proceſſit ὁ μακαρίτης Sagittarius; quo tamen multo brevior eſt Noſter, qui etiam in decidendis quæſtionibus vexatis parum commoratur, ſententias vulgares, & eas quoque interdum omnibus non ſatis probatas, tenuiſſe contentus: velut ubi apparentem inter Evangeliſtas de hora crucifixionis pugnam ita tollendam arbitratur, ut in Johanne mendum, & pro ἕκτη legendum eſſe τρίτη reputet; ubi tenebras tempore paſſionis ingruentes Judæam duntaxat obumbraſſe; ubi ſanctos poſt Chriſti reſurrectionem e ſepulchris prodeuntes ad Lazari exemplum rurſus mortuos exiſtimat &c.

Tractationem hanc Oratio muneris apud Ultrajectinos Theologici auſpicatoria mox excipit, inque ea univerſam Eccleſiæ Novi Teſtamenti faciem ita delineari cognoſcimus, ut, quo pacto doctrina Chriſtiana cum ſuo capite exorta poſt adoleverit florueritve, varie deinceps interpolata & incruſtata tandem quaſi conſenuerit, ac denique majorum noſtrorum tempore nova velut juventute ei reddita revi-

xerit, in compendio quodam, ſed ſolido concinnoque, doceatur. Laudata enim fide primorum ſeculorum ſimpliciſſima ac vere Chriſtiana, & nominatis moribus, quos uſurpare fideles tunc conſueverint, rectiſſimis, ad hæreſes ſimul irruentes progreditur, impugnatamque a variis divinitatem æque ac humanitatem Servatoris, poſtulatam cerimoniarum legalium obſervationem, tetram libidinum confuſionem, Stoicam neceſſitatem in bonis malisque actionibus defenſam, aliasque iſtiusmodi hæreticas opiniones memorat. Nec prætermittit ſchiſmata Eccleſiam quæ diſtraxerunt, quale primum illud maximumque fuit de die Paſchatos; itidemque illa Africanorum cum Europæis de hæreticis rebaptizandis altercatio; quale porro Catharorum ſeu Novatianorum effecit immodeſtia, negantium recipiendos eſſe, qui poſt baptiſmum peccaverint & pœnitentiam egerint. Quibus enarratis in decimæ gentiliumque ultimæ ſub Diocletiano & Collegis ortæ perſecutionis memoria periodum Eccleſiæ primam concludit; ſecundam exorſus ab ævo Conſtantini M. quo Chriſtianiſmus publice receptus & cum Imperio Romano in hoc ſequentibusque Imperatoribus conjunctus fuerit. Ad quem vero modum in ea pariter ac ultima periodo, quam Eccleſiæ reformatione inchoat, delineanda ſeſe geſſerit, non opus eſt, ut jam prolixe indicemus, quandoquidem ex allatis modo ſpeciminibus pronum quoad reliqua judicium formari poſſe minus dubitamus.

EXCERPTUM EX LITERIS P. W. AD ACTORUM EDITORES.

(Conferantur Acta Eruditorum proximi menſis Junii pag. 290. ſeqq.)

CÆterum Domini *Cevæ* inſtrumentum, cujus deſcriptionem Actis Eruditorum inſeruiſtis, in memoriam mihi revocavit Circinum, ad eosdem uſus excogitatum ab illuſtri viro D. T., cujus fabricam ille jam A. 1675 Pariſiis cum Clar. Clerſelerio aliisque, & ex Gallia redux mecum quoque communicavit. Illa vero ita ſe habet. AB & AC ſunt duæ regulæ mobiles circa axem in A, regulæ autem parvæ GD, DH, HE, EI, &c. ſingulæ ſunt æquales parti AG. Et GD quidem circa axem fixum in G eſt mobilis, reliquæ vero circa D, H, E, I, axes mobiles in regulis AB, AC, poſſunt rotari. KF eſt arcus æneus in gradus & minuta diviſus, mobilis quoque in linea AB.

TAB. V. *Fig. 4.*

Si

Si ergo datus fuerit angulus Kef, secandus v. g. in quinque partes æquales, fiat KF æqualis Kf, & arcus firmetur in K, F autem promoveatur in regula AB, donec I attingat regulam AC: erit BAC quinta pars anguli propositi. TAB. V. *Fig. 5.*

Cum autem ejusdem instrumenti simplicissimi ope quotcunque mediæ proportionales inveniri quoque possint, patet omnia problemata superiorum graduum, quorum constructiones ad angulorum sectiones aut mediarum proportionalium inventionem reduci solent, eo mechanice posse resolvi.

SPECIMEN UNIVERSÆ REI NUMMARIÆ ANTIQUÆ, quod Literatorum Reipublicæ proponit ANDREAS MORELLIUS Helvetio Bernas.

Cui accesserunt

EZECHIELIS SPANHEMII ad eundem Epistolæ quinque.

Lipsiæ apud Joh. Thom. Fritsch. 1695. in 8.

1. alph. 18. plag. tab. æn. 8. n. 26.

QUum prima hujus Speciminis editio anno 1683 Parisiis prodiisset, argumentum omne ac institutum Auctoris celeberrimi breviter recensuimus in Actis anni 1684. p. 331. 333. optavimusque, ut mox opere incomparabili donaretur orbis eruditus. Verum quum fata doctissimi MORELLII iniquiora, ad alia omnia interim eum flexisse crederemus, vix habuimus certe quod speraremus, nisi anno præterlapso ex Galliis redux in patriam, & in nostras terras deinceps delatus ipse, nova Speciminis sui apparatione ostendisset, data sibi nunc ærumnarum laborumque omnium quiete, animum conatibus perficiendis nondum deesse, quin potius approbatione clarissimorum Virorum, atque gazarum ditissimarum usu, egregie indies confirmari. Itaque ut de tota re plenius innotescat, dum alia quasi jam Speciminis facies ac ratio videtur, passim quippe vel aucti, vel ubi opus fuit immutati emendatique, operæ facturi pretium sumus, si calamo, frænis paulum laxatis, campum nunc quidem aperiamus, quo liberius currendo sese exerceat.

Plurimos quidem amore ait in æs vetus nummosque, rerum olim gestarum testes certissimos ferri, sed eosdem rursus comparandorum illorum difficultate, vel invidia possessorum, negatove usu, p. 1.

 inter-

p. 2. interdum a proposito deterreri. Ut huic malo præsens remedium adsit, se olim cogitare cœpisse de cogendis colligendisque in unum corpus nummis omnibus, aut majori saltem eorum parte, qui in Europæ gazis conclusi serventur, delineatis ac in æneas laminas insculptis. Quod opus & ob amplitudinem suam sumtusque impendendos, & itinera, judiciique acrimoniam, conciliandamque eorum, qui nummos possident, indulgentiam, ac delineandorum exponendorumque numismatum accurationem, privati hominis vires videri possit excedere,
p. 3. præsertim cum præstantissimi Viri, *Hubertus Golzius*, *Adolphus Occo*, & qui hujus labori manum auxiliatricem denuo anno 1683 admovit, illustrissimus Comes *Franciscus Medicbarbus Biragus*, aliique dehinc quamplurimi, conatuum suorum successus non habuisse speratos
p. 4. censeantur. Se tamen, quicquid etiam obstare posse visum fuerit, aggressum esse opus istud, omnium numismatum commune quasi
p. 5. quoddam receptaculum futurum, variis inductum causis, quas exponit, studiumque suum memorat prorsus singulare, & insitam quandam inclinationem, qua vix adolescentiæ fines egressus delineare nummos cœperit, iisdemque ad librorum fidem revocatis vehementer de-
p. 5. 6. lectari; *Caroli* deinceps *Patini*, commode tunc in Helvetiis aliquandiu commorati, benevolentia ac facilitate, magis autem adhuc Regis Galliarum, & Magnatum aliorumque clarorum Virorum gazis, permissoque earum usu ac perlustratione, tum denique eorum, qui in ædibus Illustrissimi & Excellentissimi Ducis AUMONTII historiæ Rom. per nummos illustrandæ gratia tum temporis convenerint, mo-
p. 8. nitu excitatum. Neque quicquam se dimoveri passum esse a proposito injuriis a *Marchione de Louvois* sibi illatis; sed & futuri quasi sollicitum se & cautum, extantiorum numismatum ectypa in patriam misisse, antequam carceri Lutetiano includeretur; atque adeo quum in priori Specimine *viginti millia* nummorum promiserit, se nunc affirmare posse, quarta parte istum numerum esse auctum, eumque
p. 9. longe majorem, quam quem vel Wolfgangus Lazius, (cujus errorem admissum notat) vel Carolus Patinus dederunt. Jamque destinata se perfecturum sperat, præsertim postquam a Celsissimo Domino
p. 10. ANTONIO GUNTHERO S.R.I. Comite de SCHWARTZBURG cimeli-
p. 11. archii sui (quod vere regium vocat) curam ut susciperet, clementissime

Fig. 8.

Fig. 11.

Fig. 13.

Fig. 14.

Fig. 9.

Fig. 15.

Fig. 19.

Fig. 18.

Fig. 16.

Fig. 17.



UNIVERSIDAD CENTRAL
BIBLIOTECA
DERECH

fime fuerit invitatus. Quibus expofitis, inftituti fui reddit rationem, aitque, quum *quatuor* potisfimum antiquorum nummorum fint genera, p. 12. *Nummi* videlicet I. *Regum, urbium, populorum, qui nullam Imperatorum R. habent effigiem vel nomen, & quorum pars maxima ante Cæfarum imperium eft percuffa*; II. *Confulares, feu familiarum Romanarum*; III. *Imperatorum Romanorum*; & IV. *Nummi Hebraici, Punici, Parthici, aliique infcriptionibus deftituti*; quibus adjungi posfint *Gallici, Hifpanici, Gothici, Arabici*; fe tamen Imperatorum Rom. nummos, quorum quippe & major fit copia & ufus extantior, inverfo rerum ordine, ac ratione temporis paulum immutata, *primo Tomo* exhibiturum & ita p. 13. difpofiturum effe, ut aufpicia fiant a Julio Cæfare, ferie nummorum Latinorum æque ac Græcorum ad Heraclium ufque deducenda, ad annorum quidem, quantum licet, notas, eorumque *κεϱάμεια*, juxta methodum Occonis; cæteri vero iisdem jungantur, prout vel fimilibus vel diverfis gaudeant infcriptionibus; capita eadem diverfis effigiebus p. 16. (*revers*) juncta, ad evitandam repetitionis moleftiam, numerorum beneficio combinentur; & nummi ad fuam finguli molem & orbem, quo gaudent percusfi, exprimantur; tabulasque, quæ num- p. 18. morum figuras exhibent, a reliquo opere feparatas, brevis eorun- p. 19. 20. dem fed accurata defcriptio excipiat, notis, ubi opus fuerit, illuftranda; & porro, ad majorem Lectoris utilitatem compendium adda- p. 21. tur Chronologicum ad nummorum fidem exactum; fingulis autem annis adfcribantur nomina Confulum, Imperatorum, etiam Confulatus, Tribunitia poteftas, & Imperatoria appellatio, anni reparatæ falutis, mundi & Romæ conditæ, præcipua infuper Imperatorum gefta, aliaque in nummis quæ funt obvia; & denique indices rerum, verbo- p. 22. 23. rum ac nominum copiofisfimi totum opus claudant.

His dictis pergit ad nummos illos, quos in Specimine hoc tabulis fex & viginti repræfentavit, ad eam rationem, quam fibi in majori opere præfcripfit, exponendos; quos delibabimus, rariores fimul aliquot tabula peculiari exhibituri. Tabulis tribus prioribus ex- TAB. VI. tant quidam nummi ænei maximi moduli; & Tabula quidem I. nume- *Fig. I.* ro 1. exhibetur nummus, una facie referens caput Antonini Pii lau- p. 25. reatum, averfa Cererem in bigis draconum accenfas tenentem faces, cum infcriptione: ΚΟΙΝ..Ν ΓΙ ΠΟΛΕΩΝ ΠΡΟΔΙΚΟΥ ΟΝΤΟΣ Κλαυ-

δίκ ΦΡΟΝΤΩΝΟΣ ΑΣΙΑΡΧΟΥ ΚΑΙ ΑΡΧΙΕΡΕΩΣ ΓΙ ΠΟΛΕΩΝ. id est: *Commune* ſive *Concilium tredecim urbium*, *Curatore exiſtente Claudio Frontone Aſiarcha & Pontifice tredecim urbium*; in quo vo-
p. 26. ces Γ. Ι ΠΟΛΕΩΝ ſeu *Concilium tredecim urbium*, repudiata Hardui-
p. 27. ni & Vaillantii conjectura, ad ΚΟΙΝΟΝ Ionum fortasſis ſpectare ait,
p. 28. quod totidem, quot in inſcriptione indicentur, tredecim nimirum urbibus conſtaret, & quodnam illud officium *Aſiarcharum* fuerit,
p. 30. enarrat, loco Actor. Apoſt. cap. XIX. 31. lucem inde accendi poſſe
Fig. II. exiſtimans. *Alter* Tabulæ I. nummus ex gaza Schwarzburgica depromp-
p. 30. 31. tus refert caput Veri laureatum, & in parte averſa Æſculapium in bigis a Centauris, ingentes faces tenentibus, vectum, Epiſtolarum annexarum *quarta* ab illuſtri Spanhemio declaratus; cujus ſingularem benevolentiam in commendando ſuo opere, & concilianda Potentisſimi ELECTORIS BRANDENBURGICI gratia & munificentia, adjutore Sereniſſimi Herois ſupremo Adminiſtro & Conſiliorum Principe, eruditorum hoc ævo Mæcenate, *Eberh. Dankelmanno*, extollit, qui pro innato erga literas elegantiores ſtudio Celſiſſimum Herum ſuum, iſtas non modo amore & gratia, verum etiam ingenio complexum, verumque Germaniæ & ſæculi noſtri AUGUSTUM permoverit, ut magnifica liberalitate inſtitutum hoc cœptumque Numiſmati-
Fig. III. cum opus proſequeretur. *Tertius* hujus Tabulæ nummus præſtantisſi-
p. 33. mus dicitur & ſingularis, in theſauro Schwarzburgico, perinde ab Ill.
p. 37. 36. Spanhemio d. l. explicatus. Tab. II. nummi priores duo Epheſiorū *Neocorum* referunt; qua occaſione Auctor de Neocoris populis & civitatibus
p. 39. 40. commentatur, quædam etiam de Diana Epheſia & Feſtis in ejus honorem habitis profert. Tab. III. tres exhibet nummos *conturniatos*, quo
p. 43. nomine Italis venire dicit, qui ab initio nullum additum habuerunt cir-
p. 44. culum, ſed quibus, poſtquam fuerunt percuſſi, circulus excavatus,
Fig. IV. tortili modo eos ambiens, acceſſit. In eorum primo effigies L. Apule-
Fig. V. ji; in altero Terentii repræſentatur. In Tabula IV. & ſeq. exhibentur nummi maximi moduli ex auro & argento conflati, inter quos cum rarisſimos eſſe Peſcennii Nigri affirmet, vel hunc cumprimis, quem Clar. Vaillant a Wilhelmo Falcknero Anglo triginta aureis emtum
p. 51. poſtea theſauro Regio intulit, magni facit. Repræſentatur in ejus aver-
Fig. VI. ſa parte aquila expanſis alis clavæ inſiſtens, cum inſcriptione: ΠΡΟ-

ΝΟΙΑ

ΝΟΙΑ ΘΕΩΝ, *Providentia Deorum.* Dumque Tab. V. num. I. nummum quendam Tiberii singularem & præstantissimum affert, Illustrissimo Comiti Schwarzburgico ab Abbate *Bizot* donatum, hunc ait mox totius orbis Christiani nummos, quos appellant modernos, justis voluminibus complexurum; ROMAM autem & VIRTUTEM eodem habitu iisdemq; additis signis in nummis depingi observat, quia ΡΩΜΗ Græcis idem quod Latinis VIRTUS significet. Occasione nummi Severi Imp. Tab. VI. quædam eorum Imperatorum exempla recenset, qui *Divos* & *Deos* se passi sint appellari. Monet dein, ut a fraudibus impostorum, qui subinde in concavitatem partis alicujus nummorum ferruminando capita alia inserere soleant, sedulo sibi caveant curiosi. Ostendit porro Tab. VII. circulos seu nimbos capita ambientes, & globum, imperii in orbem terrarum indicem, Constantini & quorundam præterea Imperatorum esse proprios; & vindicat notularum CON. OB. in nummis Romanis sæpe occurrentium explicationem, CON*stantinopoli* OB*signata*, autoritate *Du Cangii* in Diss. de inferioris ævi Numism. Sect. XLIIX. f. 35. Hos omnes sequuntur Tab. IIX. nummi quidam argentei, quos inter unum MARCIANAE mendosissime a Tristano editum restituit, & occasione inscriptionis in Hadriani Augusti nummo: PATIENTIA AVG. suæ quoque patientiæ in arce Bastiliana per tres annos exercitæ memoriam recolit. Tab. IX. notabilis est nummus, caput habens Juliæ Domnæ, & verba: JVLIA PIA AVGVSTA, & in parte aversa ejusdem effigiem stantem cum ramusculo & hasta, cum inscriptione: MATer AVGG (Augustorum) MATer SENatus Mater PATRiæ. Ubi plures ejusmodi titulos, in æmulationem maritorum datos *Augustorum Matribus* allegat, ut *Mater Deum*, *Mater Castrorum*; memoratque primum omnium Titi Julii Marcii Pacatiani Imperat. nummum reperisse & observasse *Petrum Rainssant*, Medicum Rhemensem, dum viveret, Versaliæ nummorum Regiorum custodem. Tab. X. explicat itinera Hadriani, & figuram Alexandriæ urbis, quæ elephantina galea exornatam & spicas protendentem mulierem repræsentat. Quædam porro docet de Epheso urbe, & officio γραμματέων, sive *scribarum*, qui & γραμματοφύλακες dicti, ac laudat R. P. Franciscum de la Chaize, qui LUDOVICO M. a Confessionibus & consi-

p. 54. p. 55. p. 63. p. 65. p. 75. p. 77. p. 81. p. 89. p. 93. ss. p. 100. p. 101. p. 103. p. 110. p. 113. p. 114. p. 116 p. 118

consiliis ecclesiasticis supremis est, velut antiquitatis nummariæ atque omnis eruditionis promum condum & assertorem indefessum, qui se quoque, quamvis a sacris ipsius alienum, benevolentia tamen & hu-
p. 119. manitate complecti non dubitaverit; rogat deinceps omnes rei nummariæ studiosos, ne nummos detritos temere & ex ingenio restituere
p. 124. ausint, quum hoc pessime sæpe cadere soleat. Tab. XI. jucundissimus est intuitu nummus, judicium Paridis qui exactissime refert, in Achate quoque Thesauri Brandenburgici scitissime sculptum conspicien-
p. 126. dum; neque injucunda sunt lectu, quæ de Nilo Ægypti fluvio & ejus
p. 129. figuris edisserit. Causam dein reddit, ob quam Israelitæ Ægyptiis abominandi fuerint visi, non tam quod essent pastores, quum & Ægyptii greges aluerint, quam quod pecudes Ægyptiorum Deos occiderent, mactarent atque comederent. Tab. XII. num. 1. meretur attendi num-
Fig. VII. mus ex Thes. Reg. Gall. qui ad Alexandri, famosi illius impostoris, dra-
p. 132. conis pullum ovo inclusum, postea spectante populo extractum & humanæ quid speciei referentem, Æsculapium esse mentientis, historiam seu potius histrioniam pertinet, fuse & eleganter a Luciano in
p. 135. Pseudomante T. 1. p. 746. edit. Cl. Grævii descriptam. In *nummi* autem *secundi*, Aurelii Veri Imp. ex ære magno & quasi maximi moduli, in Thes. Schwarzb. extantis explicatione, Cl. Vaillantiū falli ostendit Morellius, quando nullos ex ære magno post Domitianū conflatos numos existimet; tametsi non diffitetur, rarissimos tales existere, vixque unum aut alterum in cimeliis a se esse visum; neque de allegati tamen ingenuitate dubitari debere, quum ejus notam, nobilē videlicet æruginem, Italis *patina verde* dictam, quæ obscurum smaragdum mentiatur, præ
p. 142. se ferat. Tabula XIII. integra varios in honorem Severi & Caracallæ a variis urbibus, Ancyranis potissimum, cusos continet, ab illustri Spanhemio annexarum Epistolarum I. & II. uberrime explicatos. Tab.
p. 146. XIV. nummo 1. & 2. notari debent notæ monetales, *victoria* nempe
p. 148. *alata* & *trianguli* figuræ, & ea quæ affert Autor de nummis Siderum.
p. 155. Tab. XV. docet fide inscriptionis in aversa nummi parte, vocabula ΣΕΒΑΣΤΟΥ & ΑΥΓΟΥΣΤΟΥ promiscue in usu fuisse apud Græcos.
p. 160. Tab. XVI. affirmat Iliensium multos occurrere nummos, interque
p. 161. eos non paucos Hectoris imagine signatos; multos etiam extare Othones æreos genuinos, quorum fides in dubium vocari nequeat, in Thesau-

thesauro Regis Galliæ, quicquid contra illos disseruerit Henricus Thomas Chiffletius peculiari edita Diatribe, quem sententiam tamen suam postea immutasse narrat Patinus in Opere Numism. f. 131. Quæ deinde sequuntur, cultum ab Ægyptiis deum Serapin atque Dianam Λευκοφρύνην, & Venerem Paphiam, atque Apamæam Phrygiæ urbem, & Marsyan fluvium concernunt. Tab. XVII. *Magnificentiæ* vocabulum haud crebro in nummis occurrere ait, ac refert inter unicos nummum *Flaviæ Titianæ*, quæ Fl. Sulpiciani filia fuit, & uxor Pertinacis; una parte repræsentantem ipsius caput cum inscr. ΤΙΤΙΑΝΗ ΣΕΒΑΣΤΗ, in aversa vero Victoriam gradientem, mediam inter literas L. A. id est, Λυκάβαντος πρώτου seu A. Tab. XIIX. ex inscriptione nummi ΙΟΥΛΙΑ ΠΙΑ ΑΥΓΟΥΣΤΑ vocabulum *Piæ* etiam in Græcis nummis observari jubet, & commemorat, Virum omni eruditione præstantem *Hadrianum Auzout*, Gallum, cum Vaillantio & aliis amicis, scalis admotis Severi Arcum conscendisse, singulas literas examinasse, & foramina clavorum deprehendisse, quibus literæ nominis GETAE affixæ antea fuerint, PVBLIO SEPTIMIO GETAE CAESARI PONTIF. quarum loco postea, prioribus a Caracalla sublatis, substitutæ sint, OPTIMIS FORTISSIMISQVE PRINCIPIBVS, quas tamen utpote æreas barbari etiam sustulerint. Sed dum duas urbes *Juliopoleos* nomine quondam gavisas esse asseverat, unam in Bithynia, in Phrygia sitam alteram, & hanc quoque dictam *Gordiucome*, pagum potius, in quo Alexander M. nodum Gordium dissolvit, utramque tamen ab autoribus frequentissime confundi; haud illepide in fatis esse censet, ut nodum hæc urbs, etiam in cineres jam redacta, adhuc præbeat. Tab. XIX. tres Gratias in nummo Sabinæ Tranquillinæ exhibet, affirmatque Tranquillinæ numos, ac Latinos præsertim, rarissimos esse. Tab. XX. num. 4. nummulum istum ex Thesauro Ser. Ducis Cenomanensium (cujus clementiam erga se impensumque in nummariam rem amorem laudat) quo una parte caput Tiberii nudum extat, cum inscriptione: Τιβέριος ΘΕΟΣ ΣΕΒΑΣΤΟΣ ΜΥΤΙΛηναίων, & in aversa caput Liviæ, cum inscriptione: ΙΟΥΛίας ΘΕΑΣ ΣΕΒΑΣΤΗΣ ΜΥΤΙΛηναίων, rarissimum censet, & Tab. XXI. affirmat, Octaviæ, infelicissimæ uxoris Neronis, Claudii & Messalinæ filiæ, nummos raro admodum reperiri; adducitque Tab. XXII. num. 4. ex thesauro Regis Gall. elegantem nummulum in honorem Homeri

p. 165. p. 168. p. 178. *Fig. IIX.* p. 180. p. 182. p. 184. p. 186. p. 187. *Fig. IX.* p. 191. *Fig. X.* p. 204. p. 211. *Fig. XI.* p. 219.

Tt

meri a Nicæensibus cusum, in cujus una parte caput Commodi laureatum, & in altera Homerus sedens in rupe spectetur; & affirmat iterum, omnes nummos ejus Procopii, qui contra Valentem Tyrannus
p. 225. extitit, & Constantinopoli imperium exercuit, tandem a Valente in Phrygia oppressus, raro se conspectui offerre. Romanorum Imperatorum nummos excipiunt Tab. XXIII. quidam exterorum Regum,
Fig. XII. quos inter unus argenteus singularis esse raritatis censetur, in quo
p. 225. ex una parte caput Jubæ junioris Mauritaniæ Regis, cum inscriptione: REX JVBA; & in altera caput Cleopatræ, cum inscr. ΚΛΕΟΠΑΤΡΑ. Alter est Aretæ, Arabum seu Nabatæorum Regis; tertius Ar-
p. 227. sacidis, sed cujus dubium; & quartus Arabicus Salaho'ddini, quales
p. 229. Arabicorum usque ad LX in thesauro ædis D. Genovefæ ex collectio-
p. 230. ne Peirescii comparato abs *Claudio du Molinet* se vidisse, Molineti me-
p. 231. moriam simul recolens gratam, testatur Morellius, & dolet obitum *Ca-*
p. 232. *roli Catonis Curtii*, Ser. Cenomanensium Duci qui fuit a secretis consiliis, & tantũ Arabicorum nummorum numerum collegit, ut integram fere Calipharum Damascenorum seriem possideret, rogatque tandem Ser.
p. 233. Ducem, ne eruditos ejus labores perire patiatur. Tab. XXIV. unus est Pharnacis aureus nummus; alter Consularis, ab Ursino & Patino in Familia Antonia p. 32. minus accurate æri incisus, qui Triumvirorum,
p. 235. Augusti, Antonii & Lepidi capita refert; tertius perinde est Consu-
p. 236. laris Sullæ, ab Ursino in Familia Æmilia p. 13. & Julia p. 124. perperam
p. 241. expositus. Tab. XXV. agit de urbe *Pompejopoli* piratis frequentata,
p. 244. & ait, rarum esse in nummis *γερουσίας* nomen, frequens vero *συγκλή-*
p. 245. *του* pro *Senatu*. Tab. XXVI. qui primus est, eum Parthicum credit
Fig. XIII. Auctor, sed quum tamen, quid sibi velit, ignorare se fateatur, rogat curiosos, ut se edoceant; alter est Gallicus; tertius Hispanicus; & ul-
p. 246. timus omnium Punicus, quales ultra quinquaginta & plures cum variantibus inscriptionibus & literis se vidisse, ænigmatum vix solvendorum plenos, affirmat.

p. 247. Sub finem hujus Speciminis rogat Morellius eruditos omnes, ut sicubi sit lapsus, se moneant libere, modo absque ullo invidiæ aut ma-
p. 249. ledicentiæ studio id fiat, polliceturque iterum fidem in concinnando intra quinquennium opere integro prorsus intemeratam. Co-
p. 253. ronidis loco rationem nummorum antiquorum *ἐκτυπώματα* conficiendi, ichthyocollæ sive glutinis ex pisce, quem *antaceum* & *huso-*
nem

nem vocant, beneficio, quam R. P. *Joberto* S. I. Presbytero Parisiensi, eruditissimo viro, acceptam refert, exponit; ita scilicet instituendam, ut ichthyocolla in tot partes minutulas scissa, quot sufficere instituto videntur, illæ una cum superfusa aqua lento apponantur igni, ut sensim liquescant, & gluten inde temperatum existat ac tractabile; simul tamen, ut pellucidum fiat, spatula despumandum, idemque ad temperatum aera tepefactum nummo ita illinatur, ut & omnino tectus sit ille, & liquor supereminens crassitiem thaleri æquet; gluten vero aeri deinceps expositum nec calido nimis nec frigido, vel desiliat sponte, vel levi opera solvatur. Ectypon inde nascens exactissime typi, quem vestiverat, formam referre, jamque siccum quovis ferri, & epistolis inclusum quovis mitti posse affirmat.

Specimini huic Morelliano annexæ sunt *quinque* Illustris atque Excellentissimi EZECHIELIS SPANHEMII *Epistolæ* ad Morellium scriptæ, (quarum duæ priores extant quidem in editione Speciminis prima, sed plurimum nunc auctæ) quibus nummos quosdam & festorum ludorumque apud Græcos solemnia tam ingeniose explicuit, ut omnem antiquitatis eruditæ copiam animo vasto videatur complexus. Quem *Epistola prima* exponit, nummus Antonini Caracallæ est, qui ludos in honorem *Æsculapii* ab Ancyranis vel factos vel renovatos recolit. *Fig. XIV. XV.*
Ubi monet, ut in Deorum honorem instituti ludi, vocatique vel Ἀσκλήπια, Ἥλια, Ὀλύμπια, Ἀκτίακα &c. sic in Principum quoque honorem celebrata fuisse eorundem solemnia, & appellata Ἀλεξάνδρεια, Δημήτρεια, Αὐγούστεια &c. Asclepia vero dicta esse Σωτήρεια, ab Æsculapio *Sotere* seu *Servatore*, tametsi & eodem nomine veniant sacrificia ob recuperatam Principum salutem. Cum vero nummus voces Ἰσθ. Πύθια *Isthmia Pythia* indicet, *Pythia* inquit comprobatque testimoniis & exemplis alibi quoque quam Delphis, neque in solius Apollinis Pythii (quanquam inde origo sit ac nomen) honorem acta; sed & quidpiam simile in Olympicis deprehendi. Ut mirum adeo non sit, quare *Pythiis* in nummo allegato *Isthmia* & *Asclepia* conjungantur, quum utraque illa in Æsculapii *Soteris* dicti honorem solemni ritu ab Ancyranis instituta sint, ac inde ΑΣΚΛΗΠΙΑ ΣΩΤΗΡΕΙΑ nuncupata. Dumque de celebritate eorundem epochisque & institutione agit, spectatores Isthmiorum sub tentoriis egisse affirmat, simul inde vestigia veteris Hebræorum σκηνοπηγίας

p. 3. 4. p. 5. 6. 7. p. 9. p. 12. p. 14. p. 17. p. 18. 19.

Fig XVI. πηγίας percipi docens, adducitque nummum eximium Neronis ex
Fig. XVII. gaza Regia, cujus aversa parte *Neptunus Isthmius* signatur, cui nem-
p. 22. pe sacer ille agon; & alium sub L. Vero percussum, in quo ISTH-
p. 35. MIA coronæ inclusa; ostenditque porro amplius, quod & supra fecerat, quare in præclaris hujus Ancyræ nummis hi sacri Græcorum agones Isthmia & Pythia cum Asclepiis conjungantur; remque omnem eo deducit, ut haud uno certaminis genere celebrata olim fuis-
p. 36. se Deorum solennia apud Gentiles festa, inductosque in eadem agones Gymnicos, Equestres, Musicos, Scenicos etiam subinde, Tragi-
p. 37. cosque aut Comicos, & Poeticos, neque omnes tamen illos agones in Panegyribus Græcorum actos, sed alios in iisdem patrios velut ac domesticos, alios ἐπιθέτους seu adventitios habitos, asseveret; ex-
p. 39. 40. inde vero rationem reddat, cur Paulus I. Cor. IX. 24. & II. Timoth. IV. 7. quemadmodum etiam Actor. XX. 24. factum, ex tot agonibus Olympiacum solum, & quidem *Cursum*, in exemplum Christianis opponat, quoniam nempe *Cursus* certaminum Olympiacorum extite-
p. 46. rit nobilissimum & domesticum; & inde contigisse inquit, ut omni illo certaminum ac festivitatum genere celebrarentur apud Galatas Asclepia, Gymnicis quidem ac Poeticis, qualia in *Isthmiis* dicta sunt fuisse frequentata, Musicis autem citharœdorum vel πυθαύλων, quibus *Pythia* maxime nobilitabantur. Vasorum, quæ in ectypis num-
p. 51. morum conspiciuntur, figuras cum insertis palmæ ramis, aut cum mensis nonnunquam, quibus imposita aut addita eadem vasa, significare ait, consueta victorum in sacris illis Græcorum festis ac certaminibus
p. 53. præmia, crateres, amphoras, hydrias, phialas, lebetes: de palmæ quidem ramulis victoriæ signis dubium nullum esse, quum de iis etiam
p. 62. vulgo constet; explicari tamen inde posse, quæ Johannes Apocal. VII.
p. 65. 9. φοίνικας ἐν ταῖς χερσὶν αὐτῶν, & Paulus dicat I. Cor. IX. 24. 25. de
p. 66. βραβείῳ seu palma. Hæc autem præmia seu palmas a βραβευταῖς fuisse Hieronicis sive Victoribus datas; βραβευτὰς tamen diver-
p. 67. sos fuisse ab Agonothetis, quo nomine hi gavisi, qui ludos constituerant, sive munerarii, illis adeoque superiores. Quod autem plures
p. 70. una palmæ sæpe lebetibus insertæ conspiciantur, inde ait esse, quod
p. 74. plura certaminum genera plura quoque βραβεῖα requisiverint. Inde urbes recenset, in quibus vel Ἀσκλήπια fuere celebrata, vel Æsculapius templis sacrisque cultus, quemadmodum & Romæ fuerit Æscula-

Æsculapii & Hygiæ sive Salutis Collegium e LX viris constans, cujus statuta legantur in veteri marmore apud Sponium p. 52; tandemque suspicatur, aliquid magis peculiare in his Ancyranorum nummis sub Caracalla signatis subesse, quum frequens sit alias eorum nummorum copia, qui pro salute Imperatorum non solum sub anni initium, aut die eorum vel liberorum natali, vel redeuntibus in orbem Imperii Quinquennalibus, vota publice suscepta referunt; sed vel Principibus male adfectis, aut sanitati restitutis, aut alia forte data ejus rei occasione, idque pro singulari alicujus urbis aut gentis, Numini eorundem Imperatorum devotæ, vel privatorum quoque in Principem ac Benefactorem pietate, fuerunt cusi. Epistolam claudit historia Geographica urbis Ancyræ in Galatia sitæ. p. 78. p. 85. p. 85. p. 89. p. 90.

Epistola *secunda* explicat inscriptionem nummi Valeriani Imp. extantis in Tabula XIV. Speciminis p. 151, a Nysæis cusi, nec visi alibi hactenus aut vulgati; in qua monet, Θεογάμια esse festum in honorem Proserpinæ ejusque feralis cum Plutone connubii memoriam celebratum, deque Siculis nominatim id accipi debere, quorum vulgo gentilitium numen Proserpinam fuisse doceat Pollux lib. 1. cap. 1. sect. 32. neque tamen de Siculis solum, sed & de Nysæis Cariæ populis. Quod vero γραμματέως seu *scribæ* mentio fiat in nummo allegato, inde, ut & alias, & simul ex Actor. XIX. 35. constare, horum officium fuisse perhonorificum, nec tamen nisi in Asia Proconsulari fere usurpatum. Sed cur Nysæ in Caria hunc nummum tribuendum censeat, alterum & quidem præcipuum argumentum inde petit, quod constet, Plutoni sacrum fuisse illum olim tractum, in eoque & Plutonium seu Plutonis lucum, ac templum, & Charonium antrum, & curationes morborum mirabiles, atque inde annuam festivitatem seu panegyrin magno hominum concursu celebratam. Qua occasione alia Θεογαμίων exempla allegat; & ex addita voce Οἰκουμενικὰ probat, ista Θεογάμια non fuisse privata Nysæorum sacra, aut municipalia aut communia, sed communi aliarum quoque gentium, imo totius velut orbis spectatorum undique vel athletarum confluentium cœtu acta, eamque illius vocis usurpationem passim in aliis nummis Nysæorum ac aliarum urbium & auctorum scriptis reperiri; indeque posse colligi, Carmina Sibyllina fuisse ætate Commodi vel Caracallæ conscripta. Fig. XIIX. p. 101. p. 103. p. 105. p. 112. p. 116. p. 120. p. 124. p. 128. p. 129.

p. 134. Epistola *tertia* elegantissima profecto est, qua & fundatæ felicibus auspiciis superiori anno in urbe Hala abs Serenissimo ELECTORE BRANDENBURGICO FRIDERIGO III. Academiæ solemnia, & Morelliani operis rationem omnem ac fata secunda, omnisque porro nummariæ rei ac studii dignitatem fuse non minus quam elegan-
p. 147. ter enarrat; simul referens, quid Antonius Augustinus, Fulvius Ursinus, Tristanus Sanctamantius, Joh. Vaillantius, Jacobus Strada, Paulus Pedruzius, Pyrrhus Ligorius, Hubertus Golzius, Wolffg. Lazius, Philippus Paruta, Vincentius Mirabella, Prosper Parisius, Petrus Seguinus, Carolus Patinus, Jacobus Sponius, Petrus Bellorius, Gisbertus Cuperus, Laurentius Begerus, & Jacobus de Wilde præstiterint in antiquitate nummaria illustranda; gaudetque nostra hac ætate
p. 156. pretium fieri nobilissimo huic studio, ejusque præstantiam percipi ac usum, a se dudum Dissertationibus aliquot demonstratum; quoad
p. 158. Geographiam quidem & Chronologiam, in variis urbium gentium-
& seqq. que epochis & æris, quoad ritus Gentilium penitius inspiciendos, eosque vel sacros vel militares, vel vestiarios. Atque hæc & talia omnia jubet eruditos & curiosos in uno Morellii opere, quod verbo
p. 208. Tullii Lib. XIII. Epist. ad Fam. LXXVII. BIBLIOTHECAM MULTORUM NUMMORUM vocat, simul exposita sperare.

Fig. II. Epistola *quarta* lucem affundit Spanhemius *secundo & tertio* Speciminis nummo Tab. I. repetitque quædam ex iis, quæ de A-
p. 211. sclepiis ante dixerat, & de culto a Pergamenis etiam Æsculapio Deo,
p. 216. & servato in æde ejus adipe anserino & baculo, quem ille mani-
p. 217. bus tenet serpente circumplicatum, (unde & *Ophiuchus* & *Ser-*
p. 219. *pentarius* dictus,) deque pompis porro Sacerdotum disserit. Quod
p. 222. vero conspiciatur in nummo Æsculapius a duobus Centauris vectus,
p. 226. vel inde esse, ait, quod a Chirone ἱππανθρώπῳ seu Centauro feratur educatus, vel quod ille hominum conservator curam etiam equorum gerere ac morbos sanare crederetur. Cur autem hi duo Centau-
p. 229. ri faces accensas ferant, id & novum esse atque a Pergamenis haud absque peculiari causa factum. Frequentem sane facium & δᾳδού-
p. 234. χων usum in sacris Gentilium fuisse observat, neque adeo mirum, quod Æsculapio quoque prælatæ fuerint faces; ipsam vero significationem ejus symbolicam esse, & modo vim Lunæ, modo Solis salutarem influ-

influxum significare; Lunam autem in nummis & LUCIFERAM audire, & utraque manu faces gestare accensas: tum & Æsculapii ædem noctu adire solitos fuisse illos, qui ejus ope ac præsentia, immissisque ab eo somniis, datisque remediis, salutem pristinam intenderint recuperare. Alterum nummum Pergamenorum, in quo Jupiter imberbis, nudus, cum hasta & fulmine, inter Solis & Lunæ capita, aquilæ insistit, & infra duo fluvii recumbunt, dum explicat, de variis formis agnominibusque Jovis, Solis, & Lunæ disserit; inibique causam adhuc aliam & peculiarem nummi hujus a Pergamenis cusi subesse suspicatur, ut eo nempe Jovis Juvenis, inter Solem & Lunam stantis, simulacro Commodum ipsum, tanquam alterum in terris Jovem, dierum tempestatumque potentem, adumbrarent. Fluviorum autem figuras in nummo conspicuas *Selinum* & *Cetium* sibi videri asserit variis argumentis, quæ enarrare omnia nimis foret prolixum.

p. 235. p. 238. *Fig. III.* p. 246. p. 249.

Tandem vero Epistola *quinta* in nummo Speciminis *primo* Tabulæ XIII. quid voces ΣΕΤΗΡΕΙΑ ΜΕΓΑΛΑ significent, exponit, ostenditque non Diis solum, sed & Heroibus antiquissimis, itemque Conditoribus urbium, & Regibus quandoque & Ducibus, bene de civitate aut regione, cui præfuerant, vel de patria cæteroquin meritis, & quidem primitus post eorum demum obitum, seu ad conservandam & propagandam ad posteros eorundem memoriam, consecrata subinde id genus ludorum seu agonum fuisse solemnia; adeoque, ut quædam in exemplum afferamus, quoad Imperatores nota esse ait, Καισάρεια, Σεβαστὰ, Σεβάσμια & Αὐγούστεια, itemque Ἀδριάνεια, Κομόδεια, & Σευήρεια; verum & nummum in fronte hujus Epistolæ expressum pergit explicare, ex quo Tarsi urbis cultus erga Severum pateat haud obscure, ad celebrandam insignem illam in finibus Ciliciæ, cujus hæc urbs prima erat metropolis, victoriam, & postquam, sublato Imperio æmulo, debellatisque funditus qui a Nigri partibus adhuc steterant, Severus solus rerum erat potitus.

Fig. XIX. p. 268. p. 273. p. 281. p. 294. p. 301.

Verum oportet, ut manum de his tabulis atque ære hoc veteri tollamus tandem. Utrumque leonem, *Spanhemium* & *Morellium*, non ex unguiculis, quod in proverbio est, sed ex præstantissimis, quæ jam ediderunt, operibus, cognoscit Lector. Optamus autem utrique celeberrimorum virorum vitam & vires porro; & illustri Spanhemio quidem otium, quod sufficiat edendis in publicum, quas in

Episto-

p. 94. Epistolis indicat, *ad Ulpiani legem IV. §. 5. D. de Officio Proconsulis* commentationibus, *de veteri ac stato Coloniarum ritu* Diatribæ, *deque Vesta & Prytanibus Græcorum* dissertationi; (ex quibus ultimam celeberrimi Joh. Georgii Grævii Thesauro Antiquitatum Romanarum tomo tertio aut quarto insertum iri accepimus) Morellio vero, gratiæ summorum Principum perennitatem, ut cœpti operis telam, cujus exemplum usque adeo egregium publice nunc exposuit, pertexere queat feliciter. Liceat ipsi tamen etiam acclamare illud Plinii Secundi ad Valerium Paulinum suum Epist. IV. 16: *Gaude meo, gaude tuo, gaude etiam publico nomine: adhuc honor studiis* etiam nummariis *durat*; perfectoque demum opere, illud Venusini Vatis, Lib. I. epist. XVI, quo illustris Spanhemius Epistolam quintam claudit, cognita ejus venustate atque usu, antiquitatum elegantiorum curiosi sibi dictum putent:

p 160.

p. 214.

p. 288.

p. 339.

I nunc, ARGENTUM & marmor vetus, ÆRAQUE & ARTES
Suspice.

EXAMEN HISTORIÆ CRITICÆ NOVI TESTAMENTI a RICH. SIMONIO vulgatæ, institutum a *JOH. HENR. MAJO D. & Prof. Theol. atque Philol.*

Giessæ ap. Christ. Herm. Kargerum 1694. in 4.
Const. 3. alphab. pl. 10.

QUod promisisse Auctorem maxime Reverendum Examen Criticæ Simonianæ in Actis nostris A. 91. p. 177. indicavimus, id jam orbi erudito communicatum paucis ex instituti ratione recensendum est. Præmissa operi Dissertatio præliminaris, quæ generalius de Critica sacra agit, usum ejus, regulas & cautelas in emendando S. Codice suscipiendas e DuPinio Heinsioque delibat: recensitis quoque celebrioribus aliquot antiquis pariter & recentioribus hujus studii cultoribus. Ad ipsum dein examinis laborem devolutus Autor, Simonium presso pede sequitur, singulisque capitibus epicrisin suam vel censuram addit. Cap. 1. πρῶτον ψεῦδος Richardi, Apostolos reliquosque scriptores sacros nullo ad scribendum divino mandato instructos perhibentis refutat: atque id mandatum non solum voci μαθητεύσατε inclusum; verum & per scriptorum Θεοπνευσίαν insigni miraculo manifesta-

festatam notat. Diluit deinde, quæ de Evangelistis atque Paulo speciatimo bjiciuntur: Ecclesiam N. T. independenter a Scriptura S. fundatam, dictis clarissimis Act. 26, 22. & Luc. 24, 27. repugnare ostendit: internumque Spiritus S. testimonium a cavillis Simonii vindicatum it. C. II. de titulis S. librorum præter alia observat, merito voculæ κατὰ emphasin, quam Latini Patres per *secundum* expressere, urgeri a Grotio; Drusiumque falli, qui Hebraismum esse τῷ מזמור לדויד respondentem putat, cum tamen οἱ LXX. vocem לדויד nunquam per κατὰ Δαβὶδ transtulerint. Titulum ἀπομνημονευμάτων quem Evangeliis Justinus Martyr tribuit, forte non tam e Xenophonte, quam e 2. Pet. I, 12. depromptum conjicit. C. III. postquam Christi & Agbari ἀμοιβαίας rejecisset, de Luca ait perperam observasse antiquos; ac si Historias de Christo ante se factas falsitatis argueret: cum ἐπιχειρεῖν verbum de re bona æque ac mala adhibeatur, nec Evangelista uspiam alios in Evangelio suo confutasse deprehendatur. Apocryphis Gnosticorum a Simonio recensitis addit ex Epiphanio Sethi libros; Interrogationes Mariæ; & Revelationes Adami. Protevangelium Jacobi a Protestantibus agnosci & commendari, falsum notat: nec universo eorum cœtui a Simonio adscribendum, quod nonnisi Postellus atque Bibliander erraverint. C. IV. in evolvenda Autographorum Apostol. historia occupatus, ad emphasin dicti Tertullianei Simonem (qui ea statim interiisse persuasus est) non satis solide respondisse censet. C. VII. prolixus est in examinando Nazaræorum Evangelio, falsoque jactatam a Simonio, & e quo sua hic hauserit, H. Grotio Epiphanii auctoritatem demonstat: quippe qui non solum Jessæos Judæorum sectam ante C. N. coortam cum Nazaræis Christianorum sectariis confundat: verum & in hoc ipso negotio sibi non satis constet; dum Nazaræos πληρέστατον εὐαγγέλιον habuisse scribit, & tamen utrum non id Christi genealogia truncarint, hæsitat. Locum Ignatii ex Epist ad Smyrnenses ex Ebræo (quod jam c. v. sigillatim ad Simonii rationes respondens discusserat) Evangelio Matthæi depromptum falso dici ab Hieronymo, a Simone credi: cum potius e Luc. 24. 36. quoad sensum allegatus sit. Vocem ἐπιούσιν male ex Ebræo מחר cum Hieronymo exponi, cum LXX. vocem toties occurrentem nunquam per ἐπιοῦσαν, sed semper per αὔριον aut μετὰ ταῦτα transferant; nec vero dies crastini precibus a Christo datis conveniat. Additamenta

Evangelii Nazaræorum in Græco Matthæi non deprehensa, respuenda omnino adductis omnibus atque confutatis probat: carpit & Sandium, qui levibus argumentis nixus aliud olim fuisse atque nunc est Matthæi Evangelium contendit.

Cap. X. De serie temporum (incerta satis) queis unumquodque Evangelium prodierit disquirens simul haud immerito Simonem notat, quod nimis frigide de Evangelio Marci senserit; ac non instinctu divino, sed motu proprio & a fidelibus exoratum ea quæ memoriæ succurrerint, consignasse, Petro, quem secutus est, nec imperante nec prohibente perhibeat. Quærit dein, quo sensu Marcus a veteribus Petri interpres dicatur? qua in re nil nisi id unum decidit, non veris & genuinis interpretibus Apostolos indiguisse. Eundem Evangelistam Græce, non Latine, scripsisse c. XI. evincit; Venetorum codicem explodit; ultimosque XII. Evangelii versus vindicat. De Luca c. XII. agens, inter alia singulas Marcionis corruptiones ab Epiphanio indicatas expendit; ipsumque eas excusantem Simonium hic illic perstringit. De Johanne prolixe c. XIII. occupatur: & explosa primum de DEO ex tonitru cum Johanne loquente fabula, ac vesania Alogorum Cerintho istud Evangelium adscribentium: γνησιότητα historiæ de Adultera multis argumentis adstruit; inter alia contra Simonem notans, Tatiani ævo omnino lectam fuisse; repertam siquidem in illius Harmonia (quam quidem rectius Diatessaron nominari, & Harmoniæ titulum a Victore Capuano confictum incaute adhiberi censet) & in Ebræum Matthæi Evangelium e Johannis Græco translatam. Demum & S. Johannis postremum caput ita vindicat, ut ab ipso Evangelista scriptum, nec alio loco ponendum e Coccejo probet. Occasione Epistolarum Pauli, de quibus c. XV. verba facit Marcionis ἀποστολικὸν attingit; quod cum variis modis corruptum accuset Epiphanius; defendat Simon: noster Epiphanii causam agens reprobat, suamque sententiam, adductis pluribus, quam Simon fecerat, locis probatam dat; cæterum Epistolam ad Philemonem Epiphanium a Marcionitis corruptam nimis temere credidisse largitur. Epistolas, quæ circumferuntur vel finguntur, Pauli ad Laodicenses, Corinthios, ac Thessalonicenses a Simone spurias agnosci gaudet. Id vero contra ipsum negat, nihil egisse in sua prædicatione D. Paulum, nisi communicato prius cum Apostolis reliquis consilio. Epistolæ ad Ebræos peculiare c. XVI. tribuit,

tribuit, eamque a Paulo græce ad Judæos in Palæstina degentes scriptam prolixe satis cum Simonio, nonnunquam contra eum deducit.

Epistolarum Catholicarum, quæ & Canonicæ, primo nomen evolvit c. XVII. & illud quidem non tam ab inscriptionibus Catholicis, quam ad distinctionem Paulinarum inventum; hujus autem veram originem ignorari existimat: quamvis cum Gomaro ad scribæ lapsum pro *Catholica Canonica* reponentis inclinare videtur. His factis singulas Epistolarum firmat. Jacobum Episcopum ab Apostolo diversum non putat, nec argumenta Simonis contra Baronium tanta, quæ id persuadeant. Sub finem capitis Huetii quoque dictum atro lapillo notat: quo haud necessum ducit in γνησιότητα epistolarnm Judæ, & Johannis, similiumque adeo diligenter inquirere; quoniam non ex harum brevium & exiguarum auctoritate præcipue pendeat Christianæ religionis defensio. Inprimis vero luculentum est c. sequens XIIX. celebrem & vexatissimum Johannis I. ep. V, 7. locum adversus Simonii exceptiones vindicans: ubi MSS. auctoritati pari argumento occursum it. Hieronymi testimonium firmat, ejusque prologum in Epistolas Catholicas adversus Erasmum & Simonium tanquam genuinum tuetur: Cypriani testimonio robur addit: Athanasium loco Johannis controverso usum demonstrat: Herm. Cingalli calumnias retundit: tandemque Simonium sibi hac in re parum constantem notat; qui cum tres in terra testes e v. 8. ad probandam SS. Trinitatem adduci posse concedat, e 7. v. tamen, si vel maxime genuinus sit, idem fieri posse inficietur. Et ne aliquid illustrando insigni loco deesse videatur, sub finem operis appendicis II. loco adjunxit binas Angli auctoris celeberrimi Th. Smith in h. l. Dissertationes, quarum posterior prioris contra Simonium vindex est. Cæterum digna omnino est, quæ ex eod. c. huc apponatur extrema Sandii Patris confessio, quam sub pulvino ferali repertam sibique ab amico communicatam Maxime Rev. Auctor inseruit. Ita vero illius initia se habent:

Servivi patriæ bis denos impiger annos,
    Integritasque mea est sæpe probata Duci.
Nunc patriæ invisus. Si crimen quæris: id unum est,
    Unum, non trinum, me coluisse Deum.
Sic pietas crimen! dum non imitabile Numen
    In plures timui multiplicare Deos:

Dumque individuum ac totum sine partibus ullis
In tria partiri relligione vetor.
Finitum immenso misceri, & Numen in unum
Confundi, sancte dum pia lingua negat.
Dum veritus genitum ingenito exæquare Parenti,
Qui sibi sufficiens nescit habere parem.
Captivare meæ jussus dictamina mentis
Sum; falsum cæca credere nolo fide &c.

Erat iste Christophorus Philippi F. Sandius, uti notum est, Regiomontanus, & in patria Ducali regimini ab intimioribus secretis; tandem ob impium Arianismi dogma officio motus. Iste, uti Auctor refert, Paradoxas Interpretationes confecit ipse, sed cum Regiomonti sub suo nomine illas divulgare non auderet, Christophoro filio Amstelodamum uti publicaret, seque ipse auctorem profiteretur misit. Nunc e diverticulo in viam. Apocalypseos θεοπνευςίαν c. XIX. probat; & in refutatione argumentorum, queis olim scriptum hoc Alogi impugnabant, Thyatirensis Ecclesiæ ex Apoc. II, 18. mentionem faciens illam non vaticinio, ut Simon cum Epiphanio vult, indigitatam; sed revera jam tum fundatam credit: quod non solum verborum claritas & contextus, de nullis toto sermone quam fundatis jam Ecclesiis agens, evincere videatur; sed & defectus Actorum ejus Ecclesiæ & Episcoporum tempore Epiphanii contrarium argumento parum firmo probet: potuit enim intercidere aliquandiu cultus veræ religionis, & deinde secuto tempore restaurari, a quo demum catalogus Episcoporum cœptus est. Styli diversitatem, quam in Apocalypsi, & Evangelio Johannis credidit olim Dionysius Alex. & cum eo Simonius amplectitur, nullam omnino esse ostendit. Lutherum non, ut per calumniam illi Richardus cum Bellarmino impingit, de divina Apocalypseos auctoritate, sed de auctore solùm, an Johannes Evangelista seu Presbyter ab isto diversus sit, cum nonnullis veterum dubitasse adductis ejusdem verbis liquido démonstrat. Progressum hinc ad Apostolicas allegationes c. XX. & seqq. duobus facit, & dum sæpius, non semper tamen, usos esse scriptores sacros versione τῶν LXX. concedit, & Hieronymum a contradictionibus absolvere allaborat: Simonis figmentum rejicit, Dictionaria veterum Judæorum Hebræo-Græca, quibus in Synagogis usi versionem LXX. viralem, dum illustrare voluerint

luerint, corruperint: pari, qua asseruntur, facilitate rejicienda. Hinc jugulum hypothesium ejus petit; quibus sensum literalem a mystico; hunc a traditione dependere supponit: Christum & Apostolos plurima V. T. dicta nonnisi per cabalisticam accommodationem ad tempora N. T. traxisse; & Epistolam ad Ebræos inprimis hac ratione scriptam ea continere vult, quæ a Gamaliele Paulus cabalistica hauserit. Enimvero non falsa minus hæc atque vana, quam impia & in S. Scripturæ θεοπνευςίαν injuria multis verbis monet atque monstrat. Certe ne ipsis quidem Judæis cordatioribus sensum mysticum (nedum traditiones) literali majorem extitisse: Christi & Apostolorum allegationes coactas frigidasque fore: tandem Epistolam ad Ebræos non inspiratam a DEO, sed Cabalisticarum rerum farraginem dici debere: & ut ad rem propius accedat, dicta varia Matth. I. 23. II. 6. 18 23. a pseudhermeniis liberare aggreditur. Tum c. XXIII. XXIV. XXV. de Inspiratione S. Scripturæ agit: & vindicato adversus Batavos, ut se vocant, Theologos ac Perronium Card. dicto Pauli 2. Tim. III. 15. controversias Lovaniensium Jesuitarum cum Theologis ejusdem loci & Duacensibus de inspiratione, quam illi aliqua sui parte negarunt, ita narrat, ut Simonium Jesuitarum theses defendentem confutet: perstringatque Henr. Holdenium D. Paris. qui in *Analysi Divinæ Fidei* speciale divinum auxilium sacris scriptoribus non nisi in rebus quæ ad doctrinam spectant concesserit. Refutat etiam argumenta Spinosæ, simul quam infirmus eorum oppugnator Richardus sit plus vice simplici ostendit.

Sequitur c. XXVI. seqq. gravis illa de stylo N. T. controversia, cui in compendio sistendæ id unum suffecerit memorasse: Auctorem cum Pfochenio, Erasmo Schmidio, & Stolbergio præceptore suo puram N. T. Græcitatem agnoscere; non Hebraismos, non idiotismos, aut barbarismos ulla ratione pati: non Hellenismi (quem totum rejicit) non Græci Synagogæ cum Simonio compellationem admittere: sed si quod speciale nomen ipsi tribuendum, non aliud quam Græcismi Biblici aut styli sacri largiri: styli characterem ad Macedonicæ linguæ genium, qui in Polybio, Plutarcho, Diodoro Siculo, Dione Cassio frequens sit, referendum. Quare non potest non ipsi Simon multis modis una cum omnibus, qui Hebraismos seu idiotismos agnoscunt, vapulare: quippe cum Er. Schmidio persuasus est, non nisi

ex ignorantia genuinæ Græcismi indolis tantum Ebraismorum numerum proficisci.

Ad MSS. cum Simonio devolutus c. XXIX. generatim de iis agit: originem variarum lectionum, earum incommoda & remedia exponit: viros doctos, qui in annotandis iis multum operæ posuerunt, recenset; in quibus Erasmum haud abs re a Simonio castigatum ait, quod ridicule satis Græcos Codices ad Latina exemplaria post Synodum Florentinam correctos sive corruptos perhibeat; cum nunquam majus odium inter binas Ecclesias, quam post istam Synodum flagrarit. Fatetur, videri nonnunquam antiquos Codices hac ratione correctos: verũ id, bene observante Simonio, non tam ad Latinos quàm antiquiores Græcos; nec ad hodiernã versionem, sed Hieronymo vetustiorem; nec denique post Synodum Florentinam, sed temporibus longe anterioribus factum memorat. Rob. Stephani lites cum Sorbona ob editionem N. T. Græcam refert. Dissensum Latinæ vulgatæ a Græco ponderat, & quam vani sint Morinus, Amelotus (quem ob vanissimam de collatis ingenti copia Codicibus MSS. jactantiam salse Rich. Simon ridet) aliique, dum eam Græco textui præferendam magno strepitu crepant, brevibus ostendit. Hæreticorum corruptiones, quas utplurimum elevare Simon adsuevit, non usque adeo vilipendendas censet, aut Patrum accusationes in dubium vocandas; cui rei unum solummodo exemplum subjungimus. Ambrosius & Fulbertus Carnotensis v. 6. c. III. Johan. verba hæc adjungunt: *Quia Deus Spiritus est:* eademque perfide ab Arianis erasa conqueruntur. Enimvero cum hodie in nullo Codice legantur, nec sensus ea admodum requirat; Simonius non propterea dicam Arianis scribendam tradit. Ast Auctor noster Ambrosium ad verba Joh. IV. 23. prout in Græco extant, digitum intendisse mavult; quam Arianos ab indicato crimine absolvi. A generalibus ad specialiora delabitur c. XXX. Hieronymum ejusque in emendanda Latina versione studium, quod inane Simonio videtur, vindicat, & magnum ad Ecclesiam emolumentum exinde redundasse probatum it. Adducit dein per tria capita varias ex Cantabrigiensi, Claromontano, Colbertinis aliisque Codicibus lectiones; eaque occasione plura immiscet ad Philologiam sacram tam illustrandam quam juvandam egregia. Ultimum caput de Distinctione agit ac Divisione tam MSS. codicum quam impres-

sorum:

sorum: veterum ςιγμὰς πτλυς, κεφάλαια; ut & originem accentuum (quos ab Apostolis una scriptos credit) explanat: tandem Eusebii X. Canones ad sistendam sacri Codicis N. T. harmoniam excogitatos, adducto specimine ipsius Eusebii Hieronymique verbis illustrat.

Absoluto hunc in modum Operi limatissimo binas Appendices subjungit; quarum prior Dissertatio est ipsius Summe-Reverendi Auctoris de Inspiratione Librorum Sacrorum, dudum equidem jam publicata & nobis M. Decemb. 1690. p. 591. recensita. Hic vero ob affinitatem materiæ utique adjungenda fuit. Appendix altera Smithi labor est superius jam indicatus: quem terni indices excipiunt, I. Sacrorum Oraculorum, II. Auctorum, III. Rerum. Unum est, quod a nobis adhuc addi congruum videtur. Quum nempe doctissimus Auctor aliquoties in hoc opere continuationem utilissimi laboris polliceatur, & Examen alterius quoque Partis Criticæ Simonianæ, quæ de versionibus est, promittat, eum publico nomine rogatum cupimus, ut promissis hisce quamprimum stet, & Ecclesiæ sacrum laborem hac quoque in re concedere ne dedignetur.

LIBRI NOVI.

La Coutume Reformée du Pais & Duché de Normandie. Commentée par Mr. Henry Basnage. Seconde Edition augmentée par l'Auteur. A Rouen, 1694. fol.

Histoire de l'Edit de Nantes, jusques à l'Edit de Revocation. Tome troisieme. A Delfft 1695. 4.

Les Operations de la Chirurgie, avec une Pathologie, par Jean Baptiste Verduc. A Paris, 1694. 8.

Traité Moral de la Divine Providence envers ses Creatures. A Paris, 1694. 12.

Elemens de Botanique, ou Methode pour connoitre les Plantes, par Mr. Pitton Tournefort de l'Academie Royale des Sciences &c. A Paris, 1694. 12.

Essay de Dioptrique, par Nic. Hartsoeker. A Paris, 1694. 4.

Memoires de Mathematique & de Physique, par M. De la Hire de l'Academie Royale des Sciences. A Paris, 1694. 4.

Le Dictionaire de l'Academie Françoise. A Paris 1694. fol.

Les

Les Loix Civiles dans leur Ordre Naturel. Seconde edition, suivant la copie à Paris 1695. 8.

Everbardi Brouchorst Εναντιοφάνων *Centuria sex & Conciliationes eorundem. Editio nova. Lugd. Bat. 1695. 8.*

Thomæ Crenii Animadversiones Philologicæ & Historicæ. Roterod. 1695. 8.

Julii Sterringa Animadversiones Philologico-Sacræ in Pentateuchum. Leovardiæ 1695. 4.

Henr. Hulsii Systema Theologiæ plenum. Lugd. Bat. 1694. 8.

Epistola S. Pauli ad Hebræos explicata a Samuele Szattmar Nemethi. Franequeræ 1695. 4.

Johannis van Muyden Compendiosa Pandectarum Tractatio. Trajecti ad Rhenum 1695. 8.

Antonii Bynæi de Calceis Hebræorum Libri duo, curis secundis recogniti & aucti, Dordraci 1695. 4.

Dictionaire Geographique des Pais-bas, du Cambresis, & de Liege. à Amsterdam 1695.

Philippi a Limborch Theologia Christiana ad praxin pietatis ac promotionem pacis Christianæ unice directa. Editio altera ab Autore recognita & aucta. Amstel. 1695. fol.

Het Voor-hof der Heydenen, voor alle ongeloovigen geopent, door Salomon van Til, Tot Dordrecht, 1694. 4.

t' Rechte Verstant van den Tempel Ezechielis, door Campegius Vitringa. Tot Franeker, 1695. 8.

Na-Sporing van den Sin en 't Samenhang van den Send-brief Pauli aan de Romeinen, door Marcus van Peene. Tot Leyden, 1695. 8.

Morale Pratique des Jesuites. Tome huitieme. 1695. 12.

Antonii Perezii Prælectiones in duodecim libros Codicis Justiniani. Editio ultima. Amstelod. 1695. 4.

Etat present des Nations & Eglises Grecque, Armenienne & Maronite en Turquie. Par le Sr. De la Croix. A Paris 1695. 12.

Lettres sur toutes sortes de Sujets, avec des Avis sur la maniere de les ecrire. Par Mr. de Vaumoriere A Paris 1695. 12.

Essais sur la Vie de la feuë Reine d' Angleterre, par Mylord Burnet, Evéque de Salisbury. Traduit de l' Anglois par David Mazel. A la Haye 1695. 12.

ACTA ERUDITORUM

publicata Lipsiæ

Calendis Augusti, Anno M DC XCV.

XIIX *PRIMA COMMATA CAPITIS PRIMI EVANGELII S. Johannis, paraphrasi & animadversionibus illustrata a JOANNE CLERICO.*

Amstelod. apud Henr. Wetstenium, 1695. in 8. plag. 3.

POst editum in Genesin commentarium alibi a nobis recensitum, clarissimus Auctor quatuor posterioribus Mosis libris explicandis hactenus intentus, ut hanc lucubrationem de Evangelio Johannis ederet, duabus causis impulsus fuit. Nam primum ab amico, ut de quibusdam Evangelii Johannei verbis, quæ cap. I. v. 16. leguntur, sententiam suam aperiret, rogatus fuit, qui simul ab ipso cognoscere voluit, num Evangelium Johannis ex vulgari sententia Cerintho oppositum censeret? Amico autem isti dum satisfacere pararet, ex literis Præsulis cujusdam Anglicani, quæ altera hujus scripti occasio fuit, intellexit, novos in Anglia Alogos exortos, qui Johanni Evangelistæ evangelium suum abjudicare veriti non fuerint. Primum igitur octodecim priora commata capitis primi Evangelii Johannis non quidem justo commentario explicat, quod ab aliis & inprimis Grotio & Hammondo factum asserit, sed brevi paraphrasi, quam Latinæ versioni a se factæ e regione ponit, illustrat. Postea vero animadversiones quasdam subjicit, in quibus rationem suæ paraphraseos exponit, & singulorum verborum sensum, quæ obscuritatem aut difficultatem aliquam parere possunt, investigat. Quod antequam faciat, inquirendum censet, quis auctor hujus Evangelii fuerit? quo tempore & loco scriptum videatur? & qua occasione & in quem finem Johannes Evangelium suum hoc modo inchoarit? Ad primam quæstionem respondet, si quis ob leves conjecturas hoc Evangelium Johannis esse neget, tantundem esse ac si quis ob dictionem

aliquam minus Latinam de historia Livii dubitaret, & posthac neminem ex ea testimonium posse petere judicaret, cum eam ab alio scribi potuisse non impossibile videatur. Deinde contra eos, qui hoc Evangelium a Johanne scriptum vel olim negarunt, vel hodie negant, adducit verba capitis XXI, 24. quæ verba ab ecclesia Ephesina ad Evangelium Johannis ab ipsis ecclesiæ incunabulis adjecta fuisse statuit, ne quis de vero hujus Evangelii auctore dubitaret. Confirmat hanc sententiam auctoritate Justini Martyris, Irenæi & Eusebii. Quin etiam ad Valentinianos hæreticos provocat, qui Johannis auctoritate abusi Apostolum in Evangelii sui initio pleromatis ogdoadem docuisse asseruerunt. Confirmata autem sua sententia, quam levia sint, quæ huic objiciuntur, & imprimis quam absurda sit Alogorum, qui a Cerintho hoc Evangelium scriptum somniant, sententia ostendit. De tempore, quo hoc Evangelium scriptum, varias sententias adducit, parum interesse ratus, quæ ex illis præferenda videatur, dummodo constet, quod Johannes sub finem primi a Christo nato seculi scripserit. Locum, ubi Johannis Evangelium scriptum est, quantum attinet, ex Irenæo aliisque liquere animadvertit, quod Johannis Evangelium Ephesi sive scriptum sive editum fuerit. Ultimam denique quæstionem quod concernit, qua occasione & quem in finem Johannes hoc modo Evangelium suum exorsus fuerit, Irenæi & aliorum quorundam veterum scriptorum sententiam primum refert. Deinde asserit, ex ipsis Johannis verbis cognosci posse, quod Evangelium suum illis opponere voluerit, qui varias voces Platonicas in religionem Christianam & Judaicam intulerant. Id autem factum esse dicit tam ab hæreticis, quod ex fragmentis veterum hæreticorum non difficulter probari posse censet, quam imprimis etiam a Philone, cujus scripta Johannem latere non potuerint, cum etiam Scriptori epistolæ ad Hebræos Philonem lectum Grotius observaverit. Cum ergo Philonis scripta Christianorum manibus tererentur, multaque Christianis dogmatibus affinia in illis legerentur, & Christiani hominis eloquentia capti ejus placita facile cum religione Christiana miscere potuissent; ne id fieret, Johannes ex Auctoris nostri sententia præcipuas voces, quæ incautis fraudi esse poterant, sub ipsum Evangelii sui initium adhibere voluit, ut quo sensu usurpari possent, Christiani intelligerent. Hoc ut probet, multa ex Philone testimonia adducit, quæ cum Christiana doctrina

ctrina variisque Christi & Apostolorum verbis magnam affinitatem habent, & facile Christianos in errorem inducere potuissent, nisi sacri scriptores huic periculo obviam ivissent. Quibus præmissis, ipsa Johannis verba ita interpretatur, ut in multis Johannem ad Philonis verba respexisse probet. Qua interpretatione posita, simul etiam Fausti Socini de sensu primorum Johannis commatum sententiam everti judicat.

HENRICI HORCHII, SS. LITERARUM IN ECCLESIA ET Schola Herborn. Doct. & Prof. h. t. Rectoris, Noctium Nassovicarum Semestre primum, exhibens Elementa Χαριτομετρίας.

Herbornæ & Francofurti apud Joh. Philippum Andreæ, A. 1695. 8. Constat plag. 17.

PAcis ecclesiasticæ Lutheranos inter atque Reformatos promovendæ studio inflammatus Cl. Autor, præsentem tractatum typis vulgare, eumque tribus sectionibus absolvere voluit. Quarum *prima*, quæ προπαρασκευαστικὴ seu præparatoria dicitur, vocabulorum in Gratiæ negotio subinde occurrentium definitiones ac varias divisiones exhibet. *Secunda*, quæ est ἀποδεικτικὴ, seu demonstrativa, mysterium gratiæ viginti & una propositionibus delineat, atque singulis demonstrationem subjicit. Sunt autem sequentes: I. Deus ab æterno genuit Filium sibi ὁμοούσιον seu coessentialem. II. Filius ex æterno Patris amore genitus, vicissim amat & summe amat Patrem, omnesque ipsius perfectiones in glorioso sistit lumine radiantes. III. Videt porro Pater fulgentem in Filio omnem suam gloriam, & in ipsius amore perfectissime acquiescit. Huic propositioni subjungit corollarium his verbis conceptum: Gloria Patris redundat in Filium, & vice versa Filii gloria in Patrem. IV. Videt præterea Pater in Filio omnes omnino res possibiles, h. e. ea omnia, quæ præter Deum esse unquam aut concipi possunt. Cui tria subjunguntur corollaria (α) primos & vere genuinos rerum conceptus formandos esse ex Deo, & quidem juxta perfectiones, quæ ipsi sunt naturales. (β) Deum esse causam omnium operum suorum exemplarem; & res quascunque creatas nihil aliud esse, quam repræsentamina Dei & perfectionum ipsius. (γ) Res quascunque a Deo creabiles vel creatas hanc alere affinitatem cum Filio Dei, ut cum ipso effigient Dei perfectiones. V.

In rerum possibilium serie comparuerunt res spirituales & corporeæ, item homo ex spiritu pariter & corpore constans. VI. Præcipuum denique, quod in possibilium numero sese commendavit oculis Dei, est ipsemet Dei Filius per nativitatem manifestabilis in natura humana, tanquam Dei pariter & hominis Filius, unusque Θεάνθρωπος. VII. Deus iterato quasi lustrans exercitum rerum possibilium, innumeras deprehendit vias demonstrandi suam & Filii gloriam. IIX. Inter varios modos possibiles illustrandi gloriam Dei reperitur etiam peccatum, ac miseria multorum hominum ex peccato unius tanquam communis illorum parentis. IX. Sicuti a. Deus possibilem reperit condemnationem illorum omnium ex inobedientia unius; sic pariter quoque justificationem omnium ex obedientia unius, nimirum Filii sui, usque ad mortem. X. Pater in omni consilio (ac proinde etiam opere) summo studio quærit gloriam Filii, gloriam dico & gratiæ & justitiæ: & vice versa Filius gloriam Patris. XI. Providentia Patris suppeditat Filio omnia media & quasvis occasiones, omnem gloriam suam, non gratiæ tantum sed & justitiæ, illustrissima ratione demonstrandi. Hinc infert quatuor corollaria. (α) Quam late patet rerum eventus, tam late patet consilium Dei. (β) Ad vias Dei quoque pertinet providentia ipsius circa eventum peccati. (γ) Pater suam & Filii gloriam necessario majoris facit, quam hominum commoda, sive temporalia sive æterna. (δ) Præcedit quidem intentio finis intentionem mediorum, attamen conceptus mediorum præcedit intentionem finis. XII. Uti nativitas Filii Dei æterna est prima via Patris per naturam, ad gloriam Deo essentialem atque internam; ita nativitas illius temporalis prima quoque Patris via est, quoad intentionem decreti, ad gloriam Deo arbitrariam atque externam. Ex hac propositione tria corollaria colligit: (α) Christum, licet in tempore genitum, esse æternum & veri nominis Deum, ac proinde unam personam Θεάνθρωπον. (β) Destinatum ipsum esse mediatorem inter Deum & hominem. (γ) Patrem summo studio quærere gloriam Filii sui, etiam quatenus is ordinatus est Θεάνθρωπος & Mediator; & vice versa. XIII. Ad Christi gloriam in principio condi debuit mundus, & quæ in eo sunt omnia. Judicat hinc patere (α) opera creationis quoad intimam sui indolem esse emblemata gloriæ Christi. (β) In natura duo adumbrari regna, gratiæ & iræ, lucis & tenebrarum. (γ) Condi debuisse & homi-

& hominem, idque præcipue ad imaginem Christi. (δ) Neminem esse veri nominis Philosophum nisi Christianum. XIV. Decuit DEUM providere eventum peccati & reatum omnium hominum in uno. XV. Filius ex Patris voluntate assumens formam servi, eique ad ignominiosam usque mortem se præstans obedientem, eo ipso & Patri & sibi jus acquisivit, omnes omnino, quotquot sunt, miseros fratres ex morte transferendi ad vitam. Inde sequens corollarium eruit: omnes igitur ad unum miseri fratres per Christi mortem novum subeunt statum moralem; ita ut miseria eorum, quæ citra Christi mortem & a DEI & ab hominis parte fuisset immedicabilis & desperata, ex parte DEI postliminio curabilis reddatur. XVI. Uti DEUS ex Filii morte jus habet salvandi omnes, sic etiam tantæ est bonitatis, ut quantum in illo est, velit omnes servari & ad cognitionem veritatis pervenire. Huic subjungit scholium de voluntate DEI salvandi omnes homines, eamque tum describit, tum cur non efficax sit in omnibus ad salutem, disquirit. Cujus ratio eo redit, quod divinæ bonitati seu potius illius exercitio modus aliquis & quasi limites quidam a cæteris perfectionibus divinis, inprimis autem justitia ponantur, ne illa se exserat omni modo ac gradu, quo alias exserere se posset atque etiam vellet. XVII. Ex morte Christi jus habent omnes & singuli homines confugiendi ad sinum misericordiæ DEI, imo & Christi, si vel fando quippiam inaudiunt de illo. XIIX. Tam benigna propter Christi mortem est DEI providentia circa homines, ut licet nascantur impuri, nondum tamen indurati sint in malo, sed rationem habeant luti, ex quo fieri queant vasa gratiæ ad gloriam. Unde eidem nascitur corollarium: Qui igitur non confugiunt ad misericordiam DEI, vel eo confugere non possunt, id vel non faciunt vel facere non possunt, quia nolunt; ideoque non pereunt, nisi sua culpa. XIX. Filio mortem subeunti Pater rigido jure tenetur quandam ad minimum miserorum fratrum portionem dare in peculium, cujus ipse Rex sit & caput. Huic propositioni subnectit istud corollarium: Quibus igitur beata hæc sors obtingit, ut Christo in peculium dentur, illi etiam omnes suo tempore vocantur cum hoc effectu, ut veniant ad Christum, eique ut Regi suo vera fide homagium præstent. XX. Qui vera fide Christo Regi se subjecerunt, iidem (licet, quantum in se est, possint deficere, imo aliquando in grandia peccata prolabantur) potentia DEI cu-

 stodiun-

ſtodiuntur, ut in fide perſeverent, reportantes finem fidei, ſalutem animarum. Hinc ſuboritur eidem ſequens corollarium: Omnibus igitur credentibus ſuppetit argumentum, ex quo certitudine fidei, cui non poteſt ſubeſſe falſum, citra extraordinariam revelationem ſcire poſſunt, ad cordis lætitiam & oris gloriationem, ſe eſſe ex numero electorum. XXI. Quamvis Chriſti mortem neceſſario comitetur datio quorundam in peculium ipſius: attamen Pater ex mero beneplacito ad id eligit, quos vult. His propoſitionibus definitiones divinæ electionis atque reprobationis ſubjungit. Quarum illam deſcribit, quod ſit libera DEI voluntas, qua homini in communi cum aliis miſeria jacenti, mero beneplacito deſtinat ex morte Filii ſui gratiam efficacem ad fidem ac ſalutem, ut pateſiat glorioſa ipſius gratia. Reprobationem autem definit, quod ſit libera DEI voluntas indurandi certos peccatores, aliis quoad reatum pares, ad demonſtrationem ſuæ juſtitiæ. Tandem divinæ gratiæ dimenſiones, ſive latitudinem, longitudinem, profunditatem & altitudinem tradit. In *tertia* ſectione, quæ *εἰρηνική*, ſeu pacifica vocatur, controverſiarum inter Proteſtantes ſuper gratia divina agitatarum momenta expendere, & an tanti ſint, ut paci eccleſiaſticæ remoram injicere queant, diſpicere aggreditur. Quod antequam faciat, de duplici, qui in conſiliis divinis locum habet, ordine quædam præmittens, monet, intentionis ordinem in divino decreto tradi quidem in S. Scriptura quam frequentiſſime; ſed vel generaliter tantum & quaſi in cumulo, ut dum DEUS omnia moliri dicitur propter ſemetipſum Prov. XVI. 4. ex ipſo, per ipſum, ad ipſum eſſe omnia Rom. XI. ult. vel, ſi ad ſpecialia deſcendit, non recenſere tamen ordine omnia, quæ decretum conſtituunt vel ingrediuntur. Et cum in deſignando intentionis ordine Theologi admodum inter ſe diſſentiant, ab eodem hic abſtinendum, & ad finiendas hujus argumenti controverſias ordinem exſecutionis ſequendum eſſe judicat, eumque ex Epiſtola ad Romanos paucis delineare inſtituit. Poſt hæc quæſtiones, quæ circa gratiam inter Lutheranos ac Reformatos ventilantur, revocat ad ſequentem ſyllogiſmum: *Qui credit in Filium DEI, habet vitam æternam. Ego credo in Filium DEI. Ergo habeo vitam æternam.* Circa cujus ſyllogiſmi præſuppoſita, creationem hominis ſcilicet ejusque lapſum, atque baſin, cui innititur totum gratiæ ſyſtema, Chriſtum puta, cum Proteſtantes convenire

venire judicet, ad controversiarum super propositi argumenti præmissis atque conclusione motarum progreditur scrutinium. Circa propositionem autem sex potissimum quæstiones moveri observat. Quarum I. *An decretum nostræ salutis sit universale?* Ad quam, ubi præmonuisset, non quæri simpliciter de voluntate DEI, an DEUS velit omnes homines servari, sed an hæc DEI voluntas sit voluntas decreti, an vero præcepti? an εὐαρεστίας, an vero εὐδοκίας? respondet, sibi sufficere, voluntatem eam esse bonitatis naturalis, quæ tamen diversimode cum decretis atque præceptis compleetur. Cum decretis quidem, utpote quæ hanc DEI bonitatem reddant efficacem, quousque id divinæ perfectiones reliquæ permittunt; cum præceptis autem, maxime lege fidei & gratiæ, cujus nucleus sit ipsa syllogismi sui propositio: qui credit, salvatur. Ad II. *An decretum salutis sit conditionatum, an vero absolutum?* respondet, decretum salutis nostræ dici posse absolutum, non eo sensu, quasi negotium gratiæ omnem veritatem conditionatam respuat, sed quod illa conditio non relinquatur indeterminata & suspensa, sed figatur ac certo determinetur in DEI decreto ita, ut illa inde sit futura vel non futura. Licet itaque syllogismi propositi major propositio: qui crediderit, servabitur; vim habeat veritatis conditionatæ, conditionem tamen hanc, quæ hactenus indeterminata est atque certæ impletioni nondum destinata, determinari postmodum in assumtione per DEI decretum, ut illius vi & efficacia quilibet electorum assumere olim queat, dicendo: atqui ego credo. Unde necessario quoque emergat conclusio: ergo ego salvabor. Ut autem de momento harum atque insequentium quæstionum rectius constare queat, monet probe attendendum esse, an illæ intra gratiæ processum, an vero extra eum cadant; si intra eum cadant, quod necessario concernant unam vel plures ex propositionibus in gratiæ syllogismo occurrentibus, quatenus scilicet eæ considerantur una cum necessariis suis prærequisitis, & basi, qua nituntur. Hinc colligit, quæstiones duas modo recensitas, cum nec ipsam simpliciter veritatem propositionis: qui credit, salvatur; nec aliquam illius partem concernant, insuper neque assumtionem, neque conclusionem, utpote quarum neutra vel universalis sit vel conditionata, tangant, non intra sed extra gratiæ processum cadere. Eodem modo & quæstionem III. *An Christus pro omnibus sit mortuus sine exceptione?* IV

An

An gratia DEI sit universalis? V. *An redemtio sit universalis?* VI. *An vocatio ad salutem sit universalis?* judicat non cadere intra, sed extra gratiæ ambitum, nec ullam ex veritatibus, quæ intra descriptam superius gratiæ perimetrum continentur, periclitari, sive eædem affirmentur, sive negentur. Controversias circa assumtionem & conclusionem syllogismi gratiæ ad quinque quæstiones reducit. Inter quas I. *Utrum gratia electionis sit irresistibilis?* In cujus pertractatione monet, non quæri de reprobis, an illi resistant verbo gratiæ; hoc enim nimis certum esse: nec de electis, an illi ad tempus resistant; id quippe testatum facere exemplum Saulis Act. IX, 1: nec de infallibili effectu atque certissima conversione electorum; cum utrinque agnoscatur: nec de modo conversionis, an ea fiat per violentiam ac coactionem; cum fateantur Reformati, electos ita trahi per gratiam, ut ex nolentibus fiat volentes: sed tantum quæri, an illa gratiæ efficacia ad infallibilem usque conversionem & salutem electorum derivanda sit ex præscientia DEI, quæ falli non potest, ut Lutherani volunt; an vero simpliciter ex DEI decreto, ut Reformati docent: hoc est, quæri tantum de specialiori origine hujus efficaciæ, quæ ipsa tamen minime sit dubia, adeoque controversiam istam intra designatos schematis gratiæ cancellos non cadere. Circa quæstionem II. *An electio sit ex fide prævisa? an vero fides ex electione?* observat, diversitatem in decidenda illa ex duplici causa nasci. Primam asserit esse, quod alii ordinem intentionis, alii contra executionis sectentur: inde apud illos necessario præcedere decretum dandæ salutis, & sequi decretum dandi fidem, hoc modo: volo dare Petro salutem; ergo illi etiam dabo fidem: apud hos vero, qui attendunt ordinem exsecutionis, decretum dandæ fidei præcedere debere decretum dandi salutem, quemadmodum assumtio in gratiæ syllogismo præcedit conclusionem: ego credo; ergo salvabor. Secundam causam censet esse, quod aliqui electionis decretum sensu tam lato, ut comprehendat & assumtionem & conclusionem, hoc est, fidei pariter & salutis collationem, accipiant, adeoque fidem esse ex electione statuere necessum habeant: nonnulli autem electionis decretum sensu arctiore sumant, ita ut tantum complectatur conclusionem sive solam collationem salutis, adeoq; convenienter huic hypothesi asserere cogatur, esse electionem ex fide prævisa, quia conclusio præsupponit necessario assumtionem.

Atque

Atque ex his infert, litem in hac quæstione tantum esse de nomine & diverso Theologorum ordine, idque verbis e B.Musæi Dissert.de Decr. Elect. thes. 276. depromtis confirmare satagit. III. Quæstionem, *An electio sit ex mero DEI beneplacito?* ex superiore pendere asseverat, atque electionis nostræ negotium a Protestantibus unanimiter in Dei beneplacitum resolvi, e Musæo ac Melchiore probare nititur. Super *quæstione V. & VI.* quarum illa *de perseverantia sanctorum*, hæc *de certitudine salutis* agit, utriusque partis sententia exposita, in momentum istarum controversiarum inquirit, atque nostratium Theologorum doctrina divinarum veritatum gratiæ salutaris processum absolventium firmitati, fidelium consolationi, supremi Numinis gloriæ, ac divinæ gratiæ amplitudini & supereminenti efficaciæ multum decedere censet, &, ne frustra id dixisse videatur, paucis adstruere laborat; utque distinctius de momento hujus rei statui possit, duas quæstiones, quarum prior sit de facto, an omnes regeniti perseverent? posterior autem de jure, an officium credentium sit, ut perseverent? probe discernendas esse monet, innuens, Augustanæ Confessionis Theologos, licet priorem, quæ de facto est, quæstionem negent, cum Reformatis tamen posteriorem, quæ de jure agit, affirmare, adeoque uno ictu amputare omne malum, quod alias ex priore illorum dogmate esset oriturum. Præterea Ecclesiarum Lutheranarum praxin tam publicam quam privatam adeo sanam esse, ut non abunde tantum sufficiat ad ingenerandam cordibus fidem, sed & potentissime promovendam atque conservandam, ac salutis certitudinem producendam. Denique Reformatorum de perseverantia sanctorum dogmate salutis negotium neque directe neque oblique labefactari, probandum sibi sumit. Totam tractationem claudit conspectus materiarum.

ACCESSIONES ETHICÆ, JURIS NATURALIS, ET RHEtoricæ, publicatæ per VINCENTIUM PLACCIUM, J.U.L.Philosoph.Pract. & Eloquentiæ in Hamburgensi Gymnasio P.P.

Hamburgi, apud Zachariam Hertelium, A. 1695. in 8.

Constant alphabetis quinque cum dimidio.

DIgnissimum sua laude institutum, quod Auctor celeberrimus in tradenda morum disciplina sibi præfixit, pridem nos indicasse memini-

minimus, ubi editio Typi, quem vocat, Medicinæ Moralis, & ea quidem idiomate Germanico repetita, A. 1685. in Actis nostris p. 56. seq. recensenda veniebat. Quo dum B.L. remittimus, istud insimul monendum nobis incumbit, quod idem opus tertia nunc vice æquis propositi hujus æstimatoribus, sed a linguæ Latinæ peritia instructis, exhibeatur, ita tamen, ut duos secum adducat comites, majoris longe systematis prænuncios. Nimirum ut in perscrutanda Philosophia universa viam ille calcavit planissimam, & a vulgi semitis haud parum distinctam, (ingressum vero ac hodegos, quibus in eadem usus sit, in præfatione latius, quam heic referre queamus, nominat) ita etiam fructus inde acquisitos orbi erudito nullus invidet, quin potius circa partes quasdam commoratus eorum gustum in hoc, quod jam sub manibus versatur, corpusculo singulis accedere volentibus propinat. De Morali autem Medicina, seu Ethicis, ut in titulo præsenti audiunt, Accessionibus non est cur quicquam amplius dicamus, officio nempe nostro jam olim defuncti; sed ad nova potius ac hactenus nondum publicata pedem promovemus. Juris namque Naturalis consideratio locum ab Ethica proximum heic impetravit, circa quam eum in modum Auctor occupatur, ut methodum e scholis Medicorum mutuatam, inque Typo moralis medicinæ itidem adhibitam, denuo usurpet, ac libris cæteroquin tribus negotium integrum absolvat. Primus horum generalis est, & ad consortium humanum una cum convictu & conversatione summatim spectatis attinet. Secundus in commercia ac varias societates privatas introspicit. Tertius ad publica se confert, civiles que ac universalem gentium omnium societates, nec minus imperium exacte sub incudem revocat. Post hæc Rhetoricam enucleari cernimus, quam studiose adeo pertractat Noster, ut plenam ubique informationem suppeditet, seu quis oratoriam inventionem cognoscere cupiat, seu dispositionem spectet, seu elocutionem sciscitetur, seu tandem recitationem requirere sustineat. Quinimo tria quoque promtuaria subjungit, quæ ad scrutandam inventionem enthymematicam, affectuosam, & moratam oratoribus inserviunt, horumque priora duo jam olim edita fuerunt, tertium vero nunc primum comparet. Utut autem de Rhetoricæ non theoria modo sed praxi quoque ad suadam Christianam applicanda per omne tempus sui muneris cogitasse se profiteatur, formam tamen ejus systematicam, æque ac in

ac in Practica Philosophia Christiana, non nisi post suam demum mortem abs se expectandam esse superaddit.

ΕΥΡΙΠΙΔΟΥ ΣΩΖΟΜΕΝΑ ΑΠΑΝΤΑ.

EVRIPIDIS QVÆ EXTANT OMNIA, TRAGOEDIÆ NEMpe XX; item Fragmenta aliarum plusquam LX Tragœdiarum; & Epistolæ V, nunc primum & ipsæ adjectæ; Scholia demum doctorum virorum in septem priores Tragœdias. Opera & studio JOSUÆ BARNES.

Cantabrigiæ, impensis Richardi Green, 1694. in fol.
Constant 10. alph. 15. plag.

QUod Alcestidi tragico, versuum componendorum facilitatem jactanti, cum ipse singulis interdum diebus vix singulos maximo impenso labore deducere posset, Euripides objecit: *Hoc interesse, quod ejus* (Alcestidis) *versus in triduum tantummodo, sui vero in omne tempus sint suffecturi*; apud Val. Max. Lib. III. cap. 7: id injuria ævi aliter accidisse, & longe plurimas Euripideas Tragœdias periisse, maximo cum dolore intelligimus: id tamen gaudentes, quod earum *viginti* adhuc supersint, quæ *cunctante stylo*, ut Valerius Max. loquitur, *elaborata, per omne ævi tempus plenis gloriæ velis feruntur.* Quibus quod nostro adhuc ævo ferantur, inque manibus nostris versentur, typorum tribuendum est beneficio; siquidem e bibliothecarum latebris eas protraxerunt, & in publicam lucem collocarunt Aldini A. 1503, quos secuti sunt Basileenses, primum Græcas modo eas, dein & Latinas cum Casp. Stiblini & Jo. Brodæi notis ex officina Oporini A. 1558 & 1562, Antverpiani item ex recensione Gul. Canteri A. 1571, Heidelbergenses cura Æm. Porti A. 1597, & Genevenses Stephaniani A. 1602 cum Græcis ab Arsenio collectis scholiis eas exhibentes; ut prætereamus, in Corpore Poetarum Græcorum, quod Coloniæ Allobrogum anno 1614. prodiit, easdem quoque reperiri. Quæ omnes præstantissimi Poetæ editiones cum non amplius fere, nisi in doctorum hominum armariis reconditæ, neutiquam in tabernis librariorum extarent; iis, qui desiderio legendorum horum cultissimorum dramatum tenentur, perquam gratum officium præstitit, deque ipso vate præclare meritus est, Græce doctissimus vir *Josua Barnesius*, dum novam eamque nitidissimam & locupletissimam harum Tragœdiarum

diarum editionem adornavit, quæ non modo priorum omnium in se complecteretur dotes, inque septem priores fabulas Græca scholia ab Arsenio Nomembasiæ Archiepiscopo studiose collecta, & Venetiis A. 1534. ac Basileæ 1544. seorsim excusa, a Paulo Stephano dein ipsis Tragœdiis substrata; verum etiam selectas doctorum virorum e commentationibus variis decerptas observationes, & ab industria ac ingenio proprio profectas conjecturas, cum perpetuis ad omnes fabulas annotationibus, Græcarum litterarum studiosis & veterum auctorum cultoribus exhiberet. In ipso Euripidis contextu eam operam adhibuit, ut genuina & vera lectio passim constitueretur, quæ depravata fuerat; cumque in Græcis poetis omnibus versatissimus intelligatur, & eorum carminis rationem exactissime calleat, ut metri ratio ubivis sibi recte constaret, allaborandum duxit; de qua in Dissertatione *de Tragœdia veterum* multa præfatus est, versuum tragicorum leges sollicite scrutatus. Interpretationem Latinam Gul. Canteri retinuit, lateri textus Græci adjectam; ultimamque, quæ vigesima est, nec nisi a Commelino edita extabat, fabulam *Danaen*, mutilam licet mancamque, non omittendam censuit. Fragmenta etiam dramatum, quæ injuria temporis interciderunt, qualia memorantur *Ægeus*, *Æolus*, *Aloides*, *Alexander* vel *Alexandra*, *Alcmaon*, *Alcmene*, *Alope*, *Andromeda*, *Antigone*, *Antiope*, *Archelaus*, *Auge*, *Autolycus*, *Bellerophon*, *Busiris*, *Glaucus*, *Dictys*, *Helenæ repetitio*, *Erechtheus*, *Eurystheus*, *Theseus*, *Thyestes*, *Ino*, *Ixion*, *Cresphontes*, *Cressa*, *Cretenses*, *Lamia*, *Licymnius*, *Melanippa sapiens*, *Captiva*, *Meleager*, *Oedipus*, *Oileus*, *Oeneus*, *Oenomaus*, *Palamedes*, *Pirithous*, *Pelides*, *Peleus*, *Penelope*, *Plisthenes*, *Polyidus*, *Protesilaus*, *Rhadamanthus*, *Sthenobœa*, *Sisyphus*, *Sciron*, *Scyria*, *Syleus*, *Telephus*, *Tennes*, *Temenus*, *Troes*, *Hypsipyle*, *Phaethon*, *Phædra*, *Philoctetes*, *Phœnix*, *Phrixus*, *Chrysippus*; fragmenta item, quæ recitata quidem ab auctoribus sub Euripidis nomine fuerant, sed quibus fabulæ vel dramatis titulus non adscriptus: ea inquam omnia integris Tragœdiis parte II. p. 443. seqq. 517. seq. subjecit, collecta & depromta e Stobæo, Athenæo, Clemente Alexandrino, Justino Martyre, Plutarcho, Macrobio, Strabone, Longino, Eustathio, & Scholiastis, indicataque a Grotio in Excerptis & Meursio passim. Bene autem pag. 442. & 458. monet, multa nomina fabularum falso Euripidi adscripta inveniri pas-

sim

ſim apud Auctores, & minus recte pro integrorum dramatum titulis, qui tamen tales non ſint, venditari. Nam ubi Tragici quendam loquentem induxerint, v. g. *Hermionem*, *Polydorum*, *Atreum*, *Capanea* &c. ſtatim fabulas his nominibus vocatas, fuiſſe creditum, indeque tot earum, quæ nunquam extitere, conficta nomina. Epigramma deinde, Epicedium, & ex Hymnis nonnullos verſus p. 516. Euripide auctore, affert; cujus etiam Epiſtolas quinque ad Archelaum Regem, Sophoclem poetam, & Cephiſontem amicum p. 523. ſeq. profert, & Euripidis eſſe, adverſus aliter ſentientes, tuetur p. 523. quas etiam pro Euripideis Aldus in collectione ſua Epiſtolarum Græcarum anno 1499. edita reputat. Verſionem eam ſervavit, quam Canterus & Portus dederunt, ſed quam paſſim emendavit; potiorem eam habens quam veterem, quæ Dorothei Camilli nomine circumfertur, aut quæ a Melanchthone confecta ab Oporino Baſileenſe A. 1558. & 1562. excuſa fuit; etiam inſuper habitis interpretationibus ἐμμέτροις. quales Eraſmus elegantes compoſuit Hecubæ, & Iphigeniæ in Aulide; Buchananus Medeæ, & Alceſtis; Grotius Phœniſſarum; alii forte aliorum dramatum. Eruditas Diſſertationes duas easque ſatis luculentas præmiſit, *alteram* de vita & ſcriptis Euripidis; *alteram* de tragœdia veterum Græcorum, & ſcena ac illius apparatu, nec non de muſica theatrica, deque verſuum tragicorum legibus: quarum e priori, quippe ad Poetam hunc præcipue ſpectante, nonnulla delibabimus.

Conſcripta ea eſt in modum ferme annalium, quales in Cyprianum, Irenæum & Vellejum Paterculum adornatos debemus doctiſſimo Dodwello: nam eadem ratione Barneſius natali anno Euripidis (qui incidit in Olympiada LXXV, cujus anno primo, media æſtate, die XX. Boedromionis menſis in lucem editus fuit) exorſus, Græciæ res, quæ ad Socratis uſque mortem, qui illi ſex annos ſuperſtes fuit, adeoque per annos LXXVI contigerunt, depromtas e veteribus Græcis ſcriptoribus expoſuit. In Salamina inſula lucem eum primum adſpexiſſe narrat, quo confugerant Athenis parentes Mneſarchus & Clito, ob metum magnæ illius expeditionis Perſicæ, quam Xerxes in Græciam ſuſceperat A. V. C. 273. ibidem victus, eo ipſo die quo Euripides natus; unde lac maternum hauſiſſe, infantemque vagiiſſe, inter pæanas, hymnosque, choreas, & tropæa patriæ ſuæ, ait Sect. 8. Quum autem parentes ejus oraculo eſſent moniti, (quod ex Oe-

nomao recitat Eusebius Lib. V. Præp. Evang. cap. 33. & cujus mentionem facit Gellius Lib. XV. cap. 20.) fore ut is puer, ubi adolevisset, in certaminibus victor coronaretur; corpus illius roborare & ad labores certaminum confirmare studuisse, ac athleticæ vitæ ipsum assuefecisse: indeque anno ætatis decimo septimo, Olympiadis LXXLX primo, in Eleusinio & Theseo certamine pugnasse & coronatum esse, pingendi etiam arti deditum fuisse Sect. 12. memorat. Grammaticæ tamen & Philosophiæ ac liberalioribus studiis animum magis applicuisse, præceptoribus usum Prodico rhetore & Anaxagora philosopho, (de quo multa disserit Sect. 13.) quem tamen quum in vitæ discrimen ob sententias quasdam novas venisse intelligeret, missa philosophia, anno ætatis decimo octavo animum ad tragœdias scribendas applicuisse e Gellio indicat; quibus Socrates summopere fuerit delectatus, dicente Æliano Lib. II. Var. Hist. cap. 13. etsi ætate minor Euripide, quippe duodecim annis post Euripidem natus. Id autem ipsi præcipue in omnibus fabulis propositum fuisse Barnesius Sect. 14. censet, ut auditoribus suis quam maxime prodesset, & per jucundas carminum ambages animis eorum virtutis amorem & hujus vitæ contemtum instillaret, omnia denique pietatis, constantiæ, prudentiæ, & patientiæ præcepta veterum Heroum exemplis cohonestaret, densisque optimarum sententiarum repetitionibus suis Atheniensibus inculcaret. Complura porro de Euripide, & singulis ejus ætatis annis narrat: pietatem ejus in Athenas patriam (parentibus enim Atheniensibus, etsi in Salaminam profugis cum nasceretur, ortum supra vidimus) commendat Sect. 16; quatenus fœminarum osor extiterit, ostendit Sect. 19; fabulam *Medeam* ipsi vindicat Sect. 18; Sophocle haud inferiorem eum esse demonstrat Sect. 20; ingenium ejus & inventionis laudem, affectuumque ciendorum artem Sect. 23, modestiam Sect. 22, castitatem Sect. 24. & alias dotes laudat. In contentione cum Tragicis reliquis, Sophocle & Æschylo, qui eum inferiorem censent, id opportune e Vossio objicit Sect. 20: *Fortasse sæpius peccasse videtur, quia plura ejus habemus*; hujus enim unius plures supersunt tragœdiæ, quam reliquorum omnium. Uxorem habuisse Chœrilam, & ex ea liberos quatuor suscepisse, Mnesilochum, Xenophontem, Mnesarchidem & Euripidem, Sect. 25. tradit. Ipso vivente Socratem & Platonem natum, Herodotum vero, Periclem, & Pindarum, mortuos indicat

dicat Sect. 11. 26. Anno ætatis sexagesimo quarto in Macedoniam ad Archelaum Regem, donis ab eo evocatum commigrasse, ibique reliquam vitæ partem summo in honore habitum exegisse, Sect. 28. 30. ex Epistolis ejus (quas genuinas esse asserit) docet, & crudeli fato ibi extinctum, anno ætatis septuagesimo quinto a canibus laceratum Sect. 31. narrat. In Regis Archelai autem sepulchro Pellæo magnifice conditum, & ab eo deploratum Sect. 32. refert, ac monumenta ipsi condita profert, quæ hic recensere nil attinet, sed ex ipsius Barnesii narratione peti possunt; a quo conscripta eundem in modum *Pindari Vita*, (Sect. 4.) forte novæ editioni istius gravissimi Poetæ Odarum, quam eruditos Anglos moliri accepimus, addenda, ut brevi lucem adspiciat, vovemus.

LES VIES DES HOMMES ILLUSTRES DE PLUTARCHE &c.
id est:
PLUTARCHI Vitæ Parallelæ virorum illustrium, in Gallicum sermonem translatæ notisque illustratæ a Conjugibus Daceriis. Tomus I.
Parisiis apud Cl. Barbin, 1695. in 12. alph. 1. pl. 4.

MAgnis suis egregiisque in rem litterariam meritis & hoc addere voluit nobilissimum Conjugum par, ut Plutarchus quoque, sed insignibus accessionibus locupletatus, denuo in lucem prodiret. Utique ingenio tam præstanti omnisque eruditionis copia instructus fuit Plutarchus, ut non tantum conticescere omnes jubeat, qui ex Bœotia nihil præclari proficisci posse arbitrati sunt, sed ut ex gentium omnium viris eruditione conspicuis, qui cum eo contendi possint, pauci admodum sint, tantum abest, ut præferri quis aut anteponi facile debeat. Meruit itaque, ut elegantissima ista versione donaretur Gallica, ipsi Plutarcho quoque novum & plane illustre decus (adeo nihil in ea est, quod non laudari mereatur) conciliatura. Functus quidem hocce labore jam pridem est *Amiotus*; sed & ita functus est, ut non exiguam inde retulerit gloriam. Sermonis genere enim utitur proprio & puro, & nativa elegantia ubique se commendante: quin primus fere fuit, qui sermonem Gallicum numeris sonoris constringere & apte temperare didicit: sed vero cum & sermonis ea sit conditio, ut subinde mutetur aliamque & aliam induat faciem, hinc sæpius

pius in eo deprehendas formulas a loquendi ratione, quæ hodie obtinet, plane abhorrentes, quin tales, quæ vix intelligi possint. Nihil itaque doctissimos Auctores remorari poterat, quo minus destinata exequerentur, specimenque laboris sui primum, Vitas Plutarchi, publicæ exponerent luci. Ita vero in hoc instituto se gesserunt, ut durius illud intricatiusque dicendi genus, quo usus est Plutarchus, cum planiori quidem commutarent, darentque operam, ut indolem geniumque linguæ Gallicæ accurate exprimerent; sed ita tamen, ut sensum quoque mentemque Plutarchi, fide & perspicuitate, qua potuerunt, maxima referrent. Hunc in finem & populorum, dignitatum, munerumque antiqua nomina retinuerunt: obscuriora autem loca in notis, de quibus deinceps dicetur, illustrarunt, quin nihil, ut Lectoris commodo consulerent, fecerunt reliqui; id quod pluribus in Præfatione luculenta edisserunt. Illud vero hic prætermittendum non est, instructos eos fuisse duobus codicibus, altero Hadriani Turnebi, altero summi & incomparabilis viri Thuani, utroque notis quibusdam manuscriptis illustri. Sed Hadrianus Turnebus voces saltem maxime notatu dignas in margine consignaverat: ast Thuani observationes plurimum sibi profuisse, grati profitentur. Ad imagines quod attinet operi huic additas, Romuli quidem, Numæ, Lycurgi atque Solonis ex museo Regis, Thesei autem ex museo Primi Præsidis se accepisse docent: licet, quod ad Theseum attinet, dubitent, an Theseum, an alium virum Atheniensem referat, Criticorum & antiquitatis peritorum esse asserentes, accuratius hac de re dispicere.

Hac occasione calamum stringunt in censorem quendam, qui asseruerat, imaginem, libris M. Aurelii Antonini Imp. de se ipso ad se ipsum, in Gallicam linguam translatis, & a Dacerio doctissimaque ejus Conjuge cum notis editis (vid. Acta Erud. anno 1692. mense Junio pag. 249.) præmissam, non referre M. Aurelium Antoninum, sed Commodum Imperatorem, adeoque eos turpiter hosce Imperatores confudisse. Idem etiam ægre tulerat, Imperatorem istum non Marcum Aurelium Antoninum, sed saltem Marcum Antoninum vocatum esse. Ad utrumque respondent; ad prius, imaginem Antonini ex editione Gatakeri depromptam a se fuisse, nec tantum sibi præsto esse nummorum apparatum, ut accuratius hanc in rem inquirere potuerint, sed operam se dedisse, ut genium Antonini notiorem sibi redderent,

rent, quam faciem. Ad alterum regerunt, tædiosam valde rem futuram fuisse, si tria Imperatoris nomina semper repetere voluissent; præterea neminem esse, qui non statim intelligat, per Marcum Antoninum, hunc ipsum Aurelium indigitari: ipsum quoque Imperatorem non alio magis quam Antonini nomine delectatum fuisse: quin in nummis quibusdam, non Marcum Aurelium, sed Marcum Antoninum vocari: sibi ergo, quod & ita eum appellitaverint, vitio verti non posse. Finiunt tandem Præfationem, vitam Plutarchi breviter exhibendo, seriemque scriptorum ab eo editorum subnectendo.

Cæterum notæ, quas addiderunt, breves illæ quidem sunt & succinctæ, eoque unice comparatæ, ut lucem Plutarcho concilient afferantque; eædem tamen elegantissimæ, & nihil nisi profundam doctrinam antiquitatisque exactam cognitionem spirant. Sæpe etiam quæ perperam a Plutarcho asserta sunt, in iisdem emendant corriguntque. Documento illud est, quod de Minoe Plutarchus refert in vita Thesei, eundem ab Homero & Hesiodo ut Regem justissimum optimumque, & Legislatorem sapientissimum celebrari; a cæteris tamen poetis, præsertim Atheniensibus, ut Tyrannum profligatissimumque mortalium subinde traduci. Factum illud ideo esse putat Plutarchus, quod Athenienses irritaverat; ex eoque concludit, qui famæ suæ consulere cupit, illum quidem nullo modo aut poetas, aut civitatem quæ poetas alit, ad iram provocare debere. Sed oppido fallitur, æque ac Plato, unde hæc deprompsit. Ille enim Minos, quem ut exemplum sævitiæ sistunt tragici vates, nepos fuit ejus, quem laudat Homerus, adeoque plane alius, & moribus etiam utique ab eo diversus. Nam Homero laudatus Minos nemini veterum non laudatus est, ab Homero vero insigni ornatur encomio, dum Διὸς μεγάλου ὀαριστὴς appellatur; quo ipso ut nostri judicant, respicit ad illud divinarum literarum effatum, quod *DEUM cum Mose a facie ad faciem locutum esse, ut amicus cum amico loqui solet*, perhibet *Exod XXXIII, 11.* confirmantque adeo haud obscure illorum placita, qui ad Mosen trahunt, quod veteres de Minoe sunt commenti. Sed finem hic facere, cæterasque observationes elegantissimas sicco, quod ajunt, præterire pede, instituti leges jubent.

HISTOIRE DES ANABATISTES.

id est:

Historia Anabaptistarum.

Parisiis apud Car. Cluzier, 1695. 12. plag. 9.

INter omnes quos infernalis genius excitavit & ex orco protulit cœlestis doctrinæ depravatores, qua dogmatum absurditatem, qua morum perversitatem pravitatemque, nulli facile fœdiores sunt Anabaptistis. Et isto tamen veneno tam multorum hominum afflari animos, aut integras urbes provinciasque hoc furore compleri, & pestilenti dogmate inundari potuisse, quis crederet? Præsertim cum obstetricantibus infimæ sortis hominibus, quibus nec eruditio ulla, nec auctoritas fuit, qua alios in suas pertraherent partes, in lucem editum fuerit horribile istud monstrum. Quis vero sibi persuadebit, tanta insuper pertinacia vanissima hæcce commenta a quibusdam defensa fuisse & propugnata, ut vitam prius quam errorem ponerent, nec ullis suppliciis, quantumvis diris & exquisitis, ne non desiperent, adigi potuerint? Posteritatis itaque interest, ut fidelibus historiarum monumentis hæc consecrentur. Quo munere Auctor fungi nunc voluit, non ignarus tamen & alios jam eodem defunctos esse.

De origine hæreseos hujus non omnibus una eademque animo sedet sententia. Sunt, ut Auctor observat, qui Luthero nostro hanc adspergere labem, eumque pro auctore Anabaptistici furoris venditare non dubitant: sunt, qui Carolostadium aut Zwinglium, aut Melanchthonem, aut Balthasarum Fridbergium, sobolis hujus parentes profitentur. Auctor nihil definire audet; saltem Lutheri de libertate Christiana librum, ab incondita plebe prave intellectum, motibus istis rusticorum, qui Germaniæ incubuere, ansam suppeditasse, a vero non adeo abhorrere putat. Hinc de Thoma Munzero, ejusque capitali supplicio agit, & enumeratis præcipuis Anabaptistarum erroribus, quo pacto per Belgium dispersi sint, Monasteriumque deinceps, Westphaliæ urbem, regni Anabaptistici sedem constituerint, pluribus exponit. Et initio Johannes Mattyssen Princeps erat Anabaptistarum Monasteriensium, quem & ceu sanctissimum & divinum vatem suspiciebant; sed eo in excursione quadam interempto, summam rerum Anabaptisticarum Johannes Leidensis variis artibus ad se rapuit, quam etiam tenuit,

ex

ex libidine cuncta decernens, miserosque mortales, quos vanis suis pollicitationibus decepit, in omnem circumagens partem, donec urbe tandem ab Episcopo capta, sceleris sui daret pœnas gravissimas quidem, sed promeritas. Hæc omnia dum seriem ordinemque temporis secutus Auctor edisserit, subinde & Anabaptistarum in Belgio molimina, præsertim fata haud incelebris nebulonis Van Geelen, & motus periculosissimos, quos Amstelodami excitavit, describit accurate. Quæ ut sigillatim hic repetantur, supervacaneum foret, cum nemo tam hospitem ex historiarum monumentis facile retulerit animum, ut hæc ignoret. Cum autem Principes & Magistratus subinde pœnis durioribus hanc perditorum hominum petulantiam coercerent, ipsique jam sapientiores facti intelligerent, vanam irritamque esse, quam de regno Anabaptistico undique stabiliendo animo conceperant, spem, alios mitioresque induere mores, ut eo tutius fallerent, consultum duxerunt. Auctor illis præcipue ut hoc facerent, fuit Menno Simonis, qui inter alia docuit, nefas esse baptismi lavacro initiare infantes, Christianis quoque nec jurare, nec bella gerere, aut Magistratus fungi munere, licitum esse. Hinc plerisque Mennonitarum nomen hæsit. Hodie tamen multos Socinianorum de grege, Mennonitarum nomine etiam in Hollandia venire, quibus tamē Anabaptistarum nomen sordet, Auctor tradit. Horum dogmata exhibet, inter quæ præcipuū, quod nec Trinitatis voce uti liceat, nec Personæ, quando de Patre, Filio & Spiritu Sancto verba fiunt. In plurimas vero & infinitas sectas abiisse Mennonitas docet: & illos quidem, qui simul Socinianorum vel potius Arrianorum placita probant, quoad divinitatem Christi Servatoris, omnes cujuscunque religionis homines tolerandos esse docere, modo honeste vivant, & Scripturam S. esse verbum Dei fateantur. Et hosce quidem homines *Galenistas* hodie dici a medico quodam Amstelodamensi Galeno Abrahamsen, qui pastoris munere apud illos functus sit. Esse & qui *Collegiani* appellentur a conventibus, in quibus unicuique detur copia dicendi, & explicandi Scripturam, preces fundendi atque cantandi. Quod autem ad Quakeros sive Tremulos Anglicanos attinet, ab illis Anabaptistis, qui ex Belgio profugi in Angliam se receperunt, hosce oriundos esse docet: de conditore vero sectæ Georgio Foxio, plura tradit, eumque cum maximo humani ge-

neris impostore Mahumede contendit, tandemque dogmatibus & moribus Quakerorum enumeratis, finem operi imponit.

LES OEUVRES DE MR. SARASIN.
id est:
Opera Domini Sarasini.
Parisiis apud viduam Sebastiani Mabre-Cramoisy, 1694. in 12. alph. 1. pl. 2.

INter viros eruditione & ingenio, præsertim eloquentia præstantes, carminumque gloria præcellentes, quos unquam Gallia tulit, ultimum adeo non occupat locum Sarasinus, ut facile teneat primum. Divini spiritus virum, ut Velleji voce utamur, eum fuisse, vel pauca hæcce, quæ nunc prodierunt, ingenii felicissimi monumenta satis superque testantur. Primo inter ea loco comparet *Historia obsidionis Dunkerkanæ*, jam & cæteroquin, tum seorsim, tum cum aliis virorum doctorum opusculis (videlicet in Commentariis componendæ Ludovici Burbonii, Principis Condæi, Historiæ inservientibus, a nobis mense Julio A. 1694. pag. 299. recensitis) edita, & communibus doctorum omnium suffragiis approbata. Nec minorem laudem promeretur, quæ sequitur *Historia conspirationis Wallensteinianæ*, sed, quæ fatorum fuit iniquitas, manca & sine maximaque sui parte mutilata. Wallensteinianam Historiam excipit *T. Pomponii Attici Vita*, a Cornelio Nepote conscripta, sed a Sarasino in Gallicum sermonem translata. Hæc omnia, utut maxime præclara sint, vix tamen, judice Auctore qui præfationem operi huic præmisit, conferri merentur cum *Dialogo* de quæstione *an juvenes amare debeant?* Enimvero quo magis a moribus nostris alienum est, ejusmodi sermonibus, qui Dialogi vocantur, res gravissimas pertractare, eo majorem consequuntur gloriam, qui ex artis lege regulaque hoc faciunt. Sunt præterea Dialogorum varia genera: nonnulli ad docendum apti sunt, alii ad delectandum; in illis plus eruditionis, in hisce ingenium excellentius conspicitur: sed qui medium tenent locum, longe sunt præstantiores, cum & eruditionis apparatus æque ac ingenii vis eos commendare soleat. Et ad ultimam quidem classem cum Dialogus Sarasini pertineat, nihil eorum prætermisit, quæ præstantissimi artis hujus magistri præcipere consueverunt. Utile pariter ac jucundum, tale videlicet, quod ad mores formandos pertinet, argumentum selegit. Sane Auctor præfationis doctis-

doctisſimus, quem Peliſſonium eſſe accepimus, hinc concludit, ad illam Dialogos ejusmodi conſcribendi gloriam, quæ apud Græcos olim Platonis & Xenophontis, apud Romanos Ciceronis propria fuit, ex recentioribus ſolum Saraſinum adſpirare potuiſſe. Sed poſt Dialogum huncce ſeſe nobis offert *Commentatio* Saraſini *de Nomine & origine ludi Latrunculorum*, ex quo ſpeciminis cauſa deinceps quædam dabimus. Hinc ſequitur *Pompa funebris Vetturii*, (de Voiture) ſoluta partim, partim ligata oratione conſcripta, adeoque ipſa novitate ſe commendans: cum inter Gallos ante Saraſinum, præter Theophilum ab Auctore præfationis memoratum, hocce ſcribendi genere nemo uſus ſit. Agmen operum proſa oratione conſcriptorum claudit *Diſcurſus de Tragœdia*, Tragœdiam iſtam celeberrimam Scuderianæ virginis, cui titulus *Amor Tyrannicus*, in cœlum laudibus evehens, comprobansque, eam ad leges Tragœdiæ a peritisſimis artificibus conſcriptas, plane fuiſſe compoſitam. Quem Diſcurſum ipſe Balſacus, Gallicorum oratorum & poetarum princeps, tanti fecit, ut eo ſolo commotus, amicitiam ejus ambiverit. Vid. *Epiſt. Balſaci lib. V. Ep. 1. pag. 438.* Sequuntur tandem iſta monumenta Saraſini, ligato ſermone conſcripta, quæ reliquam operis hujus partem conſtituunt; de quibus prolixius in dicta ſæpius præfatione Peliſſonius diſſeruit.

Ne vero nullum doctrinæ elegantioris, quæ in hiſce operibus ſe prodit, documentum Lector habeat, ex ſuccincta illa commentatione de origine & nomine ludi latrunculorum, pauca commemorare non pigebit. Initio itaque refert ſententiam Sirmondi, quem Jeſuitarum doctiſſimum vocat, qui Septentrionales gentes a Romanis ludum latrunculorum accepiſſe contendit, ſuaque lingua ludum *Schachicum* appellitaſſe, cum *Schach* illis ſignificet latronem. Laudat hunc in finem Capitularia Caroli Calvi, in quibus plus una vice vox *Schachator* uſurpatur pro latrone: hinc itaque & Italorum *Scacchi*, & Gallorum *Echets* fluxiſſe. Leunclavius cum Sirmondo in eo conſentit, quod *Schach* latronem denotet, ſed a Turcis potius, gente latrociniis olim vivere ſueta, quam Romanis, ejus natales repetit. Salmaſius ut ludi originem a Romanis, ita vocis *Schach* a *calculo* derivat: in quo ſecum conſentientem habet Scaligerum. Id qua ratione fieri potuerit, erudite explicat noſter. Et ſane apud Romanos non tantum latrunculorum ludum in uſu olim fuiſſe, ſed & eundem plane eſſe cum ludo calculo-

 culo-

culorum (des Marques) ex Ovidio atque Lucano præcipue, aliisque ſcriptoribus Romanis haud obſcure videtur colligi poſſe. Aſt quare vocarunt ludum latrunculorum? Num quod milites ſæpius latrocinia exercent? an vero quod latro militem ſignificat? Sane quidem vocis hujus bonum olim fuiſſe ſignificatum, eandemque militem denotaſſe, ex Ennio, Plauto aliisque colligas licet. Varro tamen Romanorum doctiſſimus corporis cuſtodem ſignificaſſe tradit. Sed quid, ſi quis neget, Scachicum ludum unquam aut Græcis aut Romanis uſurpatum fuiſſe? Negat ſane id diſerte, referente Saraſino, Guyetus, vir doctiſſimus, locumque Lucani, qui vulgo afferri ſolet, de ludo *Scruporum* (jeu des Merelles) capit. Sane hunc ſcruporum ludum Romanis haudquaquam incognitum fuiſſe, largitur noſter, idque ex hoc Ovidii documento patere ait:

Parva tabella capit ternos utrinque lapillos
In queis viciſſe eſt, continuaſſe ſuos.

Sed ad Lucani locum quod attinet, licet ſibi vix perſuadere poſſit, eum de ludo ſcruporum intelligendum eſſe, nihiloſecius nec de Scachico ludo eum capi poſſe contendit, adeoque in eo cum Guyeto conſentit, ex Lucano colligi non poſſe, ludum Scachicum Romanis fuiſſe cognitum. Rectius itaque apud alias gentes ludi hujus natales quæri concludit, memoratque in tranſitu ſententiam Hieronymi Vidæ, cujus doctiſſimum de ludo Scachico carmen laudat, illorum tandem comprobans ſententiam, qui a Perſis ad Europæos perveniſſe hunc ludum aſſerunt, & adeo ex Perſica lingua vocem iſtam derivant.

DE IRA LIBRI TRES, AUCTORE LIVINO DE MEYER, e Societate Jeſu.

Antverpiæ ex typographia Henrici Thivillier, 1694. in 4.
Conſtant plag. 9.

INter animi vitia, quibus natura hominis inſigniter deformatur, & vel in brutorum conditionem abjicitur, vix aliquod vehementius eſt nocentiusque quam *ira*. Unde & reperti ſunt omni tempore inter ſapientes viri prudentiæ & eruditionis opinione inclyti, qui præclare de humano genere merituri diſertiſſimis verbis docuerunt, quomodo malo tam præcipiti medicina afferri debeat. Inter illos principe loco collocandus eſt *L. Annæus Seneca*, cujus inter libros Philoſophicos

tres

tres de Ira primi conſcripti ſunt a Viro rerum honeſtarum intelligentiſſimo, certe primi omnium in ejus operibus exhibentur. In iis enimvero non monſtrat tantum, quomodo ira ſit noſcenda, ſed monet etiam, quomodo fugienda ſit, quæque remedia adverſus hoſtem tam ſævum ſint expromenda; ex quibus duo inprimis nominat: ne videlicet iraſcamur, & porro, ne in ira peccemus; quæ omnia & pulcherrime & utiliſſime per totum iſtud opus exequitur. Quum vero argumentum hoc a nemine hactenus ſyllabarum atque vocum concentu pertractatum ſit, id eo lubentius occupavit atque elegit ſibi doctiſſimus *Livinus de Meyer* e Societate Jeſu, Poeta feliciſſimus. Nam præter poematis ſuavitatem, qua delectare Lectores ſtuduit, etiam rei ipſius, de qua agere inſtituit, utilitate impenſe prodeſſe poterit.

Ipſe quoque in *tres libros* diſpeſcuit opuſculum, in quorum *priori* in *cauſas iræ* atque irritamenta ſolerter inquirit, quæ tam levia, tam tenuia, tam minuta aliquando eſſe docet, ut mirum ſit, hominum animos iisdem ad iracundiam commoveri poſſe. Poſt libro *ſecundo* ad *ſigna iræ* progreditur, quibusque indiciis agnoſcenda ſit, & quæ *damna* exinde conſequantur, graviter oſtendit. Tum vero libro *tertio remedia* contra iram inſtillat, & ut compeſcendus ſit cum ratione efferveſcens animi impetus, ſuaviſſimis monitis inculcat. Nec vero mirum alicui videri debet, quod Elegiaco metro uſus ſit: nam præterquam quod materiæ propoſitæ gravitas ea non ſit, ut Heroici metri majeſtatem efflagitet; exemplis etiam Poeta noſter defendi poteſt. Quod enim hoc carminis genus non ad luctus ſolum & amores, ſed ad argumenta etiam graviora atque frontis ſeverioris accommodari queat, & Propertii Pugna Actiaca, & Ovidii Faſtorum libri abunde comprobant. Cæterum quam feliciter in hoc poetandi genere verſatus fuerit Auctor, elegantiſſimi verſus loquuntur, in quibus certe ad veterum illorum elegantiam, perſpicuitatem ſuavitatemque adſpirat, ſi non & aliquos in his rebus ſuperat; ut adeo Lectoris otium, quod legendo huic poemati impendet, & amœnitate ſua & utilitate ſatis ſuperque compenſaturus ſit. Votum modo adjicimus, ut reliquas ſapientiæ partes eadem venæ florentiſſimæ felicitate excolere Vir eruditiſſimus pergat.

C. SILII

C. SILII ITALICI VIRI CONSULARIS DE BELLO PUNICO secundo Libri XVII. CHRISTOPHORUS CELLARIUS recensuit, & Notis & Tabulis Geographicis, ac gemino Indice, Rerum & Latinitatis, illustravit.

Lipsiæ, apud Jo. Thomam Fritschium, 1695 in 12.
Constant plag. 28. & tab. æneis 6.

QUantus vir, quam eximiæ dignitatis, quam sollicitæ elegantiæ, quam oris diserti, quantaque in scribendis carminibus felicitate, præcipue cum in beatissimum secessum compositus annos emeritos Musis consecrasset, *Cajus Silius Italicus* fuerit, illos subterfugere non poterit, qui in lectione Corn. Taciti, Plinii Secundi, Val. Martialis & Sidonii denique Apollinaris vel leviter versati sunt. Ille igitur vir eruditissimus, ut effingendis carminibus delectabatur; ita de *Bello Punico secundo libros XVII.* ex amœnissima vena effudit. Licet enim superioribus fortasse poetis, quorum ætas in aureum Latinitatis seculum incidit, ingenii solertia & fingendi acumine comparandus haud veniat; sua tamen nihilominus laurea dignissimus censendus est. Nam ipsi quoque suæ constant venustates, quum & coloribus similitudinibusque oppido elegantibus, & ad res pulcherrimas digressionibus haud intempestivis Lectorum animos suaviter ducat, curaque & industria, in quibus deficere videri poterat, studiose compenset. Sane quæ ad historiam belli, inter duos potentissimos populos de imperio orbis certantes magno molimine & eventuum varietate gesti, pertinent, ea ex *Silio* hoc secure hauriri possunt, quippe qui Titum Livium, ex historicis principem, scribendo secutus est. Insuper & ad origines familiarum, urbium & populorum frequentissime stylo divertit, non aliter ac si rem hanc æque ac belli Punici historiam consignare literis instituisset. Quæ etiam veterum mythologiam sapiunt, & condendo carmini ingens decus conciliant, haudquaquam neglexit. Imprimis in eo laudem commeretur, quod Geographiæ curam maximam habuerit, & adeo Italiam, Siciliam, Hispaniam & Africam distincte & accurate descripserit, ut vix ex antiquis Geographis superiorem, ex Poetis & Historicis sane neminem parem habeat. Denique & saluberrimis præceptis ac luculentis exemplis sententiisque gravissimis morum honestatem lectoribus utique instillat; id quod Philosophi alias auste-

aufteriori fermonis habitu peragere folent. Hujus tamen tam infignis Poetæ non ea fuit habita ratio, quantam quidem ipfe merebatur. Nam cum fua ætate fuerit celeberrimus, fcriptis etiam maximorum virorum commendatus, confecutis temporibus vix unus extitit, Sidonium Apollinarem fi excipias, qui ejus aliquam mentionem injecerit. Quin & reflorefcentibus bonis literis reductus quidem & ipfe in lucem fuit, Romæ primum anno M CCCC LXXIV. editus, fed ita tamen, ut plurimæ ei fordes ex tot feculorum ingluvie adhærefcerent, nec ipfe pro dignitate fua paulo comtior prodiret in publicum. Succefferunt vero poftea ingenia decora, quæ emaculando expoliendoque *Silio* manum denique auxiliatricem admoverent; inter quæ *Francifcus Modius* & *Daniel Heinfius* admodum juvenis præclare de eodem funt meriti; quos in hoc ftudio *Claudius* etiam *Dausquejus* fecutus eft. Poft quæ tempora ceffatum iterum eft ab ornando *Silio*, nifi quod viri docti *Cafpar Barthius*, *Jo. Fridericus Gronovius* & *Nicolaus Heinfius* fparfim quædam in illo emendarunt: ultimus præfertim, cujus animadverfiones & notæ, quas paternæ editioni adfcripferat, cum in virum ampliffimum deque bonis literis meritiffimum *Fridericum Benedictum Carpzovium* incidiffent, novæ editioni huic egregie infervierunt. Eandem *Chriftophoro Cellario* debemus, viro eruditiffimo, & in vicina Academia Halenfi humaniorum literarum Profeffori celeberrimo, qui jam pridem Auctores Latinitatis optimos fibi opera & dexteritate infigni reddidit devinctiffimos. Et ifte quidem munere hoc in fe fufcepto egregie perfunctus eft. Nam pro more fuo, quem alibi tenuit, emendatisfimum reddidit textum; quæ offenfare poterant legentem, clariora fuis interpretamentis fecit; geographicis tabellis Poetam illuftravit; indicibus accuratisfimis, legentium memoriam impenfe adjuvantibus, moleftiaque requifitionis unumquemque levantibus, utiliter adjectis: ita quidem, ut *Silius* & frequentius nunc legi, & melius intelligi ubique poffit.

ADDENDA AD DN. G. G. L. SCHEDIASMA PROXIMO menfi Julio pag. 310. & feqq. infertum.

UNum adhuc addere placet, ut omnis de realitate differentiarum cujuscunque gradus tollatur difputatio; poffe eas femper exprimi rectis ordinariis proportionalibus. Nempe fit linea quæcunque, cu-

jus ordinatæ crescunt vel decrescunt; poterunt ad eundem axem in iisdem punctis applicari ordinatæ secundæ ad novam lineam terminatæ, proportionales differentiis primi gradus seu elementis ordinatarum lineæ primæ. Quod si jam idem fiat pro secundis ordinatis, quod factum est pro primis, habebuntur ordinatæ ad lineam tertiam, proportionales primarum ordinatarum differentio-differentialibus, seu differentiis secundis; seu, qnod idem est, secundarum ordinatarum differentiis primis. Et eodem modo etiam differentiæ tertiæ, & aliæ quæcunque per quantitates assignabiles exponi possunt. Modum autem differentiis primi gradus proportionales exhibendi rectas ordinarias jam tum explicui, cum primum hujus calculi elementa traderem in Actis Octobris 1684. Nempe inspiciatur ibi Tabula ad p. 467 dicti anni 1684, reperietur *dx*, elementum abscissæ AX vel *x*, repræsentari per rectam assignabilem in figura separatim positam, & deinde *dy*, elementum ordinatæ XY seu *y*, repræsentari per rectam quæ sit ad dictam *dx* jam assignatam, ut XY ordinata, est ad XD interceptam in axe inter tangentem & ordinatam. Ubi corrigendus est error, qui illic nescio qua negligentia irrepsit, ut pro XD, XB, XC, XE, interceptis portionibus axis, male ponerentur YD, VB, WC, ZE portiones tangentis; tametsi correctio ex p. 470 ibidem haberi potuerit. Et quoniam eadem opera habetur modus exponendi differentias gradus secundi, per proportionales illis differentias gradus primi, & in universum posteriores per præcedentes proximas, patet nullum esse gradum differentialium, utcunque remotum, qui non per rectas assignabiles exhiberi tandem queat. Quod si solæ darentur differentiæ primæ, sequeretur omnes ordinatas crescere uniformiter, seu omnem lineam esse rectam. Interdum autem, continuando aliquousque differentiationes, tandem finiendum est, cum nimirum linea differentiarum repræsentatrix, secunda vel tertia vel alia ulterior, fit recta. Nempe si ordinatæ primæ sint ut abscissæ, tunc linea prima est recta, & caret differentiis secundis. Si ordinatæ primæ sint ad parabolam (nempe quadraticam) seu si sint ut quadrata abscissarum, tunc linea secunda erit recta, & linea prima (parabola scilicet) carebit different is tertiis. Si ordinatæ primæ sint ad paraboloeidem cubicam, seu sint ut cubi abscissarum, tunc linea tertia erit recta, & linea prima (paraboloeides scilicet cubica) carebit differentiis quartis & ita porro. Idem est si ordinatæ

natæ (primæ scilicet) componantur ex ordinatis paraboloeidum dictis, sive per additionem sive per subtractionem; tunc enim finientur tandem differentiæ cum altissimæ paraboloeidis ingredientibus ordinatis. Sed in cæteris lineis omnibus, differentiationes procedunt in infinitum, quoties scilicet in valore ordinatæ abscissa in nominatore vel vinculo reperitur. Ex his jam intelligitur calculum differentialem posse concipi, tanquam si fieret non nisi in quantitatibus ordinariis; tametsi origo ex inassignabilibus petenda sit, ut abjectionum seu destructionum ratio reddatur. Itaque si vel ipsa initia calculi a me publicata satis meditatus fuisset Cl. Nieuwentüt, facile vidisset, non magis de ulterioribus quam de primis differentiis dubitari posse, & vel ideo evitatam tunc a me fuisse mentionem inassignabilium, re ad ordinarias traducta, ut tales scrupuli tollerentur; cæterum si quid notasset animadversione dignum, sensisset me eo esse ingenio, ut libenter dem veritati manus; quemadmodum nunc re accuratius considerata ea quæ celeberrimus Jacobus Bernoullius de numero radicum osculi monuerat probo, quibus quo minus assentirer antea, non alia causa fuit, quam quod diversæ occupationes cogitationesque effecerant, ut tardius accederem ad rem de integro satis considerandam. Dum hæc scribo, tristem nuntium mortis Viri incomparabilis, Christiani Hugenii accipio. Non poterant majorem jacturam pati literæ illæ sublimiores, quæ humanæ menti aditum faciunt in arcana naturæ. Ego Hugenium solo tempore Galilæo & Cartesio postpono. Cum maxima dederit, expectabantur non minora. Et spero inter schedas ejus thesaurum quendam repertum iri, qui nos utcunque soletur. Eoque magis orandus est frater ejus, vir meritis in rempublicam illustris, ut maturata editione communi utilitati pariter ac fraternæ gloriæ, imo suæ consulere velit. Oblitus eram eorum quæ Dn. Nieuwentiit contra notam concavitatis vel convexitatis a me allatam objicit, instantia parabolæ producta. Sed mirum est ipsum non animadvertisse, tantum errore sive scribentis sive typothetæ transposita esse verba, & pro concavitate ponendam esse convexitatem ac vice versa. Itaque non tam afferri debuerat instantia parabolæ (quando in omnibus curvis contrarium fit ejus quod verba insinuabant) quam generaliter notari inversio. Adeoque regula sic efferenda est: si crescentibus ordinatis crescant etiam ipsarum differentiæ, curva axi obvertet convexitatem,

alias concavitatem, posito scilicet æquales inter se esse differentias abscissarum.

D. MARCHIONIS HOSPITALII THEOREMA NOVUM DE Quadrandis Cycloidibus basium circularium, pro quavis distantia puncti describentis a centro circuli mobilis.

INter infinitas curvarum linearum species nulla plane est, quæ hoc ævo geometras exercuerit magis quam Cyclois. Hujus, Mersennianæ scilicet, dimensionem adinvenere primi Cartesius, Torricellius, & Robervallius; tum integros de hac una tractatus scripserunt Paschalius, Wallisius & Lalovera; ac tandem postremis hisce temporibus Hugenius, Romerius, Newtonius, &c. novæ cujusdam cycloidis, cujus nempe basis circularis est, egregias omnino detexerunt affectiones. Verum quia punctum describens nusquam ponitur ab his intra vel extra circuli mobilis circumferentiam, intacta manet adhuc hæc altera cyclois generatim sumpta; nec ullus (quod sciam) spatii hac nova cycloide comprehensi dimensionem pro omni distantia puncti describentis a centro circuli mobilis publicavit. Id ipsum autem totum uno Theoremate sequenti conficio; quin etiam ut Clariss. Hugenius in cycloide vulgari, sic in nova hac citra ullam circuli dimensionem spatia duo quadrabilia demonstro.

Lemma.

TAB. VII. *Fig. 1.* *Sit semicyclois AMD, quam descripserit semicirculus BSN circumvolutione sua super arcu manente BGN, ita ut evolutæ partes BG, BG ubique sint æquales inter se. Jam vero sit ubivis punctum describens A, in diametro BN verbi gratia, extra circuli mobilis circumferentiam. Tum si describantur centro K circuli mobilis, radio KA, semicirculus AEV; & centro O immobilis circuli, radio quovis medio inter OV & OA, arcus EM; radiusque ducatur KSE: Dico arcum EM fore ad arcum SN:: OE. OB.*

Demonst. Fingatur semicirculus mobilis BSN in situ BGN quo punctū describens A erat in M; præterea per centra circulorum genitorum ducatur OK, quæ proinde transeat per contactum eorū G. Hoc posito, liquet triangula MOK, EOK esse æqualia & similia; si quidem omnia habent æqualia latera, singula singulis. Ergo anguli MKO, EKO sunt

TAB.VII. ad A. 1695. pag. 372.











sunt æquales, ut & eorum mensuræ GN, BS, cum complementis ad duos rectos BG, SN radiorum æqualium; præterea æquales anguli MOK & EOK reddunt angulos MOE & GOB pariter æquales. Ergo arcus EM & GB sunt ut radii OE & OB. At mox constitit arcum hunc inferiorem GB æqualem esse superiori GB, atque hunc arcui SN. Ergo erit arcus EM ad arcum SN, ut OE ad OB. *Quod erat demonstrandum.*

Corol. Si radius OB infinitus ponatur, palam est rectas OB, OE fore parallelas, arcusque concentricos VD, BN, EM, immutandos in lineas rectas VT, BX, EH, perpendiculares ad axem VA; atque ita fore rectam EH æqualem arcui SN, cum OB & OE tunc infinitæ sint æquales. Ergo arcus EM erit ad rectam EH :: OE. OB.

Notandum semicycloidem AHT, in quam altera semicycloïs AMD convertitur, cum radius OB sit infinitus, eam omnino esse, quam semicirculus BSN circumvolutione sui super recta BX describeret.

Theorema.

Iisdem positis, dico spatium AEM arcubus AE, EM, & cycloidis AMD parte AM conclusum, esse ad spatium AEH arcu AE, recta EH, & cycloidis AHT parte AH comprehensum, ut OK ad OB.

Demonst. Arcui ME quam proximus alter fingatur concentricus *me* cum *eh* parallela ad EH, & lineolis rectis *e*F, *e*C perpendicularibus ad arcum ME, & ad rectam EH, ubi necesse producta. Tunc erunt anguli FE*e*, OEK æquales inter se, sicut & anguli CE*e*, OKE; si quidem additi sigillatim duo priores eidem KEF, & duo posteriores eidem PEK, angulos quatuor constituent rectos. Ergo sinus anguli FE*e* est ad sinum anguli CE*e*, ut sinus anguli OEK ad sinum anguli OKE, sive F*e*. C*e* :: OK. OE. Præterea (*cor. Lem.*) est EM. EH :: OE. OB. Ergo productum ex EM per F*e* est ad productum ex EH per C*e*, ut productum ex OE per OK ad productum ex OB per OE, hoc est, ut OK ad OB; atque ita, cum spatiola EM*me*, EH*he* minime differant a productis seu rectangulis ex EM per F*e*, & ex EH per C*e*, fiet spatiolum EM*me* ad respondens spatiolum EH*he*, ut OK ad OB. Ergo cum hæc ultima ratio sit constans, & id ubique contingat, erit summa omnium EM*me* ad summam omnium EHhe, sive spatium AEM ad spatium AEH, ut OK ad OB. *Quod erat demonstrandum*

Corol. Pervagata res est a Torricellii temporibus, spatio AEH æquale esse rectangulum factum ex PE per KN, auctum vel imminu-

 tum

tum rectangulo ex KP per arcum SN, prout punctum P ad partes inferiores vel superiores centri K reperitur. Ergo I. Quadratura spatii AEM indefinita poterit haberi, circularis ope. II. Ubi punctum P ceciderit in K, spatium AEM erit ad rectangulum factum ex KA per KN, ut OK ad OB; atque ita spatium istud AEM citra ullam circuli dimensionem tunc erit quadrabile. III. Si ponatur KB $= a$, OB $= b$, KA $= c$, assumaturque KP $= \frac{acc + bcc}{2ab}$ ad partes verticis A; spatium AKEM radiis AK, KE, arcu circulari EM, & cycloidali AM comprehensum, erit ad rectangulum ex PE per KN, ut OK ad OB; ac proinde nulla posita circuli dimensione quadrabile.

JOH. BERNOULLI MEDITATIO DE DIMENSIONE linearum curvarum per circulares.

ELegans est non minus quam subtile inventum, quod Nobilissimus Hugenius in pereruditio suo tractatu de Horolog. Oscillat. pag. 76 publicavit; ubi modum tradit *dato sphæroide lato construendi conoidem hyperbolicum, vel contra dato conoide hyperbolico construendi sphæroidem latum ejusmodi, ut utriusque simul superficiei exhibeatur circulus æqualis:* postquam in præcedentibus ostendisset, neutri separatæ dari posse æqualem circulum nisi posita hyperbolæ quadratura. Optandum foret, ut Nob. Author inventum suum reddidisset universale, hoc est, methodum exhibuisset data superficie convexa quavis construendi aliam, quæ cum data æquetur spatio circulari. Ad cujus imitationem exhibituri sumus modum generalem *ad datam curvam quamcunque e vestigio aliam describendi, quarum summa vel differentia æqualis sit arcui circulari*: præliminata pro hoc insigni & utilissima evolutarum proprietate. Esto curva quæcunque ABC, super qua incedere intelligatur recta rigida vel regula DAE, ita ut partes regulæ partibus curvæ successive applicentur; Dico duas curvas DLG, EMF extremitatibus D, E vel quibusvis aliis regulæ punctis oppositis hac rotatione descriptas & simul sumtas fore æquales arcui circulari EO, radium habenti DE & angulum subtendenti EDO æqualem angulo EPF, quem duæ in extremitatibus A & C tangentes constituunt. *Demonst.* Habeat enim regula situm quemcunque LBM,

TAB. VII. *Fig. 2.*

huic-

huicque proximum *l*B*m*; Et ductæ concipiantur DN, D*n* parallelæ ipsis LM, L*m*: fient triangula LB*l*, MB*m* & ND*n* similia, ob LM, *lm*, normales ad curvas DLG, EMF, & ob angulos LB*l*, MB*m*, ND*n* æquales; Ideoque BL. BM :: L*l*. M*m*, componendo LM. BL :: L*l*†M*m*. L*l* & permutando LM. L*l*†M*m* :: BL. L*l*; quoniam autem LM, DN sunt æquales (per hyp.) erit etiam L*l*†M*m* = N*n*: Ergo omnes L*l* & omnes M*m*, id est curvæ DLG & EMF una sumtæ æquantur omnibus N*n*, id est arcui circulari ENO. Q. E. D. Si alterutrum punctum describens ut E sumatur inter D & A, pari ratione demonstrabimus, differentiam curvarum DLG & EMF esse æqualem arcui ENO.

Hinc oppido liquet propositum nostrum, quo pacto nempe ad datam curvam promtissime infinitas alias construere liceat, quarum quælibet cum data reducibilis sit ad arcum circuli: Ut si DLG sit curva vel portio curvæ data, in punctis ejus L ducendæ erunt rectæ perpendiculares ad curvam & inter se æquales LM, formabunt earum extremitates M curvam quæsitam EMF. Quam etiam motu continuo ope fili describere poterimus, si nimirum curvæ datæ DLG evolutam ABC inverse involvamus. Sic in universum verum est, duas quaslibet curvas una evolutione condescriptas si concavitates obversas habeant facere summam, si vero concavitas unius convexitati alterius sit obversa, facere differentiam arcui æqualem.

Ex his patere arbitror, utrum curva quædam proposita connexionem habeat cum dimensione arcus circularis: Omnis enim curva, cujus evoluta ABC duas habet partes BA, BC similes & æquales, erit comparabilis cum arcu; quia eo in casu si fit CF = AD, curva FME congruit cum DLG, & sic ipsa DLG efficiet dimidium arcus ENO. Et contra omnis curva genita ex evolutione curvæ duarum partium similium & æqualium est reducibilis ad circularem. Animadversione etiam dignum inde fluit, quod si ex infinitis evolutione condescriptis unica reperiatur rectificabilis vel absolute vel supposita extensione circularis, cæteræ omnes pariter per arcum circuli mensurabuntur. Plura alia eaque non contemnenda ex dictis facile deducuntur, quæ generali dimensioni curvarum indagandæ, non mediocre lumen afferre poterunt.

Quod Celeberrimus Leibnitius in nupero Actorum Martio animadvertit, quantitatem irrationalem habere summatricem etiam irratio-

rationalem similem, plane nihil derogat objectioni meæ acutissimo Craigio factæ. Sum enim & ego in eadem opinione cum D. Leibnitio, quod terminus summandus & summator iisdem lateribus seu radicum signis constare debeant: sed ex hoc non sequitur, etiam ipsas quantitates lateribus involutas esse easdem, & hoc est quod Dn. Craigius supponere videtur, & contra quod objectio mea dirigitur. Complura in hanc rem exempla habentur, in quibus quantitates licet summabiles methodo tamen Craigiana summari non possunt, etiamsi quantitas *y* more Authoris quantum fieri potest, liberetur a vinculo seu signo radicali; ratio hujus est, quod interdum præter hanc liberationem, etiam ipsa quantitas post signum radicale dividenda sit per aliam quantitatem, alias methodus ista non succedet. Verum de hac cautela in toto Craigii tractatu altum ubique silentium.

FASCICULUS DISSERTATIONUM DE NOVIS QUIBUSDAM Machinis atque aliis argumentis Philosophicis, Autore DIONYSIO PAPINO Med. Doct. Matheseos Prof. Publ. Marpurgensi.

Marpurgi 1695. in 8. plagg. 20. cum tribus plagg. figurarum.

IN hoc Fasciculo quædam his Actis jam insertæ Dissertationes recuduntur, & nonnullis monitis augentur; quædam etiam Dissertationes novæ a celeberrimo Autore adjiciuntur. Primum repetitur rotatilis suctoris & pressoris sive Antliæ Hassiacæ descriptio inserta Actis, Junii 1689, occasione ejus quam celeb. Salomo Reiselius Archiater Wurtembergicus discursu de Siphone Wurtembergico memoraverat. Quoniam autem Dn. Papinus tunc crediderat, tubos pro hoc rotatili suctore aut pressore peculiaris formæ esse debere, nunc detecta erroris sui causa monet, posse adhiberi tubos ordinarios uniformes.

Secundo ponitur Epistola de novis artibus parcendi alimentis ignis ad Illmum Dominum Gustavum Comitem a Sayn, Wittgenstein & Hohnstein. Pro folle nimirum adhibet pressorem rotatilem supra descriptum, vel cognatum ejus instrumentum pro vento faciendo (fig. 1) extans apud Georgium Agricolam lib. 6 de re metallica, duobus tamen ejus vitiis prius correctis, quæ in eo consistunt, quod instrumentum hoc rotatur in tympano, ubi tubus ventivomus est

TAB. VII. *Fig. 3.*

perpen-

perpendicularis ad tangentem, cum tamen melius incidat in tangentem; foramen vero ventum adducens est in circumferentia tympani, cum tamen potius debeat esse in centro; alioqui per ipsum ventus recedere potius conabitur. Porro tubus ventivomus ab hoc folle ducendus est in fornacem, idque ex sententia Autoris fiet utilissime, si vento superius ingrediente flamma & fumus deorsum impellantur, & per foramen infra apertum erumpant. Ita enim judicat ventum majorem calorem nancisci, & materiam melius aggredi. Usum esse posse pro fornacibus vitrariis, pro coctione panis, salis, cerevisiæ, pro calefaciendis hypocaustis, aliisque innumeris, ubi parcere alimento ignis consultum est.

Sequitur *tertio* Epistola ad Illmum Dominum Guilielmum Mauritium, Comitem a Solms, Braunfels & Greiffenstein, de novis artibus ad aquam ex fodinis hauriendam vi fluminis mediocriter distantis. Repetitur hic machina in Actis nostris A. 1688 pag. 644. descripta, ope tuborum longissimorum aquam sugentium ex magna licet distantia. Deinde subjicitur, hos tubos posse adhiberi commodius, non ut ante ad sugendum, sed potius ad aerem ope follis paulo ante dicti in longissimam distantiam propellendum, ubi rotam velis instructam flatu suo circumagat, quæ deinde exerceat operationes desideratas. Opus quidem sic fore canalibus amplioribus, sed eos minus accurata elaboratione commissuraque opus habere arbitratur, & ita magnas illas antlias prius requisitas cessare.

Quarto loco ponitur Epistola ad Illmum Dn. Comitem a Sinzendorff, Ducatus Jaroviensis in Silesia Gubernatorem. Hic primum repetitur modus in his Actis mense Augusto A. 1690 descriptus, pro viribus motricibus levi pretio comparandis; sed quia ibi alimento ignis opus est, monet follem paulo ante descriptum hic perutilem fore, ut sumtibus ignis parcatur. Etsi enim promtior sic fiat materiæ combustibilis consumtio, effectum tamen adhuc magis augeri patuit. Nihilominus, si quis malit uti fluvio vim in distans per tubos propagante, declarat se novisse rationem tutissimam, qua tubi prægrandes leves & æquabiles facili negotio parari possint.

Hanc *quinto* excipit Epistola ad Illustrem Virum Dn. Christianum Hugenium Dynastam in Zulichem, (nuper magno eruditorum dolore, nec minore scientiarum jactura nobis ereptum) qua doctissimus

mus Papinus respondet Epistolæ Celeberrimi Guilielmini de motu aquarum currentium. Cum enim in his Actis Febr. A. 1691 relata fuisset Dn. Guilielmini demonstratio huc tendens, ut eadem sit velocitas aquæ fluentis per aliquam sectionem canalis inclinati, ac si fluxerit e vase per lumen simile & æquale sectioni, tantundem a superficie aquæ remotum, quantum sectio ab horizontali per initium alvei ducta; hanc demonstrationem Galilæi principiis innixam in dubium vocavit Dn. Papinus in Actis Maji A. 1691, quia partes superiores aquæ descendant per lineas magis declives. Hinc sequi, ut partes superiores impingant in inferiores, easque ad fundum allidant; unde sequatur aliqua earum sursum versus reflexio, quantumcunque fundum ab asperitatibus immunem supponamus. Unde proprietates durorum per plana inclinata descendentium fluidis statim ascribi non possint. Ad hæc responderat Dn. Guilielminus, quod partes fluviorum inferiores non possint afficere superiores, quippe quæ præcedant. Replicat Dn. Papinus, hic rursus fluidorum peculiarem naturam considerandam; quoniam enim, quo major est velocitas, hoc minor sit liquoris altitudo in canali, & quidem versus inferiores seu anteriores partes; unde declivitas superficiei major fiat, quam fundi, & superioribus in inferiores impingentibus motus perplexi & intricati nascantur; hinc in solidis quidem simul stare accelerationem secundum leges a Galilæo præscriptas, & motum parallelum partium; sed in fluidis simul stare non posse parallelismum & accelerationem. Itaque si posset ostendere Dn. Guilielminus, quæ sit curvatura superficiei aquæ per canalem fluentis, revera omnem numerum impleturum esse. Et cum in secunda Epistola Hydrostatica Dn. Guilielminus statuisset, in siphone GBS (fig. 4) pleno aqua, quæ continue subministrari possit a reservatorio EG, in quo superficies aquæ manens sit EE, aquam erupturam ex orificio ea velocitate, ac si flueret e vase per lumen sub altitudine aquæ DV, differentia scilicet altitudinis crurum, quoniam æquipondium, quod in partibus CBD reperitur, non debeat impedire; Dn. Papinus ab eo hic quoque dissentit, & statuit motum fore tardiorem per siphonem, quemadmodum etiam expertus sit Dn. Mariottus Tractatu de motu aquarum p. 356. Idque non tantum oriri a frictione in tubo, cujus Dn. Mariottus meminit, sed etiam eo, quod major quantitas aquæ movenda est, ea scilicet, quæ in siphone utrinque compensatur. Sed & hic interve-

TAB. VII. *Fig. 4.*

tervenire discrimen inter dura & fluida, quod scilicet descensus durorum in eodem loco non continuatur, at fluxus liquidorum ob novum supplementum diu durare potest, unde progressu temporis major fit velocitas, quam initio fluxus; quod etiam a Domino Mariotto p.365 est observatum. Quin imo ut itidem observavit Mariottus, flexuram siphonis plurimum celeritatem retardare, ob aquam illic impingentem. Et huic rei ascribendam rationem experimenti a Mariotto relati p. 353 potius, quam frictioni ab ipso allatæ. Addit Dn. Papinus, se discrimen experimento cognovisse. Parasse enim duos siphones recurvos ejusdem diametri & altitudinis perpendicularis, unum ad angulos rectos (ut in fig.4) alterum circulariter loco angulorum superius incurvatum, & notasse rectangulum intra 45 temporis minuta secunda, circularem intra 31 aut 32 secunda libras aquæ decem profudisse; at foramen prorsus æquale capacitati tubi, in fundo ampli vasis, sub eadem altitudine aquæ, idem aquæ pondus effudisse intra secunda 27 aut 28. Ne frictio vel attritio ad latera esset notabilis, ideo capacitatem tuborum fuisse satis amplam, nempe 7 linearum, & ne aer subintraret, debuisse foramen aquæ subjecti vasis immergi. Ex his agnosci defectum theoriæ Dni Guilielmini; nam secundum ipsum non fore opus, ut faciamus tubos deductorios majoris diametri, quam lumina emittentia, modo ipsorum amplitudo sit satis magna, ut in ipsis resistentia a frictione orta levis esset momenti. Hoc autem, inquit Dn. Papinus, constantissimæ experientiæ repugnat. Nisi enim tuborum amplitudo luminum amplitudinem valde superet, magna fit altitudinis saltus imminutio. Sequeretur insuper, quod si aqua ex fonte ad lumen ejaculatorium ducenda sit, & in spatio intermedio reperiatur vallis, nihil interesse, utrum tubos deducamus per recurvationem vallis, an recto tramite per exstructum pontem. Et quia Dn. Guilielminus ep. 2 pag. 34 se dubitare fateatur, an crus BS remansurum sit plenum aqua, cum ipsius altitudo superabit 33 pedes, quos supponit pressioni aeris æquiponderare; ideo hanc nodi solutionem proponit Dn. Papinus, quod crus CB tamdiu evacuari debeat, donec ea maneat aquæ altitudo, quæ exacte tantum expellat, quantum intromittitur. Ex. gr. si crus BC esset 11 pedes altum, crus vero BS 60 pedes, debebunt 5 pedes in summitate versus B manere vacui; tunc enim erit BS plenum, usque ad altitudinem 55 pedum, quorum 33 æquiponderabunt aeri prementi ad

S, & reliqui 22 facient pressionem, quæ expellet tantundem aquæ, quantum per CB introrsum pellitur. Nam ex parte CB pressio aeris 33 pedum mulctata altitudine CB 11 reducitur ad pressionem 22 pedum, quæ proinde eandem velocitatem imprimet, quam aquæ per S erumpenti competere dictum est. Sed hoc intelligendum, si aqua sit ab aeris bullis purgata; nam alioqui bullæ in summitate collectæ pressionem ibi facient, quæ etiam foret computanda.

Sexto loco ponitur Synopsis controversiæ cum Dn. G. G. L. circa rationem æstimandi vires motrices a Cartesianis aliisque defensam. Sed cum argumenta utrinque in his Actis nostris sint proposita, non est, quod jam dicta ex iis nunc repetamus, præsertim cum Dn. G. G. L. Autor novæ Dynamices sua clarius uberiusque proponere cœperit; unde speramus, vel sublatum iri scrupulos, si qui restant, mente ejus penitus explicata, vel occasionem inde nascituram, omnia ita declarandi, ut finis imponatur controversiæ, quam Dn. Papinus maximi momenti esse judicat. Tametsi enim hic mentem suam ita explicuerit, ut agnoscat omnino in corporibus, quæ a nobis observari possunt, quantitatem motus (seu quantitatem virium, quemadmodum a Cartesianis definiebatur) minui, putat tamen compensari hunc defectum in materia quadam insensibili, quæ causa est gravitatis & elastri.

Septima Dissertatio continet Epistolam Apologeticam pro instrumentis ad flammam sub aquis conservandam, scriptam ad Illustrem Dn. Du Rosay, Serenissimi Friderici Principis Hassiæ hæreditarii Ephorum, Aulæ Præfectum, Consiliarium & Chiliarcham. Et primum quidem ex Actis Erudit. A. 1689, p. 485, repetenda sunt instrumenta; deinde objectiones Domini Scarleti ex Actis A. 1690, p. 531. Ad quas hoc loco respondet Autor, non recte a Dn. Scarleto laternæ vitreæ præferri coriaceam, in cujus foramina vitra essent inserenda; nam pondere aquæ corium figuram immutare; ita intra vitra inserta & corium rimas prodituras; vitrea autem vasa exacte satis claudi posse. Porro etsi periculosum & sumtuosum putet Dn. Scarletus, folles ope manuum exerceri, cum tamen piscatores alioqui tota nocte in mari permaneant, nullum hic apparere periculum, Dn. Papinus judicat, & folles a puero facile agitari. Melius fore quidem, si conservari flamma sine follibus posset, sed se jam ante expertum, candelam brevi extingui. Frustra quoque vereri Scarletum, ne aer intra tubos vertatur in

aquam

aquam; nullam enim talem conversionem dari, & potius laternæ parietes, si forte madidi essent, ope follium & circulatione aeris siccatum iri. Unde nec metuendum, ne tubi madescentes aerem humidiorem reddant; nam etsi facerent, compertum tamen esse etiam, aerem per aquam transeuntem flammæ alendæ non esse ineptum, adeoque aerem pulmonibus expulsum non ob humiditatem, sed velut venenata qualitate ignem extinguere. Vitra lucem longius projicientia, quæ Dn. Scarletus proponit, nil juvare, quia lucem in certam tantum partem detorquent, piscatori autem non constat, a qua parte piscis sit venturus.

Octavo occurrit Navis urinatoriæ Serenissimi Principis, Domini Caroli Hassiæ Landgravii jussu constructæ descriptio. Narrat Autor, ob famam & commoda maxima navis urinatoriæ a Drebelio olim tentatæ vel constructæ, jussisse Serenissimum Landgravium, ut simile quiddam tentaretur. Et quidem ob difficultatem respirandi in tali navi futuram, refertur Drebelium certam aeris quintam essentiam sibi parasse, cujus vel unica gutta effusa eum respirationi aptum redderet. Sed Dn. Papinus judicat, eam magis in votis, quam in actu extitisse. Duas constructiones suas exhibet, unde posteriorem huc transferemus, cum ab ipso præferatur. Sit (in fig. 5) AA dolium ligneum figuræ ellipticæ sive ovalis, cujus altitudo 6 pedum circiter, major diameter totidem, minor 3 pedum. BB est rotatilis suctor & pressor Hassiacus, qui per tubum CC aerem ab extra attrahit. DD est magnum foramen, quod pro janua inservit; EE magnum vas cylindricum cupreum, cujus diameter 15 pollices, longitudo sex pedes æquat. Hujus vasis apertura continetur in dolio AA, & obturatur (quemadmodum & foramen DD) exactissime lamina in hunc finem parata, quæ cochlearum ope dictæ aperturæ arctissime applicatur. ff est antlia, cujus ope homines in AA inclusi aerem possunt intrudere in cylindrum EE, ad repellendam aquam a foramine S, per quod homo in cylindro inclusus hostiles naves destruere poterit. Lateralem pressionem impediret forma dolii rotunda. Et fundo inferiori imposita pondera ad deprimendum dolium pressioni aquæ in fundum illum resisterent. Superioris autem fundi non magna erit pressio ab aqua incumbente, quia non est necesse, ut profunde descendat dolium. Novus aer attrahetur per tubum CC; superfluus expelletur per tubum

TAB. VII. *Fig. 5.*

 hh.

hh. Recurvum barometrum OO utrinque apertum, cujus pars inferior ex ferro vel ligno potest confici, depressionem navis demonstrat exactissime. Potest autem navis deprimi, si per epistomium aliquod aquam exteriorem admittat. Ne vero nimia quantitate admissa navis prorsus demergatur, debent duo homines ope remorum semper niti ad navem deprimendam. Dumque observabunt, fieri id posse sine magno nisu, debebunt statim claudere epistomium, sicque navim conservare aqua tantisper leviorem, quam tamen ope remorum pro lubitu magis magisque deprimerent. Debent autem remi transmitti per foramina lateralia, quæ deinde ope corii circumligati exactissime obturantur, prout etiam in navi Drebeliana factum fuisse referunt. Dum vero emergendum est, intentum facile obtinemus, partim ope remorum, partim expellendo aquam ex navi ope antliæ ad id comparatæ.

Tandem *nono* claudit opus oratio Autoris inauguralis habita, cum Professionem Mathematicam Marpurgi susciperet.

GEDEONIS HARVEI, M.D. ARS CURANDI MORBOS expectatione; item de vanitatibus, dolis & mendaciis Medicorum.

Amstelodami juxta exemplar Londinense, 1695. 12. plag. 14.

VUlgarem morbos curandi modum acerbe perstringens Auctor hoc in libello, ideo artis morbos *expectatione* curandi titulum ei præfixit, quoniam totus in eo est, ut ostendat, Medicorum vulgus nihil quicquam emolumenti ægris afferre suis remediis, & cum nonnulli convalescunt, expectando usque donec morbum naturæ vis fregerit, frustra sibi suisque arrogare medicamentis, quod expectationi & naturæ debetur. Hinc Medicorum illorum sectas diversas sex potissimum constituit, vocando *ferream* quæ Martialibus, *asinariam* quæ lacte asinino, *Jesuiticam* quæ cortice Peruviano, *aquariam* quæ aquis mineralibus, *laniariam* quæ venæ sectione, *stercorariam* quæ purgantibus morbos promiscue curare satagat. Hæ ergo sectæ quantum afferant damni humano generi, ut demonstret, primo de ferreis doctoribus agit, ac secundis infaustisque chalybis effectibus; concedens in hujus sulphure quiddam valide abstersivum & diureticum esse, si acidos humores offendat; alias autem ferrum constipare vasa asserit, si cum sale vitriolico in unum coeat, & proinde omnibus illis in casibus, ubi pulmo-

pulmones vel hæreditarie vel adventitie fuliginosum & uliginosum inspirando aerem redditi sunt asthmatici, e chalybe parata remedia, tam humida quam sicca, omittenda esse, nisi præcipuum indicans extrema sit necessitas. Idem confirmat enumeratione aliorum malorum e chalybe fluentium, imprimis quod noxam in cerebrum & nervos immedicabilem fundat usus chalybis protractus. Sulphur tamen chalybis, particulis salinis penitus exutum & vi constringendi privatum, commendat tanquam egregium deobstruens, ejusque succedaneum laudat tincturam tartari: ad cujus præparationem assumit tartari duas vel tres uncias, affusoque spiritu vini non rectificato ad supereminentiam quatuor digitorum, per dies noctesque quatuor, in phiola in arenæ balneo digerit in colorem flavum; tincturæque decantatæ cochlearè integrum mane & vesperi in vehiculo idoneo exhibet. Porro de asino-doctoribus, ut vocat, agit, damna potus lactis exaggerans, etiam ipsa in pthisi, vix medici nomen illum mereri asserens, qui absque illo hanc curare nesciat. Antihecticum Poterii plane rejicit aliaque vulgaria antiphtisica quæcunque, cum unicum detur medicamentum, quod ad omnes pulmonariæ tabis indicationes quadret, solaque aeris commutatio sanitati recuperandæ plurimum conducat, quæ proinde causa sine qua non sit censenda. Ab his ad aquarios accedit doctores, illosque recenset morbos, quibus medendis aquæ minerales vulgo adhibentur; in quibus cum calculus facile sit præcipuus, ab hujus cura removet illas pariter atque medicamenta lithontriptica, quippe cum unica & certa methodus hanc ægritudinem curandi in eo posita sit, ut causis procatarcticis internis, antecedentibus, materiali & adjuvantibus, subtractis & correctis, quo spirituum & fermenti emendatione natura calculum friabilem reddere possit, ductus excernentes probe relaxentur, & mucilagineis emollientibus lubricentur, nec non subinde molliter ac gradatim diureticis stimulentur, ut sabulum deturbent. Enumerat quoque alios errores in curatione calculi committi solitos, taxatque catheteris abusum. Porro lanios-doctores aggreditur, qui vage imperent phlebotomias, in ætatis decursu chronicisque morbis vix ac ne vix quidem admittendas, cum levamen præsentaneum ab eis collatum vix cum viscerum defectione & imbecillitate hinc oriunda comparari mereatur. Quandoquidem autem plerorumque morborum curationem expectationi, non medicamentis deberi censet, hinc in

in apparatum inquirit pharmaceuticum, magis ad pompam quam usum comparatum, salseque irridet ineptas præparationes, peculiari capite purgantium farraginem censoria notans virgula, neque dissimulat medicastrorum fraudes modosque impune occidendi, in exemplum adducens Jacobum Cottier Ludovici XI Galliarum Regis Medicum. Cæterum parum tribuit methodo medendi & subtilitatibus anatomicis, plurimum pharmaceuticæ legitimæ & observationi effectus medicamentorum in morbis singulis, cum vires illis vulgo adscriptæ generatim fere falsæ sint, & his adhibitis nihil aliud agant Medici, quam ut deludant ægros, tempusque trahant præscribendo medicamenta, quæ si non obsint, nihil tamen prosint, donec tandem natura morbum superaverit. Id quod exemplo curationis febrium, morbillorum, variolarum, tussiumque illustrat, inquirens quoque in usum & abusum medicorum collegiorum & consultationum. Quod superest, quamvis multi expectatione sanentur a Medicis, non paucos tamen ab illis quoque expectatione occidi contendit, dum exhibentur medicamenta irrita, idque contingere præcipue in pulmonum ulcerosa tussi, marcore & febri hectica. Notat quoque illorum errorem, qui tussim & catharros a frigore derivant; cum nihil aliud sint quam fermentationes, quibus h[illegible]rogeneæ particulæ a sanguine secernuntur, tutoque curentur vel venæsectione, vel educendo humores mucilaginosos & tartareos in œsophagi glandulis & infimo ventre stabulantes, non dulcibus bechicis. Commendat quoque in tussi purulenta arcanum suum ex re vili paratum, quod mire faciat ad ulcera totius corporis tam interna quam externa abstergenda & consolidanda. Ne vero destruxisse omnia, nihil autem ad stabiliendam artem medicam adduxisse videatur, de febribus suam sententiam proponit, præmissa de fermentatione & ebullitione hypothesi, quæ huc redit: (1) Corpora omnia tam solida quam fluida consistere ex triplici particularum genere, quorum duo sint activa, sibi invicem contraria & se mutuo oppugnantia, tertium neutrale, passivum, viscosum & glutinosum, ut sui interpositione inter particulas activas, eas non solum ab hostilitate mutua detineat, sed easdem quoque sua tenacitate arcte compingat & connectat; passivasque particulas in corporibus solidis esse duriores tenacioresque, in fluidis autem molliores & laxiores. (2) Partes corporum alias esse circumferentiales, e parvis trium illorum generum particulis constantes, sed laxiores;

alias

alias vero centrales ex iisdem elementis compositas sed magis densas & compactas, & illas dissolutioni & interitui magis quam has esse obnoxias. (3) Fermentationem oriri, quando in circumferentialibus partibus intermediæ particulæ passivæ secedunt ab activis, quas ex una parte acidas, ex adversa igneas, alcalicas, spirituosasque esse concipit, ut in se mutuo agere possint, donec altera alteram destruxerit; ebullitionem autem fieri, quando in se agunt particulæ activæ centrales, ut fiat totius mixti solutio & destructio. Porro febris naturam explicat supponendo (1) Febris intermittentis sedem causamque esse in mesenterii glandulis & pancreate, vasisque inde decurrentibus ad viscera infimæ regionis & hinc per universum corpus, (licet fermentatio primo in ipsis glandulis & pancreate, & proxime in vasis lymphaticis circa viscera & inprimis ventriculum incipiat) eamque sæpius in primordio in particulis latere circumferentialibus, & postmodum in ipsis centralibus succorum lymphaticorum aliorumque in locis prædictis stabulantium. (2) Febrim intermittentem esse ebullitionem particularum centralium succorum lymphaticorum & quandoq; lacteorum, sed continuam febrim esse ebullitionem centralium particularum sanguinis. (3) Succos lymphaticos (quo nomine comprehendit succum cerebri, nervorum, pancreatis cæterarumque glandularum) adpellentes quoquo versus ad membranas universum corpus investientes eas pungente acritate vellicare, ac pro acrimoniæ gradu frigus, horrorem vel rigorem inducere; in membranas ventriculi impingentes, languorem ventriculi, nauseam & vomitus movere; vesicæ membranis allidentes stranguriam & quandoque dysuriam inferre; & intestinorum membranas concutientes tormina & alvi fluxus parere. (4) Enumerata symptomata non diutius permanere, quam donec ebullientes succi lymphatici cum sanguine in vasis majoribus permisti fuerint, cujus particulæ circumferentiales solutiores seu laxæ & serosæ ab ebullientibus succis lymphaticis in ingentem fervorem adiguntur, adeo ut ex utrisque commixtis tunc summus iste ardor oriatur, qui a tertiana laborantibus persentitur, quique pro ebullitionis gradu in quartana mitior existit. (5) Sedimentum rufum in tertianorum urinis, post paroxysmum peractum, esse particulas viscosas secedentes cum emortuis activis. (6) Chinam de China exhibitam vires potissimas cominus exercere, scil. in ventriculum, intestina tenuia, pancreas, & proxime

 adja-

adjacentes mesenterii glandulas, earumque omnium lymphatica vascula haud longe dissita, quorum omnium succorum in ipsis contentorum particulas mucosas relaxatasq; arcte compingat, cogat & condenset; qua ratione extemplo particulæ activæ compescantur & ebullitio inhibeatur: atque hinc fieri, ut, si auctiori dosi ingeratur prima vice, & contenta in vasis & viis intestinorum proximis valde condenset, cæmentet & obturet, dosibus subsequentibus introitus & simul virtutum admissio penitus præcludatur. Hinc autem deducit: (1) Si causa febris intermittentis in vasorum meseraicorum parte, quæ intestinis proxime adjacet, sedem obtineat, largam Chinæ dosin unam vel alteram ebullitionem febrimque actutum inhibere: sed si in vasorum dictorum partibus dissitis lateat, a priori Chinæ dosi ampla sequentibus viam præcludi, ipsasque cum excrementis alvinis proturbari, alvique fluxum moveri; nihilominus tamen febrim persistere intermittentem, quinimo ob vias constipatas ingruere, & haud raro in continuam lethalemque transire. (2) In febribus continuis putridis, quæ causam & sedem multo longius a primis viis distantem habent, Chinæ corticem grave damnum, imo mortem ipsam adducere: primis enim viis constipatis & humoribus compactis, nullum medicamentum febribus continuis obsistens ad vasa majora penetrare, neque naturam sedimentum album ob vias præclusas posse expellere, quæ proinde in cruoris massam recedens febrim lethalem reddat. Suadet proinde ad curandas febres neque acida neque volatilia alcalia adhibere, cum particularum activarum partem unam intendant, & sic febrim vehementiorem reddant, sed solum neutra quædam peculiaria virtutibus prædita, quibus evidenter hic morbus debellari queat. Febrium autem diversitatem, & paroxysmorum rationem derivat ex materiæ febrilis natura & loco. Quo enim propius ventriculo vel intestinis accumbit, & quo majori vel minori copia, eo crebrioribus vel rarioribus paroxysmis torquetur æger; scil. si procul a ventriculo & hepati sit propinqua, parit tertianam, si propior lieni, quartanam. Item si materiæ febrilis particulæ intermediæ ceu neutrales solutiores laxioresque fuerint, tertiana emergit; sin minus solutæ & laxatu difficiliores, quartana, quintana, sextana, vel mense uno pluribusque paroxysmus oritur. Porro quacunque in parte glandulæ succum lymphaticum assumserint, pars ista singularis tantum partesque adjacentes paroxysmis febribus

libus

libus typicis subjiciuntur. Porro de spiritibus Auctor suam dicit sententiam, opinatus partes subtilissimas sanguinis in venis *naturales*, in arteriis *vitales*, partes vero subtilissimas succorum nerveorum *animales*, glandulosorum *glandulosos spiritus* vocari, & animales quidem a cerebro confici succum istum tenuissimum & tenacem a sero sanguinis separando, & trans poros ductusque suos perangustos trajiciendo; ipsosque postmodo sub forma tenuissimorum filorum in angustissimos nervorum canaliculos tum directos tum transversos & obliquos impelli, atque hinc morborum a spirituum animalium vitio dependentium ætiologiam arcessendam esse; quod exemplo tumoris albi non curabilis nisi cauterio actuali illustrat. Tandem de asthmate agit ex succo glanduloso incrassato oriundo, nec non apoplexia & lithiasi spuria, abusum catheteris perstringens.

LES OEUVRES DIVERSES DU P. RAPIN.
hoc est:
Opera diversa P. RAPINI.
Amstelodami 1695. in 12. plag. 22.

QUi literas humaniores excolere imprimis curæ habuit elegantissimi Vir ingenii pariter & calami, *Renatus Rapinus*, e Societate Jesu, testantibus id, quæ cum orbe erudito communicavit, monumentis literariis nitidissime conscriptis & profundissima eruditione conspicuis; non intermisit interim ex instituto religionis suæ ea etiam, quæ ad devotionem in animis hominum & accendendam & fovendam faciunt, studiose exquirere, exquisitaque in usum publicum evulgare. Quum igitur istas lucubrationes, quas circa profanas literas edidit, in duos postea tomos dispertitas, fusius in *Actis* nostris anno *1686 p. 192. & 263.* recensuerimus, id putamus a nobis Lectorem postulaturum esse, ut horum quoque operum, quæ res religionis spectant propius, & nunc in unum fasciculum revocata sunt, non faciamus omnino nullam mentionem: nimirum ut de omnibus ejus laboribus exactior habeatur notitia. Quamvis vero in multis principiis suæ religionis pressius insistat, quæ puriora sectantes dogmata approbare minime possunt, erunt tamen fortasse adhuc plurima, quæ non sine fructu legi possint. Nos rerum ubique summam tantummodo delibabimus.

Quatuor igitur hic nobis exhibentur *opuscula*, quorum *pri-*

mum de *Spiritu* seu indole *Christianismi* inscribitur, IX. capitibus absolutum. In hoc cum docuisset statim ab initio, veram Christianismi indolem in charitate consistere, addit porro, quæ hujus charitatis sit ratio atque natura, ac quomodo verus Christianus comparatus sit; quomodo charitas illa juxta indolem Christianismi sit exercenda; quænam sint deceptiones, quibus charitas est obnoxia; quænam sint expeditissima media, quibus charitas id generis comparari possit. Tum vero tres rationes allegat ponderosissimas, quæ ad virtutis hujus studium hominum animos exstimulare debeant, & facta adhortatione gravissima denique concludit.

Secundum opusculum agit de *Perfectione Christianorum*, idque capitibus XII. Ingressus igitur hoc argumentum, Filium DEI tradit nostræ vitæ & perfectionis exemplar esse debere; ut vero illud eo promtius sequi possimus, docet, quidnam potissimum Christus docturus suos in mundum venerit. Hoc fine agit porro de amore Christi erga humilitatem, quam in incarnatione demonstraverit; de amore ejus erga paupertatem, in nativitate illius conspicuo; de indole Christi in mysterio suæ infantiæ; de simplicitate ejusdem, quam in vita communi secutus sit; de amore erga obscuritatem, contemtum & persecutiones varii generis, qui ex toto ejus vitæ cursu eluxerit; & denique de amore illius erga crucem ipsam & passiones suas. His præmissis ideam format Christiani ad spiritum & indolem Christi assimilatam, ostenditque, quod summa etiam, quanta esse possit, Christiani perfectio tanta cum molestia non sit conjuncta, quam quæ opponitur eidem imperfectio; ac quod Christianus, qui secundum perfectionem Christianismi non vixerit, nec Christi exemplar vivendo exprimere studuerit, severius longe, quam alii homines, puniendus sit.

In *tertio* demonstrat per capita X, *quam magni momenti sit salus hominum*. Cum igitur ignorantiam & cœcitatem plerorumque hominum deplorasset, quam in rebus ad salutem suam pertinentibus foveant, in fontem hujus cœcitatis & ignorantiæ inquirit, non dissimulato quoque remedio, quod contra adhiberi possit. Id cum egisset, jam porro luculentius, quam magni ponderis res salus sit hominum probat, monstratque quam magna in hoc negotio se offerant obstacula; quænam sint media ad salutem obtinendam comparata; quænam sint deerrationes in via salutis obviæ; quomodo ab iis fieri debeat

debeat & possit regressus; quamque non sit adeo difficile salvari; & denique, quod ad nos salvandos alios in salute acquirenda adjuvare debeamus.

Demum in *quarto* de *Fide ultimorum temporum* disserit: ubi cum monstrasset, quanta sit fidei præstantia, quantumque pretium, disquirit uberius, quantam fidelitatem a Christiano donum tam excellens exposcat, & ad quantam perfectionem eundem obliget, deducitque, quam horrenda sit pœna, quæ Christianum manet tantæ gratiæ sua obedientia non respondentem, utque hanc ipsam pœnam Deus in Judæorum præcipue gentem adversus divinam gratiam immorigeram statuerit. Sed Christianis atrociorem adhuc pœnam imminere ait, quod gratiæ a Deo ipsis oblatæ fideliter non fuerint obsecuti; eamque ipsam rationem, quare Deus fidem uni genti ablatam alteri indulgeat, eo magis horrendam esse, quod sit justissima. Quibus omnibus latius expensis ostendit, quantum fides remiserit seu imminuta sit ultimis hisce seculis; quinam sint illi defectus, qui maxime fidei exercitio sese immisceant; nihilque esse, quod magis fidem in ultimis hisce temporibus imminuat, aptumque sit eandem penitus destruere, quam amorem seculi, & nimium rerum mundanarum, quod ubique terrarum nunc fere regnet, studium. Superaddit vero & remedium, quod malo tam insigni sit opponendum.

STEPHANI BLANCARDI ANATOMIA REFORMATA, sive Concinna humani corporis Dissectio ad Neotericorum mentem adornata.

Editio novissima plurimis recens inventis, tabulisque novis emendatior ac locupletior.
Lugduni Batavorum, apud Cornelium Boutestein & Jordanum Luchtmans, 1695. in 8.
Constat plagulis 50. & figurarum tabulis 84.

NOva tantum non quotidie in assiduis corporum animalium dissectionibus observari, vel ipsa modernorum Anatomicorum scripta, recens detecta quæ continent, aperte loquuntur. Ansam quippe hæc ipsa *Clarissimo Autori* dedisse videntur, ut eodem servato ordine, quem in *Actis A. 1685. p. 162.* e prima Anatomiæ Reformatæ impressione Belgica notavimus, præsentis editionis novissimæ textum non minus

nus ac figuras imprimis locupletaret ac emendaret studiosissime. Nempe textum utriusque editionis Latinæ cui conferre placuerit, oppido nostra undecim plagulis constabit auctior, quatenus ea præter, quæ in capitibus interpolata habentur, tum duo integra capita, de glandulis conglomeratis & conglobatis vasisque lymphaticis ex Nuckio alterū, alterum e Malpighio de conglobatarum glandularum structura, tum Appendix Harderi glandulam lachrymalem novam, atque oculi anatomen ex epistola Guenelloni comprehendens, accesserunt. Figuras autem utrobique perlustraturus, non faciem solum harum a pristina longe diversam, sed & tabulas tres supra triginta hic adjectas promte advertet. Etenim uti alia in frontispicio figura, ipsaque Autoris effigies noviter incisa sistuntur, ita in tabulis figuræ plurimæ novæ e Vieussenio, Nuckio, Verneo, Verheyen, Gibsonio, Reverhorstio aliisque desumtæ, priores vero magnam partem insigniter correctæ aliave ratione immutatæ (nonnullæ etiam omissæ, v. g. ductus salivalis Bartholiniani sive Riviniani, item humoris crystallini a Leuwenhoeckio depicti &c.) occurrunt. Sub finem de Balsamatione Methodi iisdem verbis repetitæ, partim Antliæ pneumaticæ & Siphonis anatomici, prout hic a Musschenbroekio Lugduni Batavorum nunc fabrefieri solet, adduntur schemata; partim modus, quo cera pariter ad normam præscriptam parata, atque aqua aliusve liquor in sanguifera vasa siphone isto debeant injici, exponitur. Mercurius terna quaternave destillatione attenuatus sive depuratus, aut cum foliis cupri etiam in amalgama redactus, pro vasis implendis commendatur; quemadmodum vernix vasis iisdem obducendis inserviens, ne Mercurius brevi evanescat, optima innuitur, quæ e lacca cum alcohol vini, vel e gummi copal cum spiritu terebinthinæ calido, agitatione continua soleat confici. Unicum forte tyrones, quibus auctores quorum inventa & observata Anatomica hoc in utilissimo opere exhibentur, cogniti non sunt, adhuc desiderabunt, nempe quod nec in hac editione eorum nomina ubique adscripta reperiuntur.

FRANCISCI DE LE BOE SYLVII OPERA MEDICA. EDITIO nova, cui accedunt Casus Medicinales annorum 1659. 60. & 61. quos ex ore Cl. Sylvii calamo excepit JOACHIMUS MERIAN, Ph. & M. D. & Phys. Mœno-Francof.

Traje-

Trajecti ad Rhenum, apud Guillelmum Van de Water, & Amstelodami apud Antonium Schelte, A. 1695. in 4.
Constat plagulis 133.

DEcimus sextus agitur annus, ex quo *Francisci De Le Boe Sylvii*, celeberrimi quondam Medicinæ Practicæ in Academia Lugduno-Batava Professoris publici, Opera Medica, in unum sociata volumen, nitidissime non minus Amstelodami primum impressa, atque applausu magno excepta fuere. Laudem proin nobilissimus *Merian* meretur, quod novam, quæ hic exhibetur, editionem tum casibus medicinalibus, tum remediis Sylvianis, atque menstruarum plantarum indice augere voluerit & perficere. Casus centum & sexaginta medicinales diversos ægrotos, quorum curam Sylvius in nosocomio Lugdunensi A. 1659, 60, & 61. egisse fertur, ita comprehendunt, ut morbi historia & therapeia nunc brevissime, nunc prolixius indicentur ac explicentur, nunc ea quoque, quæ in cadaverum apparuerunt dissectionibus annotentur. Remedia vero Sylviana sub duplici classe, ordinariorum & extraordinariorum, descripta tam interna habentur, quam externa. Index denique plantas partim juxta mensium, partim secundum alphabeti seriem indigitat, quo promte innotescat, quasnam herbas usuales quivis alat mensis, & quonam etiam mense quævis herba progerminet.

RECESSUS IMPERII A S. CÆSAREA MAJESTATE AC UNIversis Imperii Ordinibus A. 1654. in Comitiis Ratisbonensibus conditus &c.

Francofurti apud I.H. Stock & Wetzlariæ apud Christoph. Olffen, 1695. in 4. alph. 2. plag. 28.

INter Sac. Imperii Romano-Germanici leges fundamentales, easque novissimas, vel maxime eminent Decreta in Comitiis Ratisbonensibus A. 1652, 1653, & 1654 celebratis (quorum Historiam Vir illustris *Tobias Pfannerus* composuit, anno superiori publicatam) Augustissimi Cæsaris Ferdinandi III, & Ordinum Imperii auctoritate sancita ac solenniter promulgata. Ea itaque cum perlustranda diligenti studio omnibus sint, qui intimiorem Reipublicæ nostræ notitiam comparare sibi gestiunt, recudere nuper bibliopolis placuit, sed duplici Com-

Commentario illustrata. Eorum alter Viro publici privatique juris consultissimo *Ulrico Obrechto* ab Editore tribuitur, & Argentorati olim pro collegio privato cum Auditoribus ab eo communicatus perhibetur, qui Instrumenti Pacis Cæsareo-Suecicæ A. 1648. initæ, quod integrum Decretis illis Comitialibus insertum legitur (cui quidem jam olim tum sub Burgoldensis nomine *Philippus Andreas Oldenburgerus* in Discursibus ad tabulas pacis illius A. 1668. primum editis, nec non in Collegio juris publici in discursus illos sub nomine Francisci Irenici A. 1670. publicatis, tum nominatus supra celeberrimus *Pfannerus* in Historia Pacis Westphalicæ A. 1679. suppresso nomine edita, lucem affuderunt) brevem & succinctam expositionem continet. Alter vero *Pauli Gamsii*, Augustissimæ Cameræ Imperialis Judicii olim Advocati & Procuratoris celeberrimi nomen præfert, & in Recessu, ut vocant, seu Constitutionibus Comitiorum Ratisbonensium, quoad eam præcipue partem, qua de emendando Processu Camerali agitur, explicandis occupatur: *Opus*, ut in titulo vocatur, *Praxin novissimam supremi Cameræ Imperialis judicii solide & ipsis rerum judicatarum exemplis illustratam exhibens.*

LES LOIX CIVILES DANS LEUR ORDRE NATUREL.

id est:

Leges Civiles ad nativum, quem inter se habent, ordinem redactæ. Tomi tres.

Juxta exemplar Parisiense, 1695. in 8. alph. 6. pl. 3.

De totius Operis hujus dispositione, ac laude dignissimo Auctoris instituto, *mense Actorum* horum *Martio A. 1690. pag. 147. seqq.* prolixe diximus. Itaque nunc quidem id unum suffecerit indicasse, quod Opus, cujus illo tempore nonnisi liber primus partis prioris prodierat, absolutum postea ab Auctore, modo eo ac ordine quem sibi proposuerat, fuerit, atque integrum hoc ipso anno in Hollandia tomis tribus recusum. Ut adeo utilissimo Tractatu, quo *Obligationum* atque *Successionum*, quæ nobilissimam juris civilis partem constituit, materia accurato studio justoque ordine pertractatur, frui nunc omnes possint.

ACTA ERUDITORUM

publicata Lipsiæ
Calendis Septembris, Anno M DC XCV.

HET VOOR-HOF DER HEYDENEN VOOR ALLE ONGEloovigen geopent &c. door Salomon van Til &c.

id est:

Atrium Gentium omnibus infidelibus apertum, ut ibi evidenti divinitatis Mosaicæ Legis demonstratione, ad verecundum in Sanctum Sanctorum legis divinæ introitum præparentur. Autore SALOMONE a TIL V.D. Ministro & illustris Scholæ Dordracenæ Professore.

Dordraci apud Dietericum Goris A. 1694. in 4.
Constat plagg. 49.

AUspicatur hoc opus suum Cl. Autor acerbis de Diaboli fraudibus querelis, qui post reductam Evangelii lucem abstersamque profundissimæ ignorantiæ labem, stulta sapientia adeo dementaverit hominum mentes, ut in extrema semper proclives ex idiotis sciolos, ex superstitiosis atheos subito effecerit. In Italia fere nata post reformationem illa Auctori nostro videtur hydra, ubi variis artibus solicite fota, in Cæsare Vanino ad Gallos tandem prorepserit; apud quos cum egregium in Joanne Bodino invenisset nutritium, per ejus quoque librum, (cujus ex Huetio noster meminit, nescius forte ipsius libri partem a Rev. Dickmanno nostro editam explosamque esse) latissime sua in Gallia sparsit venena: quæ ibi a peregrinantibus avide nimis nonnunquam hausta, in reliquas quoque orbis Europæi partes sunt derivata. Fervidum tamen imprimis in Belgio habuerunt promachum Benedictum Spinozam, sacrum caput & omni posteritati execrandum, qui cum p. 5.
in libro Hispanico idiomate scripto, cui titulum fecerat *Apologia pro Spinoza a Judaismo apostasia*, scurrilitates suas contra autoritatem Ve-

teris Testamenti temere primum effutiisset, amicorum vero suasu premere monstrosum istum fœtum constituisset, illas tamen nihilominus Tractatui suo Theologico-Politico, tectius licet, postmodum infarcire, fumosque suos lumini offundere ausus fuit.

p. 8. Non parum autem juvari impiorum hujusmodi hominum molimina Autori nostro videntur eo, quod viri cætera forte non mali, ritus & leges V. T. ex Gentilismo & Ægyptiaca superstitione derivare, quod Historias sacras in morales tantum usus convertere, quod vaticinia ad Judaicæ tantum Ecclesiæ statum restringere, quod miracula denique causis naturalibus tribuere non dubitaverint. Istis itaque
p. 9. omnibus hoc libro suo bellum indicit, quem proinde in quinque abire jussit partes, quarum prima utrinque concessa complectitur, ex quibus simul potissima veritatis fundamenta apparent, causæque, quæ adversarios, quo minus illa evertere audeant, compescunt. Parte secunda vero doctrina Mosis per summa quasi capita proponitur, divinitatisque habere notas ostenditur. Parte tertia historica argumenta pro divinitate librorum Mosis afferuntur, quæ parte quarta ex vaticiniis in libris hisce occurrentibus, quinta vero denique Christi & Apostolorum de hisce libris testimonio, ulterius confirmantur.

p. 10. Primæ itaque partis summa hæc fere est, ut primo antiquitatem literarum ostendat Auctor, ne forte ex illarum tardiore inventione librorum Mosis antiquitatem impugnare aliquis præsumat. Judæos
p. 20. inde ab antiquissimis temporibus distinctum ab aliis populum constituisse, Palæstinamque inhabitasse, Herodoti, Josephi atque Procopii testimoniis probat. Eorum vero sub auspiciis Mosis ex Ægypto egressum in dubium vocari haud posse, his præsertim evincit argumentis,
p. 24. quod hæreditaria, ut loquitur, illa sit fama, quæ eo minus in totum mendax esse queat, quod ad fundamenta integræ alicujus reipublicæ pertineat: quod testes habeat ab ipsis rerum gestarum temporibus non adeo remotos, Mosen scilicet, Samuelem, Davidem omnesque
p. 25. Prophetas: quod ritus quoque habeat & cærimonias antiquitus in rei memoriam institutas, quales sunt Pascha & aliæ cultus Judaici partes: quod alia monumenta in testimonium vocare possit, ut tabulas in arca servatas: quod ipsos denique gentilium scriptores nullius partium suspectos studii pro se allegare queat, ex quibus Ptolemæus ex Tatiano, Manethon, Lysimachus & Appion ex Eusebio, & ipse denique

Taci-

Tacitus nominantur. Quorum allegandorum cum ſemel Auctori noſtro facta ſit occaſio, ex eorum teſtimoniis quoque miracula Moſis, poſt alios, qui de Verit. Rel. Chr. ſcripſerunt, viros doctos confirmat, Numenii imprimis & Artapani apud Euſebium, & Plinii Secundi in Naturali ſua Hiſtoria. Imo ut legislatorem quoque Moſen gentibus innotuiſſe, Diodori Siculi, Manethonis, Appionis, aliorumque a Joſepho, Juſtino Martyre & Euſebio allegatorum autoritatibus manifeſtum reddit. Quæ omnia poſtmodum in unum colligens, ita arguit: Cum leges a Moſe latas eſſe negari non poſſit, illarumque etiam obſervationi adſtrictum fuiſſe Dei populum conſtet, literas quoque illis temporibus jamjam fuiſſe inventas probatum ſit, quis dubitet literis mandatas fuiſſe illas leges, præcipue cum a Moſe id factum eſſe toties ſacra Scripturarum monumenta teſtentur? p. 29.

Parte ſecunda, qua Theologiæ Moſaicæ texitur compendium, doctrina Moſis de Deum primo proponitur, inde leges ejus tam morales quam cærimoniales & forenſes una cum fine ſuo explicantur. Promiſſa porro tam temporalium quam æternarum benedictionum, narrationesque rerum geſtarum a Moſe ad confirmationem illorum inſtitutæ recenſentur. Cum vero Athei ad unum omnes diſplicere ſibi haud diſsimulent, quod magiſtraliter potius (ſit venia barbaris vocibus) quam ſcientifice & ſolidis argumentis munita maximi momenti dogmata a Moſe proponantur, qualia ſunt de Dei exiſtentia, de mundi hujus viſibilis productione, de animæ immortalitate; Autor noſter primo monet, Interpretis & Hiſtorici partibus potius, quam Doctoris Moſem defunctum eſſe, adeoque ſatis ipſi fuiſſe veritates iſtas, prout a Deo ſibi fuerant revelatæ, fideliter exponere. Deinde vero quid opus fuit, inquit, argumentis humanis Dei demonſtrare exiſtentiam populo, cui quotidie Deus viſionibus omnibus argumentis potioribus ſeſe manifeſtabat? Mundi autem productio facti res eſt, adeoque a ſola fideli eorum dependebat traditione, qui novum illum viderant. Et ad animæ immortalitatem quod attinet, ad eam evincendam quid pluribus argumentis opus apud populum, cui Deus notus erat, qui ex pulvere terræ hominem formaverat, vitæque ipſi inſpiraverat ſpiritum? An non noſſe ſatis erat, Deum vitæ eſſe auctorem, ſuamque de vita æterna animæ humanæ largienda voluntatem declaraſſe? Nec in dubium quisquam iſtas doctrinas tum vocabat; non novæ erant po-

p. 37. p. 52. p. 56.

pulo, sed inter gentes quoque auditæ; quod Platonis & Aristotelis de hisce veritatibus testimoniis probatur, quos sapientiam suam orientalibus, interque illos Ægyptiis imprimis debere, nemo eruditorum ignorat. Verum ut a generalioribus hisce ad magis particularia
p. 61. Autor deveniat, doctrinæ Mosis de DEO a variis maculis, quas Athei ipsi aspergunt, purgandæ operam suam impendit. Solent illi imprimis reprehendere, quod spiritualem DEI essentiam aut non intellexisse satis, aut minus aptis loquendi formulis mirum in modum obscurasse Moses videatur, nec æternam DEI felicitatem divinamque *αὐτάρκειαν* ferre putant, quæ de ira, misericordia, zelo, pœnitentia ejus in scriptis istis occurrunt. Nota sunt quæ ad talia respondere solent Theologi: operæ pretium tamen erit, quomodo locum Genes. VI, 6. ubi pœnituisse DEUM dicitur hominis conditi, exponat Autor, audire. Plane nullam itaque pœnitentiæ hic mentionem esse existimat. Verbum נחם enim non *pœnitendi* h. l. obtinere significatum, sed *seipsum consolatus est*, vel *contentus fuit opere suo*, esse reddendum, quo sensu etiam occurrat Genes. XXXVII, 35. Esa. I, 24. & Genes. V, 29. Verbum vero ויתעצב non *dolere*, sed *opus aliquod peragere*, aut ei *peragendo sese accingere*, ex ejus mente in hoc loco significat, quam vim etiam habeat Job. X, 8. Jerem. XLIV, 19. ut adeo totius textus sensus hac paraphrasi commode exprimi queat: *Videns Jehova auctam esse super terram malitiam hominum, omnemque cordis humani meditationem esse malam; seipsum quidem ob hominem conditum solabatur, quod opus sibi propositum peregisset: nihilominus tamen dicebat Jehova, delebo hominem a me conditum, nec hominem tantum sed & bestias, imo & reptilia & volatilia cœli, quamvis contentus eram isto opere mihique in eo complacebam.*

p. 70. In doctrina Mosis de creatione vindicanda, imprimis solicitus est Autor, ut Atheorum dubiis ex re chronologica petitis satisfaciat. Si Chaldæorum enim, Ægyptiorum Sinensiumque audiendi sunt Chronologi, multum antiquior erit, quam a Mose dicitur, mundi conditi æra. Cum itaque Chaldæorum Ægyptiorumque temporum rationes Berosi & Manethonis potissimum innitantur testimoniis, eorum autoritas suppeditatis a Scaligero, Marshamo & Pezerono argumentis infringitur, istiusque chronologiæ obscuritas & incertitudo ex ipsa Scaligeri & reliquorum circa Berosi & Manethonis effata dissen-

dissensu ostenditur. Sinensium vero Chronologia omnis, simulac Confucii transcendit tempora, incerta & fabulosa est. Ipso enim antiquior liber apud Sinenses nullus extat, combustis omnibus a Xi Hoam Ti Historicis monumentis. Accedit quod omnis antiqua scribendi ratio apud Sinenses a Fohi inventa, ænigmatica fuerit, cujus interpretandi ratio cum jam olim fuerit deperdita, nunquam ita, ut eruditis satisfaceret, restitui potuit; ut nihil adeo sani sincipitis homo certi ex turbatis Sinensium lacunis expectare possit. p. 90.

Inter doctrinas Mosis locum quoq; obtinent leges ejus. Tam moralis itaq; legis præstantia & divina origo ostenditur, quam cærimonialis natura & obligatio. Asseritur hæc potissimum contra Spencerum, cui nullo modo concedendam esse putat Autor suam de lege cærimoniali ab Ægyptiis derivanda opinionem. Contrarium enim non ex Levit. 18, 3. tantum manifestum est; sed ex Tacito quoque, Manethone apud Josephum, Diodoro Siculo apud Photium, & aliis patet, ipsos Gentiles exprobrasse Judæis, quod omnium gentium statutis contrariæ sint Israelis leges; quod etiam quam plurimorum exemplorum inductione confirmatur. Saltem ab Ægyptiis derivari non potuerunt illa festa, sacrificia & cærimoniæ, quæ in certorum beneficiorum memoriam Judæis erant præcepta. Talia sunt festum paschatos, tabernaculorum & alia. Nec juvat Spencerum Herodoti autoritas, Ægyptios, ut aliarum rerum, ita sacrorum quoque rituum inventores facientis. Ille enim cum mille fere annis Mose sit junior, & alias quoque errare ipsi admodum sit familiare, in hac controversia vix in testimonium allegari meretur. A moribus vero recentiorum Ægyptiorum contra Auctorem nostrum frustra est arguere; illos enim ipsi a Judæis potius sunt mutuati. Diodorus sane Siculus testatur, Bocchorim Ægypti Regem, non Mose tantum sed ipso quoq; Minoe juniorem leges adhuc Ægyptiis tulisse: quod argumento est, certas & immutabiles leges ejus temporibus huic populo nondum fuisse; ut adeo nihil impediat, quo minus Ægyptios a Judæis haud pauca sumsisse dicamus. Denique discrimen faciendum est inter ea, quæ ad utensilia sacra pertinent (quales v. g. linteæ vestes in sacrificiis ideo adhibitæ, quod sanguis adspersus aqua facile elui posset,) & alias res, quæ essentiam cultus constituere videntur. Illorum enim nonnulla ab aliis gentibus transsumta fuisse, salva causa sua Autor concedi posse existimat. Sed

p. 91.
p. 108.

non minus durum ei videtur, quod Spencerus sacrificia aliosque sacros V. T. ritus a DEO primario institutos esse negat, ut rerum futurarum figuræ essent. Judæis itaque, sicut omnibus fere orientalibus populis, familiare fuisse ostendit, ut per symbola docuerint; cujus rei luculentum testem Clementem Alex. Strom. L. V. adducit. Nec dedecuisse DEUM Symbolicam illam Theologiam, cum profunda & abscondita sit ejus sapientia, ostendit. Imo ipsis forte Patriarchis illa debetur, qui ex ænigmatico DEI effato Genes. III, 14. sibi persuaserint, consilium ejus fuisse, occultare nonnihil sua de restauratione hominis peccatoris decreta. Et illa quidem de restauratione peccatorum doctrina postrema est, quæ hac secunda parte, ita ut a Mose proposita fuit, vindicatur. Ad tertiam itaque nunc erit accedendum, in qua Historica pro divinitate Mosis argumenta expenduntur.

p. 118.

p. 154.

p. 158.

Hic ante omnia verus autor Pentateuchi Moses probatur, Spinozæque & asseclis, sub Regibus idololatris, & in captivitate Babylonica iterum, & Antiochi Epiphanis temporibus denuo legem periisse deblaterantibus, os obturatur. Præcipue vero Noallii de Versé refutatur opinio, qui in libro, qui Gallico sermone, Theologorum Belgarum nomine, contra famosam R. Simonii Criticam scriptus extat, nescio quem sacrificulum Samaritam ex 2. Reg. XVII, 24. Pentateuchi autorem obtrudere conatur. Cum tamen ille locus pariter ac Josephus Antiquit. IX. 14. aliud dicat nihil, quam docuisse Sacerdotem illum Samaritas legem ritusque divinos. Sed & alios bonus ille vir in stabiliendo hoc paradoxo committit errores. Sacrificulum enim illum ex Babylonia educit, cum tamen inter captivos fuerit, qui in Assyriam Mediamque fuerant abducti 2 Reg. XVII, 6-23. Illumque forte codicem nactum esse existimat, qui ab Hilkia Josiæ temporibus inventus est, quique præter leges nihil complectebatur, ab hoc vero admixtis historiis hac forma editus fuerit. Sed non potuit, quisquis fuerit ille Sacrificulus, ad Cuthæos minus XC annis ante inventum illum ab Hilkia codicem pervenire. Et ad rem ipsam quod attinet, quis quæso Judæus recepisset Sacerdotis apostatæ commenta? Nemo sane qui non mente captus, aut patriæ religionis prorsus oblitus esset.

p. 172.

p. 193.

p. 196. Sed ad Spinozam redit Auctor, contraq; eum ostendit, nec Ezram quoque Historicæ Pentateuchi partis esse autorem; quod ex conditione potissimum atque dissidiis Judaicæ Samariticæque Ecclesiæ demonstrat,

monstrat, unanimi tamen consensu libros istos recipientium, quod non facerent Samaritæ, si ab Ezra eos profectos fuisse nossent. Imo ne mutasse quidem aliquid Ezram, codex Samaritanus evincit: hujus enim ad Hebraicum reformationem nunquam permisisset implacabile duarum istarum nationum odium. Multo minus vero a Pharisæis Histo- p. 204.
rica horum librorum pars concinnari potuit, quos tamen post abolita ab Antiocho Epiphane legis exemplaria occasionem nactos esse nonnulli ganniunt, Historias Prophetiis, Prophetiasque Historiis accommodandi. Sed fabulam esse illam legis sub Antiocho abolitionem, ab Autore jam ostensum est. Et præter Samaritanum codicem, dudum antea concinnata LXXII Interpretum translatio, impedire hanc fraudē facile potuit, si ipsa religio non potuisset. Imo quis Sadducæos, Essenos, Christum ipsum & Apostolos, flagitium adeo enorme tacuisse sibi persuadeat, si unquam id fuisse admissum credidissent? Explosis itaque p. 212.
omnibus istis næniis, veroque suo autori Pentateucho vindicato, fides Mosi conciliatur iis argumentis, quibus ostendi vulgo solet, fidem mereri aliquem scriptorem. Qualia sunt, quod de rebus commentatus fuerit probe sibi perspectis; quod nihil afferri queat, quod frau- p. 215.
dis ipsum faciat suspectum; quod totius populi testimonium, ad cujus aures & oculos passim provocat, pro se habeat. Nec temere quis p. 218.
in suspicionem populi istius trahat testimonium. Cum Mose enim ingratarum legum latore, duroque peccatorum reprehensore, in fraudes hujusmodi eum conspirasse quis credat? Vi tamen & armata manu p. 23.
leges & commenta sua eum populo obtrusisse, ex Exod. 32, 27. 28. Levit 24, 10 - 23. forte aliquis objiciet. Sed quis nescit, non adeo usque Mosis timore occupatum fuisse populum, quin vice plus una non sine præsenti vitæ ejus discrimine, contra illum insurrexerit. Expendatur imprimis seditio, quæ describitur Num. 16, 13. Sed ponamus, Mosen, dum viveret, autoritate sua populum compescuisse, quis quæso post mortem ejus duris legibus, si humana inventa eas esse scivissent, colla submittere eos cogere potuisset? Sed & ipsa rerum connexio, ipse Mosis confidentia plenus animus, & intrepida ad populum in rebus omnibus quas literis consignatas reliquit provocatio, de veritate rerum ab ipso memoriæ proditarum quemvis, a partium studio alienum, satis convincere possunt. Ast non veritas tantum, sed divi- p. 231.
nitas quoque scriptorum Mosis demonstranda est; quod demonstrata eorum

eorum veritate non eſt difficile. Ipſe enim Moſes divinitus ſe miſſum eſſe affirmat, ipſe de divinitus ſibi communicata lege teſtatur, ipſe divinitus ſibi monſtratum tabernaculi cæterarumque ad cultum divinum pertinentium rerum dicit imaginem. Ipſe Dei legatum ſe eſſe tum aliis ſignis innumeris, tum Choræ imprimis atque ſequacium pœna clariſſime evicit.

Sed præclariſſimum divinitatis librorum Moſis argumentum
p. 242. ſunt tot vaticinia rerumque futurarum prædictiones, quibus expendendis librum quartum Autor noſter impendit. Iſta cum a nemine niſi a Deo proficiſci queant, tot pro divina Pentateuchi autoritate habemus argumenta, quot vaticiniorum in iis contentorum complemen-
p. 244. ta novimus. Equidem habuerunt ſua Gentes quoque oracula, quæ a Deo proficiſci ſane non potuerunt. Sed fuere iſta æquivoca & flexuoſa fallacium ſacrificulorum commenta; ut ſibi cum Daleo noſter perſuadet. Quamvis non multum obſiſtat, ut malis quoque geniis nonnulla eorum adſcribantur. Ac ſi aliqua eorum non conficta, rerum tamen eventibus comprobata fuere, non adeo id mirandum eſt. Ex Judæorum enim vaticiniis talia decerpere malum genium ejusque miniſtros potuiſſe, quid quæſo prohibeat? Sed plane alia eſt noſtrorum vaticiniorum cauſa, a quibus deſumta argumenta ut evitent Athei, quas latebras non quærunt, quos ſinuoſos anguium non imitantur fle-
p. 248. xus? Confingit nobis neſcio quod fatum Vaninus, cujus decreta aureis ſtellarum literis quaſi deſcripta, legi ab hominibus rerum iſtarum ſagacibus queant. Verum planetarios & erraticos illos Sophos dudum
p. 251. ſtultos experientia declaravit, talesque eos eſſe, argumentis alias notis Autor noſter denuo oſtendit: quod etiam videns Bened. Spino-
p. 257. za aliam iſtud nobis extorquendi argumentum viam inivit. Stoicum fatum fundamenti loco ſubſternit; cui tale poſtmodum ſuperſtruit ædificium. Ex doctrina ſua de fato immutabilem rerum futurarum certitudinem infert: ex doctrina vero ſua de Deo, quem cum natura confundit, imagines rerum in mentibus Prophetarum divinas eſſe revelationes deducit, h. e. mirabiles naturæ productiones, quæ ſecundum regulas legesque naturæ in veris rerum eventibus, certis quibusdam materiæ motibus in animis Prophetarum tam occulte producantur, ut ratio earum nos lateat. Sed quomodo Spinoza nexum inter excitatas in Prophetæ mente imagines, cauſamque rerum futurarum

rum

rum ostendet? Omnes equidem in mente nostra imagines a certis quibusdam pendere motibus, qui animales nostros spiritus hac vel illa ratione disponant, verum est. Sed qua ratione limitati atomorum sive particularum materiæ minutissimarum, in homines sic vel aliter dispositos impingentium motus, cum aliis motibus post aliquot secula producendis talem habeant convenientiam, ut eorum imaginem aliquot ante seculis repræsentare queant, id vero explicatu est impossibile. Est p. 258. itaque tertium Atheorum genus, quod Spinozam quoque periclitari sentiens, plane prophetias negat. Sed eorum impudentiam ipsa experientia satis exponit; ut adeo illos ulteriori refutatione indignos censens Autor, ipsas potius prophetias Mosaicas sigillatim perlustrare, cumque rerum eventibus comparare aggrediatur. Initium facit a promissis p. 260. patribus de Canaanis hæreditate factis. Inde de vaticiniis regnum p. 271. Judæ concernentibus agit. De maledictionibus porro rebelli populo p. 284. post Mosis mortem Deuteron. 31. prædictis: de prædictionibus ad conversionem p. 296. populi post primam captivitatem, ejusque restitutionem pertinentibus: de vaticiniis denique res sub Græca Monarchia gerendas, p. 313. item res Maccabæorum, Christi tandem adventum, eumque secutam p. 318. Judæorum rejectionem, & Gentium vocationem concernentibus.

Tandem de libro quinto etiam aliquid erit dicendum, in quo ex testimonio Christi & Apostolorum divinitas librorum Mosis adstruitur. Adducuntur itaque primo Christi, inde Apostolorum de Mose elogia. p. 346. Postmodum Christum verum Messiam, Apostolos autem veros ejus legatos esse demonstratur; ut ex auctoritate eorum major quoque Mosi accedat auctoritas. Quod dum exequitur Autor, novam p. 350. post alios de Veritate R.C. orditur tractationem, in qua primo pro Christo indubitato Messia, ab ejus morte vaticiniisque eam prædicentibus, argumentum ducit; qua occasione prolixe imprimis de LXX p. 374. Danielis hebdomadibus agit: inde a resurrectione, quod argumentum occasionem ipsi suppeditat vindicandi post Huetium & alios Josephi de Christo testimonium. Apostolis vero auctoritatem ex effusione Spiritus S. conciliat, tandemque conclusionem repetit, divinos ergo esse Mosis libros, qui divinorum horum virorum nitantur auctoritatibus.

GEORGII ADAMI STRUVII CONCILIATIO LEGUM PUgnantium, quas Gothofredus verbo IMMO arguit.

Francofurti ad Mœnum apud Georg. Heinr. Oehrling. 1695. in 4. Alph. 2. plag. 17.

D*ionysius Gothofredus* in suis, quas in universum juris corpus composuit notis, non solum ad varios subinde textus remittere, sed & complures allegare consuevit, inter quos repugnantia quædam subest vel saltem subesse videtur. Cum angustia chartæ, cui dictas Gothofredus inclusit notas, prolixam legum obstantium conciliationem vix caperet, hanc annectere supersedit, pugnam modo illarum verbo *immo* indicasse contentus. Hoc itaque advertens magni nominis & laudes nostras supergressus JCtus Georg. Adam. Struvius, quod illa ratione Lector quidem dubius reddatur, nulla vero inde emergendi via ipsi commonstretur; harum legum obstantium a Gothofredo verbo *immo* indicatarum, dum adhuc in vivis erat, aggressus est conciliationem, quæ jam post beatum ipsius obitum obstetricantibus hæredibus in lucem publicam prodit. Sequutus est beatissimus Auctor ordinem Pandectarum, utpote quarum leges obstantes sibi tantum resolvendas sumsit, & notata breviter lege pugnante succinctas ad illam responsiones statim subnectit, ex quibus unam alteramve speciminis loco ex-
p. 9. cerpemus. Ita L. *6. ff. de his, qui sui vel al. jur.* illum filium definienti, qui ex viro & uxore ejus nascitur, opponit Gothofredus *l. 83. de Condit. & Demonstr.* non esse in potestate, ut quis filium se probet. Ad quam respondet Auctor, tum quod hæc lex loquatur de filio extraneo, cui adeo plane impossibile sit probare se esse filium, tum etiamsi loquatur de filio testatoris seu de nato ex uxore illius, tunc impossibi-
p. 47. lis sit alia probatio, quam ista quæ habetur in *d. l. 6. L. 40. §. 3. ff. de Procuratorib.* quod lite semel contestata procurator non compellatur ad satisdationem, opponitur *l. 2. C. de Consort. ejusd. lit.* Quam ut removeat, diversam subesse rationem inter procuratorem & consortem litis ostendit Auctor; cum illi post litem contestatam satisdatio censeatur remissa, hic vero etiam post litem legitime ordinatam, commune negotium quibusdam absentibus, modo de rato caveat, gerere sine
p. 61. mandato possit. *L. 9. §. 1. ff. de Minorib.* quod in dotis quoque modo mulieri subveniatur, si ultra vires patrimonii vel totum patrimonium circumscripta in dotem dedit, opponitur, quod ipso jure promissio non valeat,

valeat, adeoque non opus sit restitutione, *l. 61. de jur. dot. l. 48. in fin. de minor.* Respondet distinguendo, utrum curator sciens mulierem circumvenerit, aut ignorans suam auctoritatem interposuerit; priori casu promissionem esse ipso jure nullam propter dolum curatoris, posteriori valere & mulierem petere restitutionem. *L. 19. ff. Ex quib. caus. maj.* dicitur, possessionem plurimum facti habere. Opp. *l. 49. ff. de acqu. vel am. poss.* plurimum ex jure possessionem mutuari. Resp. Possessionē plurimum facti habere quoad acquisitionem & retentionem, habere tamen alio sensu plurimum juris quoad effectus quosdam. *L. 9. ff. Quib. mod. usufr. amitt.* quod diruta villa solo adhuc uti frui possim, Opp. *l. 5. §. 2. eod.* rei mutatione interire usumfructum. Resp. A. in *l. 9.* uti constat ex præcedente *l. 8*, agi de universi fundi sive prædii usufructu legato, adeoque licet villa sive ædificium aliquod rusticum in fundo positum dirutum sit, tamen soli usumfructum remanere, quia tunc non nudæ superficiei sive ædium ususfructus sit legatus, ut in textu opposito. *L. 10. ff. de S. R P.* dicitur, servitutem constitui posse, ut aquam quærere & inventam ducere liceat; cui opponitur a Gothofredo *l. ult. ff. Si serv. vind.* quam Auctor solvit hoc modo: Labeonem differentiam constituere inter servitutem aquæ ducendæ, & servitutem itineris ad aquæductum: illam servitutem aquæductus inventa licet nondum aqua, posse constitui statuere Labeonem, & hujus sententiam etiam probare Paulum in *d. l. 10.* At vero iter ad aquæductum futurum constitui non posse eundem putasse Labeonem, quam sententiam rejiciat Paulus in *d. opp. l. ult.* *L. 6. ff. Comm. divid. Obst at l. 39. ff. pro soc.* item *l. 2. §. 1. de Relig.* Respondetur hoc modo: Quæritur in hoc §. 6. an etiam is, qui mortuum infert in communem locum, teneatur, & qua actione? Ulpianus ait, communi dividundo vel familiæ herciscundæ judicium dari, *d. l. 2. §. 1. de relig.* quia cum locus invito altero socio non factus sit religiosus, consequens est, manere communionem, & ideo id posse deduci in actionem communi dividundo, ut tollatur corpus illatum, vel præstetur loci pretium: non igitur necessaria est actio in factum. Aliud tamen visum fuit Trebatio & Labeoni, quorum sententiam ut absurdā hic reprehendit Ulpianus, quasi velit dicere: mirum est, Trebatium & Labeonem dicere, locum non esse religiosum factum, & tamen istos putare in factum agendum esse. In solvenda *l. 63 §. 8. ff pro socio*, cui *l. 52. §. 9. eod.* opponitur, remittit ad Exerc. Pand. 22. th. 41. simulque de socie-

p. 65.

p. 92.

p. 101.

p. 111.

p. 145.

tate vectigalium, quam varie a Dd. explicari ait, suam sententiam ab
p. 175. Ant. Matthæi diversam subnectit. In *l. 4. pr. ff. de usur.* Papinianus ait: Si stipulatus sis *rem dari, vacuamque possessionem tradi*, fructus postea captos actione incerti ex stipulatu propter inferiora verba consecuturum te, ratio suadet. Opponitur (1) quod hæc verba: *Vacuam possessionem tradi*, sint superflua, per *l. 3. §. 1. de act. emt.* Respondet Auctor, utraque quidem verba, rem dari scilicet & possessionem tradi, esse de possessione; sed verba posteriora sive inferiora continere etiam fructus postea perceptos, ut non tantum possessio rei tradatur, sed & fructus, qui postea percepti sunt a venditore; at superiorem istam clausulam, *rem dari*, non continere fructus postea perceptos, nec partus postea editos: inferiora igitur verba esse uberiora & non supervacua. (2) Obst. *l 3. §. 1. de Act. emt.* ubi disertis verbis tradit Pomponius, stipulationem: *vacuam possessionem tradi*, non continere fructuum præstationem. Respondet Auctor distinguendo: aut fructus rei venditæ ante stipulationem interpositam esse perceptos, & hos non recte actione ex stipulatu peti, sed actione ex emto, *d. l. 3. §. 1.* aut agi de fructibus post stipulationem interpositam perceptis, & tunc ex stipulatu recte peti fructus, *h. l. 4. pr.* *L. 33.*
p. 186. *ff. de jur. dot.* dicit Ulpianus, eum, qui dotem mulieri donavit, si a marito conveniatur, saltem in id quod facere posset, condemnandum esse. Cui contradicit Paulus in *l. 41. de re judicata*, illum donatorem in solidum condemnandum esse docens. Conciliat eos Auctor (1) Videndum esse, utrum dotis promissor extraneus a muliere an a marito conveniatur; nam mulieri, cui donatum voluit, eatenus cogitur solvere, quatenus facere potest, *l. 19. §. 1. de re judic. §. 37. inst. de Act.* Marito autem, quippe cui non lucrativo donationis, sed oneroso dotis titulo debetur, in solidum est condemnandus, *d. l. 41. de re judic.* Atque hinc explicanda esse verba Ulpiani in h. l. 33. ut eorum sententia sit, non posse mulierem objicere marito, cur non urserit promissorem ad solvendam dotem; quandoquidem ipsa mulier, si eum conveniret, non ultra, quam ille facere posset, consequeretur, propterea quod ex causa donationis egerit. (2) Textum oppositum in *l. 41. de re jud.* accipiendum esse de eo casu, quo
p. 191. donator dotis ab uxore marito fuit delegatus. *L. 3. §. ult. ff. de donat. inter vir. & ux.* scribitur si donaturum mihi, jussero uxori meæ dare, nullius

nullius esse momenti: perinde enim habendum, atque si ego acceptam & rem meam factam uxori meæ dedissem. Obstat *l. 31. §. 7. eod.* quod legaturus mihi aut hæreditatis nomine relicturus es, potes rogatus à me uxori meæ relinquere: & non videtur ea esse donatio, quia nihil ex bonis meis deminuitur. Respondet Auctor: Videndum hisce casibus esse, an permittente marito mulier ab extraneo acquirat, an ab ipso marito. Priori casu donationem valere, quia mariti bona non diminuantur, veluti cum maritus hæreditatem vel legatum repudiat, ut ad uxorem perveniat, quæ vel erat substituta vel legitima hæres. *l. 5. §. 13. h. t.* item cum legaturus vel hæreditatis nomine relicturus marito, ab eo rogatus relinquit uxori. *d. l. 3. §. ult. & l. sequ. 4.* Posteriori casu donationem non valere: quia etsi mulier ab extraneo accipiat, tamen revera a marito acquirat. Nam in *d. §. ult.* maritum non jussisse donari uxori, sed tradi ex jussu mariti, cui donare volebat. *L. 9. §. 8. ff. de hæredib. instit*: si quis nomen hæredis quidem non dixerit, sed indubitabili signo eum demonstraverit, quod pene nihil a nomine distat, non tamen eo, quod contumeliæ causa solet addi, valet institutio; Opponitur *l. 48. §. 1. h. t*: Illa institutio valet: Filius meus impiissimus male de me meritus hæres esto; pure enim hæres instituitur cum maledicto, & omnes hujusmodi institutiones receptæ sunt. Respondetur: Aut solam contumeliosam vel odiosam demonstrationem factam esse, veluti qui de me pessime meritus est, hæres esto; aut adjectam esse alii demonstrationi seu hæredis nomini, v. g. Filius meus impiissimus hæres esto. Priori casu institutionem non valere; posteriori valere, quia tunc adjecta contumeliosa demonstratio pro non scripta habeatur, perinde ut aliæ conditiones impossibiles pro non adjectis habentur. Porro dubium movetur ex *l. 9. pro socio*, ubi hæreditas obvenire dicitur ex merito, quod repugnet illi institutioni: filius meus de me male meritus hæres esto. Sed respondetur, textum *d. l. 9.* loqui de hæreditate, quæ defertur extraneo. Casum vero supra positum agere de filio, cui non tam ob meritum, quam ob debitum obveniat hæreditas. *l. 10. d. t.* p. 225.

Cæterum præsentium editor, si hæc lectoribus non displicuerint, plura mox DEO opitulante beati Auctoris scripta in publicum emittenda promittit, Evolutiones inprimis ad Syntagma civile cum refutatione illorum, quæ a nonnullis sunt reprehensa; Pandectas item

rerum judicatarum ad plerasque leges notabiles & in praxi frequentatas; Progymnasmata denique ad Codicem & ejusmodi bonæ frugis alia. Quæ ut brevi, sed emendatius paulo, typis exscribi curet, publico nomine merito optamus.

SEBASTIANI SCHMIDII, DOCT. THEOLOGI, APUD Argentinenses Professoris Senioris & Conventus Ecclesiastici Præsidis,

SENARIUS ANGELICUS.

Helmstadii, impensis Caspari Gruberi, A. 1695. in 12.

Constat plag. 11.

Elapsum jam est seculi dimidium, ex quo summi, etiam post fata, nominis Theologus, Jo. Georgius Dorscheus, sub titulo Septenarii Singulariũ Angelicorum, septem Dissertationes Argentorati edidit, quæ materiam de Angelis imperiorum, bonis, malis, cherubinis, præliorum præsidibus, similibusque, studio accurato pertractant; a quo, si primarium imprimis institutum respicias, nec quoad rem, nec quoad titulum, abire multum videtur hoc corpusculum, quod aliquot orationes a venerando sene, inque Ecclesiæ orthodoxæ solatium adhuc superstite, Sebastiano Schmidio, diversis olim annis in festivitate S. Michaelis Archangeli recitatas, sub Senarii Angelici nomine in publicum proponit. Prout autem ille nomina quædam angelorum præcipua examinare in his constituit, ita *primo* loco orationem istam collocat, quæ de nomine מלאך, quo Hebræis denotatur angelus, disquirit. Nota videlicet est sententia quorundam, affirmantium, inferioritatem prædicari de eo, qui tanquam missus ab alio per hoc vocabulum indigitetur. Sed eam explodendam maxime Reverendus Auctor merito existimavit, quandoquidem secunda quoque Divinitatis persona hoc nomen gerat, (id quod probatur latius ex Exod. XXIII, 20-23.) quæ tamen prima inferior nequaquam sit. Unde consectarii loco monitum hoc elicit, ubicunque in Scriptura occurrat vox מלאך, diligenter considerandum venire contextum, quis vel qui sub ea designentur, Filiusne Dei, an spiritus separati, an homines? Non enim momenti alicujus esse argumentum: hoc istove loco haberi vocem מלאך, ergo istum necessario de spiritu creato loqui. In *secunda*, quid de voce Seraphim sit statuendum, dispicit. Ante omnia Gasparem Sanctium refutat, qui eadem

eadem proprie serpentes innui commentus sit. Inde illos redarguit, qui in visione Prophetica Es. VI. descripta, duos modo Seraphim Domino adstitisse perhibeant. Denique vero non dissimulat, se sive dubitare sive ignorare, an certus quidam ordo, an contra omnes & quicunque angeli, vocabulo hoc in Scriptura exprimantur. Eos sane, qui prius defendunt, idoneis rationibus instructos haud videri reputat; unde magis adhuc eorum corruat opinio, qui ordinem angelorum summum per Seraphim indigitari, multo cum verborum apparatu defendant. Vim autem vocis, quæ ab igne comburente significatum mutuetur, naturam ait indicare angelicam, ac sub ignis schemate eorum depingi sanctitatem, & ex hac inimicitiam cum non-sanctis seu impiis, quos in zelo sancto comburere seu consumere jubente Domino parati sint. *Tertia* ad vocem Cherubim excurrit, cujus derivationem communiter quidem, sed falso tamen, a רבב multus fuit, depromi observat, & recedit a sententia apud Latinos Ecclesiæ Scriptores Doctoresque cæteros haud parum frequentata, Cherubim significare plenitudinem seu multitudinem scientiæ, & sic dici spiritum angelicum, quod sit sicut multitudo scientiæ, hoc est, plenus scientia & sapientia. Memorat insuper eorum asserta, qui vocem Cherub compositam, dividendamque esse statuant in כ similitudinis, & רוב, quod ex Chaldaica lingua sic interpretentur, ut idem insinuet quod רביא, hoc est, puerum; angelos etenim ut plurimum in forma puerili vel juvenili apparuisse. Sed ab his etiam dissentit, conjecturæque antea precatus veniam, Cherub deducit ex כרב, radice hodie inusitata, cujus tamen sensus capi queat ex aucto verbo derivativo כרבל, quod sit tegere, contegere, velare, amicire; unde Kerub idem quod tegentem innuat. Ita vero dictos angelos, quod eorum sit officium, ut jussu creatoris sui tegant & protegant, quicquid Domini est, & Deus tegi atque protegi vult. Hinc factos Cherubos, ut tegerent arcam fœderis, sub Deo tamen ipsis insidente; hoc est, ut ministri sub imperio summi protectoris. In *quarta* sequitur nomen Αρχαὶ, quo itidem eos insigniri, e sacris paginis abunde constat. Postquam autem ἀρχὴν & essentiale Dei nomen esse, Filiumque insuper Dei sic appellari, una cum investigatione fundamenti genuini, ostendit, hominibus etiam istud competere subjungit, de quibus auctoritatem, dignitatem, potestatem, imperiumque super alios populos, urbes, terrasque alias prædicet. Angelos autem

ἀρχὰς

ἀρχὰς dici eam ob cauſam concludit, quod principatibus hujus mundi a Deo præfecti ſint & præſint; quanquam nec iſtud abnuit ſtatuere, quod vox hæc angelorum ad angelos relationem dicat, & citra dubium ita diſpoſitus ſit angelorum ordo, ut angelus donis præſtantior & robore dux atque princeps conſtitutus a Deo habeatur eorum, qui donis & robore non tam excellentes militis ſub principe officium impleant. Ulterius: cur Θρόνοι etiam vocentur angeli, dum in oratione *quinta* quærit, non abſurdam cenſet Scholaſticorum Doctorum reſponſionem, qui cauſas ab inhabitatione divina derivent, modo ut inhabitatio ejusmodi intelligatur, quæ cum majeſtatis inſeſſione excellentiſſima conjuncta ſit, ob quam angeli potius quam aliæ creaturæ throni appellentur. Ubi tamen, ne cum throno increato throni confundantur angelici, cavendum monet. Inſuper periculum eſſe nullum arbitratur, ſi Cherubim & Thronos unum ac eundem ordinem angelorum facere quis pronunciet, cumque Cherubim & Seraphim itidem diſtinctos ordines non eſſe dixerit, Thronos eosdem etiam ac Seraphim exinde colligit. Atque heic libelli finis apparet, quod mirum ſane cuivis videbitur, cum & Senarii vocabulum orationes ſex, & reliqua rubricæ contenta peculiarem de Dominationibus tractationem polliceantur. Hæc igitur quam ob rem deſideretur, conjectando nondum ſatis aſſequi valemus.

JOHANNIS SCHOTANI PARAPHRASIS POETICA PRIMÆ Philoſophiæ, quam Metaphyſicam appellant, in ſex partes diſtributa.

Franequeræ, apud Jo. Gyzelaar, 1694. in 8. plag. 7.

QUamvis illa Philoſophiæ pars, quæ de moribus recte formandis præcipit, apta præſertim videatur, ut numeris poeticis includatur; non minus tamen & illa, quæ vel in explicandis naturæ operibus, vel circa ſublimiores de rebus divinis aut a ſenſibus remotioribus meditationes verſatur, utiliter atque jucunde in verſus & metra cogi poteſt: quod & dudum *Lucretius* de rerum natura oſtendit; & novo nunc ſpecimine Vir clariſſimus JOHANNES SCHOTANUS manifeſtum fecit. Quemadmodum enim ipſe in excolenda imprimis Philoſophia Carteſiana jam multum operæ poſuit, edita non tantum Exegeſi in primam & ſecundam Meditationem Carteſii; ſed & Analyſi exegetica in ſex Carte-

Cartesii Meditationes integras; ut nunc omittamus ea, in quibus contra eruditissimum Huetium, Cartesii rationem philosophandi censentem, disputat: ita nunc philosophiam primam paraphrasi poetica exornatam publicavit. In sex partes distribuit universum laborem; singulas partes in suas sectiones iterum secernens. Ubique vero eum Cartesii principia sectari apparet. Parte itaque I. de iis agit, quæ in dubium vocari possunt. Ubi facto meditationis introitu, requirit ante omnia,
ut opiniones antiquæ abdicentur atque deponantur; demonstrans pa- Sect. I.
riter omnes illas opiniones veteres, si non falsas, dubias tamen esse, II.
atque pro falsis propterea esse reputandas. Quod ut magis adhuc con- III.
firmet, in veterem de Deo opinionem inquirit; cujus natura cum nondum sit probe satis cognita, nescire nos ait, an non ea in omnibus nos fallat; unde rerum cæterarum existentia hinc certe demonstrari non possit: simulque ostendit, ipsam Dei existentiam posse vocari in
dubium. Unde inculcat, tenaci mente retinendum supponendumque IV.
esse, omnes omnino veteres opiniones de Deo cæterarumque rerum existentia, non solum ut dubias, sed etiam ut falsas esse habendas.

Parte II. de natura mentis humanæ agere & demonstrare in-
stituit, quod ipsa sit notior, quam corpus. Sic autem progreditur. Quo- Sect. I.
niam demonstraverit, omnes veteres opiniones esse dubias, atque pro falsis habendas, mentem pro libertate supponere posse omnia, de quibus dubitari possit, esse falsa; ubi tamen pariter animadvertat, fieri non posse quin ipsa existat. Hinc ergo elici primam veritatem: cogito,
ergo sum. Mentis hac ratione demonstrata existentia, porro inquirit II.
in naturam sive essentiam ejusdem, ubi inveniat ipsa, se esse rem cogi- III.
tantem. Quod quid sit, distinctius explicat, demonstratque, quod di- IV.
cta illa omnia, quæ mentis seu rei cogitantis natura includit, ad se
pertineant. Et quoniam mentis existentia atque essentia solo intellectu V.
perceptæ sint, concludit prolixius, corpora non proprie sensibus &
imaginatione cognosci, sed sola mentis perceptione. Unde iterum VI.
colligit, nihil facilius & evidentius mente, separatim a corpore, percipi posse.

Pars III. tractationi de Deo ejusque existentia impenditur. Post-
quam igitur ad hoc negotium aditum sibi præparaverat, inquirit ulte- Sect. I.
rius ante omnia, quodnam sit veritatis omnis, sive acquisitæ jam hac- II.
tenus, sive adhuc acquirendæ fundamentum, nullumque esse aliud

scisit, quam claram & distinctam perceptionem; ostenditque simul, quare res ante hoc fundamentum certo non fuerint cognitæ. Quod
III. ubi fecit, distributionem idearum in certa genera instituit, & in quibusnam veritas aut falsitas proprie reperiatur, declarat. Quod ut accuratius
IV. procedat, suscipit specialiorem de ideis inquisitionem, quas ut adventitias considerat, monetque, ob quas rationes illæ a nobis censeantur esse similes rebus, cum tamen non sint, & cur judicia secundum il-
V. las ideas facta, quam maxime sint erronea. Sistit deinde aliam viam, nempe a distinctione inter esse formale & materiale idearum deductam; qua inquirit, quæ ideæ in nobis & quomodo probent, res aliquas
VI. extra nos existere. Postque demonstrat, singulas aliarum rerum ideas, excepta Dei, a nobis tanquam causis proficisci posse, unde non certo
VII. evincant, res aliquas existere. Dei vero ideam a nobis solis non posse proficisci, & ex ejusdem præstantia & certitudine necessariam Dei ex-
IIX. istentiam tanquam a priori demonstrari posse. Quæ tamen & ex mentis nostræ, Dei ideam habentis, tum creatione tum conservatione, sed
IX. a posteriori, demonstretur. Atque sic tandem exponitur vera ratio, qua ideam Dei a Deo accepimus.

Sect. I. Parte IV. de vero & falso agit Auctor. Et postquam brevem re-
II. censionem progressuum hactenus factorũ instituit, ostendit errorum falsique causam non esse Deum, quia non sit deceptor: sed longe alias,
III. quas in genere allegat; objectionibus pariter dilutis, quibus evinci posse videatur, nos nunquam falli. Indicat vero & in genere, a quibus
IV. causis fallamur, & a quibus proprie non fallamur. Et sic declarat cau-
V. sas illas, a quibus proprie & quomodo ab iis fallamur. Etsi vero intellectus & voluntas, ut simul concurrunt, istorum errorum sint causæ, nullam tamen nobis esse ait rationem, quare de intellectus & voluntatis eorumque, quos producunt, actuum imperfectione conqueramur; quin potius celebrandum esse Deum, quod facultates istas nobis fue-
VI. rit largitus. Quamvis vero ab omni errore immunes nos facere potuisset Deus, id tamen certas ob causas non fecisse docet, monstratque ra-
VII. tionem qua non errandi habitum possimus comparare. Et ita, postquã utilitates ex hac meditatione profluentes recensuisset, eandẽ concludit.

Sect. I. Parte V. progreditur ad rerum materialium essentiam declarandam, aitque ad certitudinem cognitionis, an res materiales existant, prærequiri idearum, quæ in nobis sunt accuratam considerationem,

& di-

& distinctionem inter distinctas & confusas. Unde porro considerationem & recensionem idearum de rebus materialibus distinctarum, II.
quæ in nobis sunt, instituit. Quo facto, ex idea Dei clara & distincta, III.
quæ in mente nostra est, collata cum ideis aliarum rerum, & præcipue mathematicarum, demonstrat iterum, Deum certo existere. Cumque IV.
diluisset objectiones, declarat quomodo ex idea Dei, quæ est in nobis, non tantum essentia Dei, sed & existentia demonstretur. Cumque ex V.
clara & distincta rerum perceptione naturam earum hactenus explicatam esse confidat, denuo ostendit, omnia & sola, quæ clare & distincte, etsi difficulter percipiuntur, vera & pro veris habenda esse. Unde concludit & demonstrat, qua ratione quantaque cum certitudine omnis rerum cæterarum scientia & veritas a Dei existentia & natura dependeat. VI.

Parte VI. de rerum materialium existentia & reali mentis a corpore distinctione differit. Cum ergo aditum ad investigandam rerum Sect. I.
corporearum existentiam sibi parasset, & quid intellectus & imaginatio de illis probent, ostendisset, differentiam inter imaginationem & puram intellectionem declarat, & ex imaginandi vi probabiliter tantum II.
conjici posse, quod corpus existat, ostendit. Dari autem præter naturam corpoream in genere, alia quædam ait, quæ vi imaginandi, sed non adeo distincte, clarius autem sensu percipiantur; & proinde tum de sensu agit, tum an ex eo corporum existentia demonstrari possit, inquirit. III.
Qua ratione recenset primum illa, quæ antehac sensu percepta, ut vera admissa sint, & quidem ex quibus causis; uti &, ob quas causas eadem rursus in dubium fuerint vocata. Sic vero ostendit, quantum sensibus tribuendum sit, huncque in finem docet, quomodo mens & corpus distinguenda sint; ac ubi facultates imaginandi, sentiendi & similes locum habeant, & quomodo a mente, corpore, & a se invicem differant. Ita demum ex facultate sentiendi cum intellectu conjuncta probat, res corporeas existere, declarans quænam de rebus sensibilibus tuto vel non tuto credi possint; ostenditque spem ad certam cognitionem rerum particularium perveniendi. Multa tamen præterea esse monet, quæ a consuetudine perperam judicandi accepimus, & quæ proinde contingat esse falsa; docet vero etiam, quomodo & de quibus per sensus sit judicandum. Tandem difficultatem dissolvit, quomodo natura nostra, quoad objecta prosequenda & fugienda, & IV. V. VI. VII. IIX. IX. X. XI. XII. XIII.

quoad sensus internos, non obstante divina bonitate, possit esse erronea.

NOVA DE SYMBOLO ATHANASIANO DISQUISITIO.

Parisiis, apud Antonium Dezallier, A. 1693. in 8.
Constat plagulis quinque cum dimidia.

Novam de veteri controversia Disquisitionem dedit, ac de auctore Symboli, quod vulgo audit, Athanasiani disceptavit in hoc opusculo Josephus Antelmius, e cura, quam indagandis Leonis M. & Prosperi Aquitani genuinis operibus impendit, critica jam satis cognitus, nobisque adeo in *Sect. IIX. Tomi I. Supplem. p. 431.* laudatus. Heic autem istud agit præcipue, ut pro Vincentio Lirinensi, quantum quidem in se est, militet, ac eum, posthabitis aliarum opinionum fundamentis, Symboli modo nominati conditorem efficiat. Id quod agere dum suscipit, de ejus celebritate commentari supersedet, quandoquidem hanc Catholici maximam jam tum abunde judicent, & heterodoxi, quos vocat, insuper tam universalem esse fateantur, ut in Ecclesiis Constantinopolitana quoque, Serviana, Bulgarica, Russica, Moscovitica, non secus ac in Latina, etiam sub Athanasii nomine commendatam agnoscant. Quin eo nervos omnes potius intendit, ut ab Athanasio conscriptum fuisse hoc Symbolum, confestim in tractationis primordio inficietur; post ad ætatem, qua celebrari demum cœperit, accedat; inde conjecturas, quæ auctorem non Afrum sed Gallum reputandum suadeant, expendat; tandemque rationes & momenta congerat, quæ ad hoc assertum quadrent amplius, nomenque ac scriptoris fata, una cum occasione scriptionis latius declarent. His enim quatuor sectionibus universum hoc negotium absolvitur.

Itaque in prima sectione, ex argumentis Athanasio Symbolum istud abjudicantibus, styli ante reliqua conditio urgetur, modusq; scribendi, quantus utique totus est, primigeniam quandam Latini sermonis contexturam præferre ostenditur, in sua periodorum commensuratione ac rotunditate, quas nuspiam ita potuisset assequi sermo e Græco in Latinum conversus; ut e productis collatisque interpretum Athanasii locis aliquot, haud parum luculentius Auctor demonstrat. Postea non leve contra sententiam vulgarem præjudicium exin depromi posse existimat, quod inter tractatus Athanasianos id desideretur, pro sua tamen præcellentia non infimo inter eosdem loco alias ponendum.

Atha-

Athanasium porro Symbolo Nicæno constanter adhæsisse, istudque solum sufficere perhibuisse docet; quam mentem cur mutaret, nullum ei idoneum fundamentum suppetere potuerit. Imo si vel maxime ab ista abiisset, non temperaturum tamen sibi fuisse Athanasium, quin vocem ὁμοούσιος a Nicæno Concilio primum consecratam, rursus in hoc Symbolo ingeminasset. Nec Græcos Ecclesiæ Patres mentionem illius omissuros fuisse superaddit, cum Gregorius Nazianzenus unam Athanasii eamque perbrevem ad Jovianum Augustum epistolam, in qua carptim de Spiritus Sancti divinitate æqualitateque cum Patre & Filio locutus sit, tantopere extollat. Cyrillum autem Alexandrinum vix aliunde ampliorem in suis adversus Nestorium anathematismis autoritatem, quam ex isto Symbolo depromere potuisse censet, ac proin, cum ejus ne verbo quidem meminerit, penitus ipsi id ignoratum fuisse concludit. Licet vero quis causari heic in animum induceret, haud mirum esse Græcorum de eo silentium, quippe quod penes Latinos publicatum atque asservatum ad Orientalium notitiam paulo serius pervenerit; respondet tamen Auctor, nec Romæ omnino, ubi recitatum primo Symbolum Baronius contendat, ejusdem memoriam adeo antiquam haberi. Cœlestinum certe ac Leonem, religiosissimos Pontifices, quibus sedentibus Nestorii & Eutychetis dogmata hæretica Ecclesiam turbarint, in illis commonitoriis aut sanctorum Patrum testimoniis, quorum congerie perduelles istos oppugnasse legantur, ejusdem auctoritati minime innixos reperiri. Cassianum tandem (qui utrique parti adhæserit, & æque Græcus ac Latinus censeri possit,) rogatum a Leone, S. R. E. Diacono, ut pro Ecclesiæ totius causa negotium adversus Nestorium suscipere dignaretur, nihil inter Athanasii sententias ex Symbolo hoc delibasse. Quod autem Petrus Felcmanus Coronæus, in codice quodam bibliothecæ Palatinæ MSto, nomine Athanasii insignitum istud haberi scribat, nullius esse ait ponderis, cum de idonea codicis vetustate res nondum confecta sit; quemadmodum nec illud quempiam morari debere dicit, quod editiones operum Augustini, Parisienses ac Venetæ, ad paraphrasin Psalmi CXX. verba quædam exin depromta adscribant Athanasio. Lovanienses enim dudum observasse, quam inepte assutus hic cento fuerit, ac insuper testatos Sangermanenses Benedicti monachos, abesse eum ab omni-

bus, quos unquam viderint, codicibus manuſcriptis, adeo, ut nihil reſtet dubii, quin a recentiore manu ſit additus.

Atque ita ipſi plane exulat opinio, quæ Symbolum hoc dici ab auctore Athanaſianum refert. Interim de eo nunc ſolicitum ſe gerit, quanam id ætate ſub iſto nomine celebrari cœperit? Ubi Voſſium allegat, qui primo ad ſeculi decimi tertii medium, ſed poſtea, quamvis aliquanto meticuloſius, ad annum milleſimum antiquitatem ejus retraxerit. Hanc tamen illi verecundiam excuſſam notat ab Uſſerio, qui ad Caroli Calvi tempora, & annum adeo 860 provocarit; imo Jacobum Sirmondum ad A. 670. reſpicere obſervat. Ipſe vero altius aſcendens, veram ejus originem ad ſeculi quinti medium refigit, fidem appellans MSti alicujus vetuſtisſimi in Bibliotheca Colbertina aſſervati, notisque ſuis ad eam temporis epocham haud recte remittentis. Quo in loco ſibi ſatisfaciendum ratus eſt noviſſimo operum S. Leonis illuſtratori, qui ejus notitiam & originem limitibus intra annum 480 aut 500 extantibus circumſcribat, imo illius autorem poſt exortam damnatamque non ſolum Neſtorii, ſed etiam Eutychetis hæreſin, floruiſſe ſtatuat, ideo, quod S. Leo, ſcribens ad Orientales, & propriam Orientalium Eccleſiarum traditionem appellans, nusquam Athanaſii Symbolum commemoraverit. At enim vero ſicuti ex hoc tantum probari poſſe concedit, quod fœtus ille Leoni viſus non fuerit: ita eum paulo antea non prodiiſſe, nulla ratione hinc deduci aſſerit; hoc enim pacto futurum, ut & plura alia teſtimonia a S. Leone prætermiſſa antiquitatis ſuæ fidem invita prorſus veritate amitterent.

Sed propius accedit Noſter ad perſonam Auctoris, quam tamen in theatrum non producit ante, quam de natione, e qua oriunda illa fuerit, adhuc diſpexerit. E Galliis nempe opus hoc prima vice prodiiſſe P. Pithœo, G. J. Voſſio, virisque eruditis aliis perſuaſum haberi monet, ob rationes certe nec paucas nec contemnendas, v. g. quod præ aliis regionibus in Gallia manifeſtari cœperit hoc Symbolum, & in illius metropoli, Treviris, repertæ ſint illius cunæ; præterea a Gallis ſcriptoribus primo celebretur; a Synodis Epiſcopisque Gallicanis primo receptum ac commendatum reperiatur, &c. Utut autem ſententia contraria, quæ hanc gloriam Vigilio Tapſenſi, Afro, vindicet, aſſeclas non ita multos repererit; nihilo tamen ſecius ante annos aliquot hominem Gallum non ineruditum eorum in caſtra tranſiiſſe, & tantam

ſuis

ſuis gloriam præripere tentaſſe dolet, eumque his imprimis conjecturis fultum introducit: quod Afer iſte ſub Athanaſii nomine libros edere affectarit, qualis ſit Dialogus adverſus Arianos, Sabellianos, & Photinianos; quod Eutychianam hæreſin criſtas attollentem ſuis ſcriptis exagitare non deſierit Vigilius, cum, ut Athanaſius, extorris factus CPli degeret, Eutychetis vero error a Symboli auctore penitus explodatur; quod tandem inſignes aliquæ locutiones ac formulæ Vigilio familiares in Symbolo occurrant. De poſtremo ergo Noſter ſermonis filum inchoat, cum conjecturæ priores non niſi ex hoc aſſerto ſuum mutuari robur valeant. Formulas autem iſtas e tractatu, qui contra Varimadum, Arianum, inſcribatur, depromi docet, at infauſto prorſus omine, cum hunc a Vigilio neutiquam profectum conſtet, formulæ etiam non eam referant ſimilitudinem, ut major quoque inventu facilis non ſit penes Auguſtinum, quem nullus tamen Symboli auctorem ſuſpicetur. Et his exſufflatis in auram abire, quicquid vel ex Vigilii ſtudio adverſus hæreſes, vel ex ejuſdem ſub Athanaſii aliorumve Patrum nomine emiſſis diſputationibus heic aggregetur. Illi enim affectus, qui aliis non minus quam Africano iſti communes eſſe potuerint; potioris indicii ſubſidio deſtitutos rei fundamentum non præbere poſſe arguit. Quid? quod Vigilius aliorum nomina ſuis tractatibus conſtanter præfixerit, Symbolum autem apud eum ab initio nomenclaturam vel titulum Athanaſii non exhibuerit. Ut taceamus, quod ſtylum ab Athanaſiano multum diſcrepare denuo inculcet, atque ideo, quam parum is a Vigilio expreſſus dici queat, indigitet.

Nunc ergo, poſtquam hactenus ſingula hæc delibavit, ipſum rei cardinem verſare aggreditur, Vincentiumque Lirinenſem loco Athanaſii, Vigiliique Tapſenſis, aut alius cujuscunque nominat, cunctaque in eundem quadrare oſtendit, quæ Symboli illius auctorem poſſint conſtituere. Non ulla enim ratione obſtare tempus, quod definiverit, cum Vincentius hic & ante annum 430 Salonium, Eucherii filium, in ſua diſciplina habuiſſe, &, Gennadio fidem faciente, Theodoſio & Valentiniano adhuc regnantibus obiiſſe legatur, facileque adeo ad A. 449. pervenire potuerit. Eum autem hæreſibus, & iis quidem ſpeciatim in Symbolo perſtrictis bellum indixiſſe, ex Commonitorio ipſius perquam egregie cognoſci. Quin & eum affectaſſe alienis ſub nominibus in palæſtra hac mereri; unde & Commonitorium ſuum

ſub

ſub nomine Peregrini ſtiterit; quanquam Noſter heic non agitaſſe eum talia conſilia exiſtimet. Treverenſe porro ſolum ſeu Belgicam primam, in qua repertum iſtud Symbolum, patriam fuiſſe Vincentii, e teſtimonio S. Lupi, Treverenſis Epiſcopi, Vincentiique germani, probat, & occaſione patriæ ejus exploratæ, cauſas quoque neceſſitudinis, quæ ipſi intercesſerit cum Salviano, declarat, ac ex amicitia, quam cum Severo, metropolite Treverenſi coluerit, elici hoc poſſe docet, cur ad Treverenſes cumprimis ſuam confeſſionem transmiſerit. Ulterius in Commonitorio Vincentium Symboli locutiones inſignioresque formulas occupaſſe, nec verbis ſolummodo, vel characteriſticis, ut ait, vocibus, ſed tranſitionibus, ſed comparationibus, ſed eodem tenore contexturaque ratiocinii cum Symboli methodo & artificio progreſſum, per inſtitutam utrinque comparationem declarat. Unde etiam eveniſſe notat, ut Lirinenſis ille hanc abs ſe tunc expoſitam in Commonitorio fidei confeſſionem paſſim celebret, ſimiliterque illius aliquando elegantius explicandæ indicia ſubinde admodum manifeſta prodiderit, ac doctrinas ejusmodi alias, ſi Deo placuerit, uberius tractandas atque explicandas diſerte promiſerit. Cum vero Gennadii de hoc Symbolo obſtare videatur ſilentium, totus porro in eo Noſter eſt, ut ſcrupulum hunc ex animis legentium evellat. Gennadium videlicet in ſuo, quem edidit, catalogo anonymos ſcriptores ſeu opera auctoris nomine deſtituta, qualiter primo Symbolum prodierit, neutiquam recenſuiſſe, nec, quod accedat, omnes ſui ævi ſcriptores Gallicanos laudaſſe, imo & eorum, quos enumeret, præcellentiſſimas nonnunquam lucubrationes omiſiſſe regerit, exemplisque aliquot illuſtribus id comprobat. Præterimus, quæ de Lirinenſibus ad varias in Symbolum expoſitiones edendas omnino converſis, deque Gallicanorum ſcriptorum, qua veterum, qua recentiorum, proclivi in ſimilia ſtudio ad præſentis cauſæ ſubſidium annectit. Poſtremo Vincentium cum Athanaſio contendit, convenientiamque inter has perſonas e capitibus non unis eluceſcentem explanat.

DE ÆTATE S. MARTINI, TUR. EP. ET QUORUNDAM EJUS geſtorum ordine, anno emortuali, nec non de S. Briccio, ſucceſſore Epiſtola.

Pari-

Parisiis, apud Antonium Dezallier, A. 1693. in 8.
Constat plag. 4½.

DIrecta est hæc Epistola ad R. P. Antonium Pagium, autoremque agnoscit eundem, quem modo introduximus, clarissimum Antelmium, qui in ea bene mereri voluit de S. Martino, Turonensium Episcopo; cujus vitam equidem a tot ac tantis scriptoribus delineatam, & cujus ætatem tot expertam fuisse calculatores innuit, sed qui utrobique non a vera minus historia, quam a certa chronologia, graviter subinde aberraverint. Sicuti autem e variis Gregorii Turonensis assertionibus, obitum Martini ad annum 400 ineluctabiliter collocasse Pagium affirmat Auctor, ita ipse Sulpicium Severum illi conciliare ad nutum Pagii heic allaborat, eamq; ob rem de Martini ætate primum & de quorundam ejus gestorum ordine pluribus disserit. Hinc difficultates circa annum illius emortualem ex parte Sulpicii movendas perstringit, Postremum de Briccio, Martini successore, novæ quæstionis argumenta suscitat.

Ac pro ætate Martini quidem juxta Sulpicii calculos exploranda, monendum censet ante omnia, aut errorem aut primam errandi occasionem in his ab Historico positam, ubi narret, Martinum ab Augusta convivio exceptum, cum jam esset septuagenarius. Fuisse autem eam uxorem Maximi, qui ab A. 383. usque ad 388. Imperii partem occuparit. Cæterum quocunq; demum regni anno Augusta epulum Martino paraverit, non posse illum dici tunc fuisse septuagenarium, si A. 356, quo militiam abdicarit, ex mente Sulpicii vicennis tantum fuerit; sed quinquagesimum forte annum ex hac ratione ab eo actum colligit. Chifletio igitur, qui in sua de S. Martini temporum ratione Dissertatiuncula erroris fontem aperire studuerit, minus tamen feliciter difficultatem tollens, imo & in alias relapsus, parum adhæret. Giselini potius sententiam amplectitur, & vocabulum *septuagenarii* textui Sulpiciano intrusum reputat, seque in hac opinione roborari censet per notas in duobus MStis Colbertinianis repertas, per omissam itidem hanc vocem a Paulino Petricordio & Fortunato, quorum tamen uterque historiam a Sulpicio conceptam diligenter versibus expresserit.

Utut vero ex his tricis feliciter se illo pacto emersisse Auctor sibi persuadeat, nondum tamen iis assentiri vult, qui Martinum ætatis an-

no 64 aut 66 mortuum existiment. Non modo enim Gregorium Sulpiciumque refragari, quorum ille multoties expresse notet, annum eum octogesimum primum attigisse, hic autem senio penitus confectum ob oculos nobis proponat; sed Paulinum quoque Nolanum alia omnia docere, dum se Vienna transientem, quod ante A. 386. acciderit, Martinum ita cognovisse referat, ut Victricium Episcopum, non juvenem certe amplius, ætate superarit. Non parum interea pugnare cum hac Martini longævitate videtur Sulpicii de ejus militia narratio, quæ ipsum A. 356, quo vigesimum suum expleverit, sub Juliano missionem impetrasse perhibet. Anno namque 400 si obierit, non octogenarius profecto ad hunc calculum constituendus est. Verum & heic Juliani nomen in Sulpicio suppositum agnoscit, Martinumque non sub hoc Imperatore, sed anteriori tempore sub Constantio militasse docet, ordines variarum rerum a Martino gestarum accurate ideo excutiens. Quamobrem post latius examinata Sulpicii argumenta, quorum vi annus 401. emortualis Martini statuendus videatur, nihil demum obesse Pagiano calculo, &, ut obitus illius in annum 400 collocetur, haud invita negotiorum ab eo peractorum serie concedi demonstrat.

Quod superest, sub calcem hujus epistolæ quæstionem movet Auctor: utrum successor Martini Briccius pro eo habendus sit, qui apud Sulpicium Gregoriumque tot criminum reus agatur? Ac negativam quidem dum amplectitur, nec volam reperiri nec vestigium pro asserentium sententia in Historia Sulpiciana edocet, primamque citra dubium occasionem his subnatam e codicibus Gregorianis, sed nec istis ad plenam fidem faciendam sat idoneis. Ut enim taceat, illum, quem Sulpicius appellat Brictionem, Briccium heic nuncupari, unde jam personarum appareat confusio; istud insuper imprimis urget, quod hæc historia in codicibus MStis melioris notæ, qualis sit insignis Corbejensis, apud Gregorium minime legatur, atque adeo ab otiosis interpolatoribus translata in illius textum videatur. Quæ conjectura inde quoque lucem aliquam accipiat, quod in libri decimi capite trigesimo primo, Gregorius gesta Briccii recensens nullam de ipsius adversus Martinum criminationibus insidiisque notitiam consignet, quanquam alia de ejus ob patratum adulterium accusatione & multis ab eo toleratis fuse disserat; quod item Fortunatus, Gregorio æqualis & amicus, Brictio-

Brictionis quidem historiam, qualem a Sulpicio habeamus, reddat, nihil vero de ejus episcopatu vel de aliis, quæ in Gregoriana narratione circumferuntur, meminerit. Quid? quod Zosimi de Briccii innocentia epistolæ, aut ipsæ Conciliorum judiciales sententiæ, quibus ejus accusatores damnati fuerunt, Gregorium latere haud potuerint, & hinc nequaquam creditu sit facile, illum anteriorum criminum sic recordari voluisse, quin simul ea in medium protraheret, quæ jamjam Briccium a culpa immunem declaraverant. Quæ cum ita sint, illud omnino patere concludit, Briccium quidem Martino successisse, at Briccium insontem, &, quod caput est, ab illo Brictione prorsus diversum, quem Sulpicius multis magnisque delictis pressum & Judam alterum notare, talemque posteritati committere, pro quadam operæ suæ coronide, sanctum duxerit.

Atque ita scriptorum Antelmianorum recensus hac vice abrumpendus est. Equidem, qui Approbationem primæ harum Dissertationum subjunctam intuentur, ejusdem quoque *Assertionem seu Vindicias pro unico Eucherio, Lugdunensi Episcopo*, jam prodiisse forsan colligent. Ast enim vero monuit sub finem opusculi alterius Auctor, quod eam aliquantum differre necessum habeat. Subjiciendam namque illi Eucherii de laude eremi epistolam cum idoneis conferre MStis instituit, quæ quoniam ad manum ipsi, cum hæc scriberet, nondum fuere, remoram hanc injecerunt. Nos itaque non istam modo lucubrationem, sed & illam, quam de *Apostolorum Symbolo* alibi promisit, disquisitionem ab eodem proxime expectamus.

THOMÆ CRENII ANIMADVERSIONES Philologicæ & Historicæ.

Roterodami, sumtibus Isaaci van Ruynen, A. 1695. in 8.
Constant novem plagulis.

PRima, quæ solertissimi hujus Auctoris mentionem a nobis postulavit, occasio anno 1691. sese obtulit, ubi p. 335. Fasciculum Dissertationum Historico-Critico-Philologicarum ab ipso collectum plenissimisque indicibus auctum recensuimus; ac eadem deinceps iteranda fuit A. 1692. cum Methodos studiorum ab ipso similiter congestas p. 343. enumeraremus. Quemadmodum vero illic aliorum magis lucubrationes vindicavit ab interitu: ita in hoc, quod jam sub manibus

verſatur, opuſculo, depromtis e ſua ſupellectile obſervationibus quibusdam curioſioribus rarioribusque eruditis inſervire voluit; quas tamen nihilominus ita informavit, ut iterum aliena quædam, ſcripta nempe a diverſis & nondum hactenus impreſſa epiſtolia, cum iis communicet.

Ac ad claſſem quidem priorem quæ referri debent, præter ſelectisſimarum aliquot materiarum excuſſionem, novas potiſſimum librorum editiones, præfationes, indices, nonnullasque ſummorum quorundam virorum labeculas notatas, promiſcue & citra ullum ordinem producunt: in quibus referendis ſi diu commorari eſſet animus, ipſum forſan opuſculum exſcribendum veniret, cum adhibita in eo ubivis brevitas vix intra limites arctiores ſe conſtringi patiatur. Ne tamen hac in parte noſtro penitus deſimus officio, pauca hæc velut in guſtum propinamus.

Capite primo integro de omiſſis perſæpe, ubi librorum editiones repetitæ fuerunt, ſeu typographorum ac bibliopolarum culpa, ſeu ob quascunque rationes alias, veteribus præfationibus conqueritur, ac de exemplis quibusdam ſpecialioribus Lectorem admonet.

Pag. 3. Laurentium Villavincentium, Auguſtinianum, ſuppilaſſe per impudens omnino plagium, mutatisque duntaxat ac omiſſis illis, quæ Pontificios tangebant, ſub ſuo nomine in lucem emiſiſſe obſervat Andreæ Gerhardi, a patria Hyperii, de Ratione ſtudii theologici opus utiliſſimum.

Pag. 33. ſeqq. de Hadriani Junii Nomenclatore agit, quotque is defectibus laboret, innuit.

Pag. 84. manumiſſionem, quatenus ea diverſimode, nimirum vel per denarium, vel per chartam ſeu tabulam, vel per epiſtolam privatam olim fieri conſueverit, paulo latius delineat.

Pag. 88. legis Salicæ appellationem eruendam eſſe probat a Sala, flumine Germaniæ, cujus accolæ, vocitati olim Salii ſive Salici, lege inter ſe ſtatuerint, ne ſexus ſequior imperio potiretur.

Pag. 6. Lampadi Gruterianæ A.1602. in 8. editæ ſe aliquando affuſurum oleum promittit, ſi Deus, valetudo, & typographi haud defuerint.

Quod attinet ad eruditorum virorum epiſtolas ex MStis plerumque primum editas, non ingrata erit legentibus directa illa a J. H. Heidegge-

deggero ad Amplissimos Academiæ Lugduno-Batavæ Curatores, de obitu viri celeberrimi Jo. Henrici Hottingeri, in undis Limagi prope Tigurum A. 1667. improviso fato submersi, quæ pag. 15. & seq. integra reperitur.

Pag. 22. sq. occurrit Claudii Salmasii ad Claudium Sarravium epistola, quæ Grotium Vossiumque inter se contendit, posterioremque priori multas ob causas anteponit.

Pag. 129. & in ipso harum pagellarum fine Medici cujusdam literæ de celeberrimi Philosophi, Renati Cartesii, morbo ultimo ac morte eum insecuta apponuntur, in quibus iste se præsto huic decumbenti fuisse, & inter alia maximum ejus a venæsectione metum non sine admiratione atque indignatione animadvertisse nunciat, qui eo usque excreverit, ut ad solam illius mentionem exhorrescens bis in hæc verba eruperit: *Domini, parcite quæso sanguini Gallico.* Diebus tamen quibusdam interjectis, viribusque multo adhuc magis attritis, ter ipsummet eadem die sanguinem sibi detrahi cum infaustissimo successu jussisse superaddit.

Utilem quoque operam navavit Crenius, dum p. 26. epistolam Andreæ Riveti pro Jo. Henr. Bisterfeldio commendatitiam, & p. 29. Hugonis Grotii literas ad Simonem Episcopium, de Tileno cum Camerone certante, in magno Grotianarum epistolarum volumine A. 1687. edito omissas inseruit; dum item p. 91. s. Josephi Scaligeri ad Everhardum Elmenhorstium epistolam, quæ de istius cum Wowerio singulari amicitia testatur, conservavit. Ut aliam Hadriani Junii ad filium p. 30. aliamque Theodori Bezæ ad Martinum Lydium p. 57. exhibitam nunc taceamus.

TOBIÆ PFANNERI OBSERVATIONUM ECCLESIASTICARUM pars altera.

Vinariæ, sumtibus Jo. Bielckii, A. 1695. in 12.
Constat Alphab. 1. plag. 1½.

PArtem primam Observationum Ecclesiasticarum, quibus Auctor nobilissimus eruditum orbem beare dignatus est, superiori anno p. 167. recensuimus, jamque ipsi alteram adjungere dum licet, nostro munere eodem, quem ibi placuit servare, modo defungemur.

Videlicet novus in hac parte Observationum sese nobis offert se-

ptenarius, cui auſpicium dat *prima* illa, quæ *veterum Chriſtianorum in curandis funeribus officia* declarat. Ubi quidem Auctor celeberrimus non iſtud cepit conſilii, ut omnes veterum ritus, quibus in defunctos aut benevolentiam aut venerationem teſtari ſueverint, exponeret; ſed ex iis tantummodo inſigniores recenſet, quos a Gentilibus tantopere alioquin faſtiditis mutuati Chriſtiani ſuæ pietatis ad uſum atque incitamentum traxerint, aut ſuis moribus ac ritibus adjicere ſaltem non indecens reputarint. Privati autem in defunctos affectus tametſi argumenta habeantur non pauca, his tamen omiſſis (niſi quod de compreſſione oculorum nonnihil moneat,) publica potius contemplari ſuſtinuit, quæ inter primum locum tenet proceſſio exequialis, pro qualitate defunctorum ſat populoſa interdum ac ſplendida; utpote cum, quod obiter annectit, in exequiis virorum illuſtrium ſimulacra luctus etiam ornatu ad mœſtitiam compoſito equi in funere deducti auxerint; partesque efferendi funeris nonunquam datæ legantur hominibus in dignitate poſitis, ubi nimirum defuncti aut illuſtris nobilitas ſupra cæteros eminens, aut excelſa quædam virtus atque eximia in rempublicam officia eam honoris prærogativam poſtulare viderentur. Cultum præterea inſigniorem reddidiſſe notat accenſas uſurpatasque, non in deductione ſolum, ſed & in ſepulcris faces atque lampades, &, ne triſti nimis ſilentio abeuntes proſequerentur, tubis tibiisve inſonantibus elatum funus: uti Gentiles etiam hunc morem obſervaverint, ſive ad augendam pompam, ſive ad ciendum populum, ſive quo ad tantum ſtrepitum tumultumque intentis minor doloris ſenſus eſſet lugentibus; quem poſtea, cum ſuæ modeſtiæ ac gravitati congruere non amplius ſibi perſuaderent, Chriſtiani in cantandorum hymnorum conſuetudinem mutarint, e quorum numero præ cæteris carmen Davidicum ex Pſ. CXVI, 7. 8. depromtum & frequentisſime tunc repetitum memorat. Ulterius parentandi morem apud Græcos Romanosque uſitatum ad Chriſtianos ſimiliter tranſiiſſe monet, qui tamen ratione habita ſolarum, queis pietatem ſuam religionemque mortui, dum hanc vitam agerent, teſtatam fecerint, virtutum, nobilitatem, opes atque cætera, quibus ſeculum gaudet, aut omiſerint, aut ita more oratorum delibarint, ut indicaſſe ea, non laudaſſe viderentur. Quinimo ne patriæ quidem generisque ac educationis factam fuiſſe mentionem, ſuperaddit. Quemadmodum vero a natalium, quibus in lucem quisque primum

mum prodierit, feriatione Christianos aut penitus abstinuisse, aut infrequentius certe dies istos celebrasse probat, (qua etiam occasione nonnullas ex veteribus allegat rationes, cur soli post Christum Johanni Baptistæ eum honorem habuerit antiquioris ævi Ecclesia, ut diem quoque, qui primum genito illuxerit, anniversaria celebritate perageret,) ita vicissim emortualem diem, Martyrum præsertim, sub natalis nomine ab iis diligenter cultum asserit; rationem simul, cur e V. T. fratres tantum Machabæi honorem istum apud recentiorem Ecclesiam impetrarint, hanc insinuans, quod genere quodam supplicii exquisitioris fidem reverentiamque in DEUM testatam fecerint, numero etiam atque germanitate notabiles, ipsaque temporis veluti vicinia propinquiores. E novi autem Testamenti Martyribus hac natalium celebritate mactatis, eorum tantummodo primitias, infantes puta ab Herode occisos nominat, reliquis, quorum copia pæne infinita, silentio involutis. Cæterum de concionibus funebribus pauca refert Auctor, at compluscula de epulis veterum lugubribus commentatur.

Transimus ad *secundam* observationem, quæ *Christianorum vigilias* considerat, easque vel extraordinarias vel statas sive ordinarias fuisse illustris Auctor innuit, ad postremam classem reducens Sabbaticas, & his contiguas Dominicales, eas item quæ natalem diem Domini, ascensionisq; festum præcesserint, nec minus Pentecostales atq; Quadragesimales, ac tandem, quæ potissimæ celebratissimæque, Paschales. Utut vero vigilias istas & nocturnis præsertim junctas conventibus, suspicione, periculoque ac vitio non omnino caruisse haud dissimulet, fructusque pessimos, qui ex ejusmodi congregationibus, non apud Gentiles modo suæ religioni intentos, sed Christianos quoque ipsos sacra sua peragentes propullularint, minime reticeat, utpote ob quos vigiliarum postremo insecuta fuerit omissio: primos tamen nocturnorum conventuum auctores non adeo culpandos reputat. Tanto autem breviorem se in observatione isthac gerit, quanto prolixius studium in vigiliarum contemplationem alii jam tum impenderint.

In *tertia* delibat Christianorum oscula, præmissoque de osculorum generatim spectatorum varietate discursu, longius ab instituto hoc abire censet osculum venerationi Deorum Principumve impensum; amicitiæ autem & charitatis osculum, quod alias etiam varie obtinuisse docet, huc duntaxat trahendum esse subjicit. Nimirum id

in

in signum amoris inque pacis & concordiæ tesseram multoties sibi invicem Christianos impegisse, & ab illius communione nec fœminas pudorem sexus libidinisve seu periculum seu suspicionem submovisse notat; tametsi an ad fœminas usque ea se familiaritas porrexerit, ut os ori admoverent, nec affirmare velit, nec inficiari; securius saltim ad pudicitiæ integritatem fuisse arbitratur, levi se genarum libatione expedire. Imo successu temporis oscula virorum atque fœminarum mutua in desuetudinem abiisse probat; sicuti & discretam utriusque sexus in templis stationem introductam ostendit. Potissimum osculorum usum facit publicum, dumque solicitus est de occasionibus ea exigentibus, primo omnium observat, obtinuisse eadem peractis precibus, deinceps in accessu ad S. cœnam, pariterque post eam peractam. Utrum vero omnium hoc virorum in viros, mulierum in mulieres, an eorum tantum, qui proxime sibi adstiterint, officium fuerit, non satis sibi exploratum haberi profitetur. Inspergit heic ritus osculandi omissionem diebus proximis ante Pascha injunctam, quæ fundamenti loco apud plurimos auctores agnoscat osculi a Juda proditore Christo Domino impacti memoriam. Equidem Albaspinæum producere aliam in imiorem, atque ex ipsa negotii indole naturaque petitam causam, publicum videlicet jejunium, & quod priscis istis temporibus nullus tum cœnæ Dominicæ usus esset. Verum huic se opponit Noster, ac solemnissimo etiam illo jejunio sacris epulis se reficere solitos vetustioris ævi Christianos, vel e Missa ex Præsanctificatis, Parasceves die frequentari solita, haud obscure colligi posse obtendit, eaque non minus, quæ ad hæc reponat Albaspinæus, discutit. Osculum baptismale infantibus quoque datum a quibusdam adstrui, e contra ab aliis, ac speciatim a Dallæo impugnari narrat, argumentisque ad minimum non valde robustis fulciri istud posse autumat. Hinc osculorum codicis Evangelici & vinculorum Martyrum mentionem adjungit. Oscula pedibus Romani Pontificis lata consuetudinem non parum antiquam sapere existimat, inque januis templorum iisdem pariter affectis filum abrumpit.

Quarta observatio ad *patrinos* sive *susceptores baptismales* excurrit, quos e Tertulliano sponsores, & ab Amalario, barbari quidem seculi scriptore, patronos Latinius appellari affirmat. Tertulliani enim ævo morem illum jam obtinuisse adversus Dallæum statuit, Augustinum

ſtinum vero quæſitum a Bonifacio de illius ratione, epiſtola 23. non ſatis accurate & pro dignitate rei ſe extricaſſe, cum Dallæo modo allegato ſtatuit; alibi tamen rationes eum protuliſſe magis idoneas, per loca aliquot ex ejus ſcriptis in medium producta declarat, ipſeque patrinorum originem fortaſſis inde natam ſuſpicatur, quod, uti homo gentilis ad meliorem doctrinam ſortemque aſpirans, ex Chriſtianis ſibi adſciſcere olim debuerit propinquum, amicum, aut alium quocunque neceſſitudinis jure connexum, cujus indicio, conſilio, commendatione in appellanda ſalutandaque Eccleſia uteretur, qui & in numerum candidatorum recepto atque baptiſmi inſignia capeſſenti porro adeſſet; ſic idem quoque uſurpari par, imo neceſſum fuerit apud infantes alieno miniſterio multum, quam ipſi, indigentiores, eo quidem uſque, ut vicaria aliorum opera ederent inſuper nomen, votaque & fidem (hanc enim infantibus etiam ineſſe, Chriſto affirmante, penitus indubium) declararent. Mox factam in Concilii Niceni Can. 22. & 74. ratione ſexus circa ſuſceptores conſtitutionem refert; de numero autem nihil ſe legiſſe definitum ait, niſi quod Odo, Epiſcopus Pariſienſis, ſtatutis ſynodalibus ſanxerit, ut ad elevandum parvum de fonte tres ad plus recipiantur. De officio eorum e Tertulliano, Auguſtino, Walafrido Strabone, monita quædam excerpit, deque orta exin ſpirituali cognatione, quam aliqui ceu matrimonii contrahendi impedimentum ſuperſtitioſe nimis urſerint, ſub calcem diſſerit.

Quinta ſtationes Chriſtianorum examinat, cujus vocabuli e militia petiti vim poſteaquam ſummatim excuſſit Auctor, uſurpationem, quam in accommodatione ad actus Chriſtianorum id obtinuerit, enumerat. Interdum nempe eo conventum deſignari, quo ſacri tantum ordinis proceres, remota plebe, Eccleſiæ negotia tractarint, & quid ad populum de iis referendum, conſultarint. Aſt uſitatiorem eſſe innuit ſignificatum illum, qui officium, quo Numen ſibi propitiare Chriſtiani ſategerint, ad animum nobis revocet. Quod dum oſtendere laborat, de earum natura Albaſpinæi ſententiam recenſet, qui Chriſtianos ſeculis prioribus quarta atque ſexta hebdomadarum feriis ſummo mane in eccleſiis conveniſſe, orationibus, pſalmis, hymnis, atque jejunio ad horam uſque nonam, (quæ nobis pomeridiana tertia,) vacaſſe, iſtaque ipſa hora celebrata Euchariſtia atque ſtatione ſoluta, domum reverſos perhibeat. Aſt circa hæc adſtipulatur ipſi partim, par-

tim vero in contrarium non pauca observat Noster. Quod enim de auspiciis ille matutinis afferat, non satis certum probatumque monet, tertiaque demum hora (quæ nostræ matutinæ nonæ respondeat,) stationum officia auspicaturos in cœtum coiisse conjicit. Minorem vicissim difficultatem fovere ait conjecturam de tempore stationis finitæ. Insuper non uno tenore perstitisse in statione Christianos, sed primum hora tertia, atque exacto ejus officio iterum hora sexta, postremum denique ita convenisse, ut tandem nona finem toti stationi imponeret. Neque tamen omnium feriarum, quartæ nempe & sextæ, istam aut religionem fuisse aut modestiam; diebus namque Pentecostes & Epiphaniarum Christianos a jejunio, quo occupabantur stationes, vacasse; sicuti e contra adstrictiorem severioremque per illos dies esuriendi necessitatem sacra hebdomas efflagitaverit. Non autem jejunio tantum, sed & fundendis precibus, laudibus divinis decantandis, similibusque eliciendæ divinæ misericordiæ actibus operam navasse, qui stationes frequentarint, indubium pronunciat. Sed preces stando peractas dici a Beato Rhenano, quem secutus Hildebrandus preces ipsas stationes appellatas inferat. Quo nomine is parum circumspectus Nostro audit. Licet enim populo sedendi in ecclesiis facultatem denegatam alias fuisse multis argumentis evincat, inde tamen nondum posse colligi subjungit, quod erectus corporis status & in hoc officio præscriptus fuerit. Genuflexionem igitur obtinuisse tunc contendit: cum enim solenne fuerit, ut publicis precibus DEUM adeuntes in genua prosternerentur (exceptis diebus, quorum celebritatem dedecere visus sit humilioris iste pietatis habitus, e quibus diem Dominicam, dies item inter Pascha & Pentecosten intercedentes imprimis vindicat) eundem profecto gestum in stationes supplicationibus dicatas observandum fuisse exin concludit; tandemque stationes Eucharistiæ celebratione finitas dicit, scrupulum, qui ex Tertulliani quodam loco possit objici, felicius, quam quidem Albaspinæus id præstiterit, eximere pertentans.

Sequitur nunc quædam de *jejuniis Christianorum* observatio, eaque *sextam* in hoc ordine constituit, ac antecedentem non immerito excipit, cum jejunia stationum portio non contemnenda fuerint. Equidem de eo nihil dicere instituit Pfannerus, quibusnam illa auctoribus cœpta, aucta, depravata, correcta, asserta, atque iterum vitiis

cumu-

cumulata, diversam in Ecclesia fortunam, faciem, usumque habuerint? sed in ritibus solum ac cerimoniis eorum acquiescens, privata alia appellat, alia vicissim publica pronunciat. Ex his nonnulla facit indictiva, nonnulla stata atque solennia. Ista extra ordinem, poscente aut suadente Ecclesiæ publicæve rei necessitate, aut alia quapiam gravi ex causa, intimata; hæc autem certis ipsoque usu quasi condictis temporibus sola diei interpellatione obeunda fuisse innuit. Postrema iterum facit vel annua, utpote Quadragesimalia, (quæ dies cinerum a Nostro aliquantum descriptus inchoaverit,) quorum rationes pariter ac conditiones prolixius enumerat; Paschale seu hebdomadæ magnæ, quod captivorum relaxatio ad gentilium exemplum suscepta solenne magis reddiderit; Pentecostale, quod exactis demum Pentecostes solennibus quarta sextaque feria agendum fuerit; jejunium septimi, ac aliud decimi mensis; jejunia quatuor temporum, quæ alia ipsi ab antea nominatis videntur; menstrua, a Concilii Eliberini patribus decreta; hebdomadatim feria quarta & sexta exacta. Cur autem Sabbati jejunium æque ac diei Dominicæ interdictum fuerit, paulo fusius anquirit; morem contrarium in die Sabbati a Romana Ecclesia observatum discutit, rationesque pro jejunio in die Dominica omittendo corroborat. Eadem non jejunandi prærogativa totum istud anni spatium, quod a Paschate ad Pentecosten excurrit, merito insignitum scribit. Ut ea taceamus, quæ de jejuniorum præstantia ac utilitate, de abstinentia a vitio, remissione offensarum, & eleemosynarum largitione cum iisdem sedulo conjungenda, ex diversorum Patrum aliorumque ecclesiastitcorum Scriptorum regulis laudabili cum industria depromit.

Agmen claudit *septima* de *benedictione nuptiali*, sub cujus primordium conjugia ne apud Gentiles quidem citra Deorum venerationem inchoata fuisse evincit; quod usque adeo manifestum sit, ut & nostræ, quam vocant, copulationis vestigia reperire in historia Romana liceat. Etenim de nummo quodam Hadriani ex Occone testari Jo. Seldenum, quod in eo detur cernere figuram Imperatoris, sponsam sibi, intermedio Sacerdote, dextra jungentis, cum inscriptione: CONJUGIUM AUG. Unde mirum non sit, quod in Ecclesia Sacerdote velut auspice & conciliatore jam a primis inde temporibus nuptiæ coaluerint. Provocare se quidem posse ait ad Ignatii testimonium ex epistola ad Polycarpum desumtum, seu parum, uti constet, validum; pro-

ut nec in decretis ordinationibusque Evaristi, Soteris, Callisti, Sylvestri, Siricii, Hormisdæ, Nicolai, Leonis, Concilii Carthaginensis atque Arelatensis operosus est. Antiquissimam tamen apud Scriptores, quibus sua constet ingenuitas, rei hujus, ita saltem, ut ea significata videatur, mentionem reperiri; velut apud Tertullianum, Clementem Alexandrinum, Ambrosium item & Basilium Magnum. Nec ablusisse in peculiaribus decretis Justinianum Imp. & Leonem Alexiumque Comnenum introducit. Imo nec hodie eam esse negligendam facile admittit. Quamvis enim ad matrimonium legitimum absolute necessaria, aut jure divino naturali revelatove peculiari præcepta non sit, & adeo omissa matrimonium vitiare nequeat, boni tamen ordinis ergo observandam, &, qui eam intermittant, mulcta, carcere, aliisque pœnarum modis compescendos arbitratur, cum non in sextum Decalogi præceptum, sed quartum, quo obsequii in parentes aliosque parentum loco atque jure habendos colendosque necessitas sancitur, ritus hujus negligentes peccasse videantur.

INCERTI AUCTORIS (qui vergente seculo XIII. vixisse videtur) CHRONICA DANORUM, & præcipue SIALANDIÆ, ab anno Christi MXXIIX. ad MCCLXXXII. ex veteri membrana eruit primusque edidit ARNAS MAGNÆUS.

Lipsiæ apud Joh. Ludovicum Gleditsch. A. 1695. in 8. plag. $7\frac{1}{2}$.

CUm Historia quoquo etiam modo scripta delectare, & styli elegantia ad veritatem historiæ parum conferre, quin imo potius eam interdum suspectam reddere soleat, laudem promereri censendi sunt, qui Scriptores, quorum vel nulla plane vel exigua admodum ad nos notitia pervenit, ex tenebris & pulvere eruunt, inque lucem, qua digni sunt, vindicant. Hac enim ratione egregie & famæ suæ & usui publico consuluerunt clarissimi viri, Pithœus, Canisius, Pistorius, Quercetani, Goldastus, Freherus, Labbæus, Urstisius, Meibomii, Lindenbrogius, Reuberus, Stephanius, Maderus, Schefferus aliique, dum videlicet ipsorum cura prodierunt, quos alias obscura nox premere potuisset, Scriptores insignes. Recteque adeo fecit Editor *incerti* hujus *Auctoris* doctissimus ARNAS MAGNÆUS natione Islandus, quod quem modo indicavimus, a se ex manuscripto Bibliothecæ

thecæ Academicæ Hafnienſis codice, (quem unicum in Præfatione putat) deſcriptum latere diutius paſſus non eſt: ſiquidem ut ſermo ejus ſeculi, quo vixit, barbariem ſatis referat, tamen ob annorum, quibus res geſtæ ſunt, ordinem bene compoſitum gratus non eſſe iis, qui hiſtorias amant, non poteſt. Incipit is autem ab anno C. M XXIIX, quo p. 1.
ſanctus Olavus Normannorum Rex in Sticlaſlath martyrio eſt affectus, & pergit ita, modo breviter ac modo prolixius varia recenſendo, uſque ad A. C. M CC LXXXII. De quibus ut nos quoque diſſeramus, p. 69.
ſerie temporum ſervata, inſtituti ratio haud permittit, & rectius ipſe libellus ab Hiſtoriæ Danicæ curioſis debet evolvi. Quæ tamen ibi præterea narrantur, aut non adeo proprie ſcopo auctoris convenire putari poſſent, in exemplum ſeligemus. Atque huc referenda ſunt, quæ de Aſcero Epiſcopo Lundenſi facto A. C. M C III. primo Archiepiſcopo p. 10.
Daciæ (quæ eadem cum Dania eſt) deque Bernardo Abbate primo p. 11.-15.
Claræ vallenſis cœnobii, illud cum fratribus amplius XXX. ingreſ- 27.
ſo ætatis anno circiter XXII, ac de ejus patre Teceſino viro antiquæ & legitimæ militiæ, & matre Aaleth pia fœmina, natalique ſolo, quod ipſi in Burgundiæ partibus Fontanis oppido patris ſui contigit, morte porro, quam obiit d. XIII. Kal. Septembr. A. C. M C LIII, & p. 14. 27.
epitaphio tandem, quod ſic ſe habet:

Claræ ſunt valles, ſed claris vallibus Abbas
Clarior his clarum nomen in orbe dedit.
Clarus avis, clarus meritis & clarus honore,
Claruit eloquio, religione magis.
Mors eſt clara, cinis clarus, clarumque ſepulcrum,
Clarior exultat ſpiritus ante Deum.

tum quæ de S. Malachia Hybernienſium Archi-Epiſcopo A. C. M p. 25.
C XLIIX. fatis functo (de quo etiam a nobis eſt amplius dictum in Actis Erud. 1691. p. 144. 151.) de S. Thomæ Archiepiſcopi Cantuarienſis in An- p. 29-39.
glia paſſione A. M C LXXI, geſtis, miraculis, & epitaphio; de S. Domi- p. 49.
nico Prædicatorum duce, ejusque obitu A. MCC. & miraculis, quæ narrantur, hoc carmine comprehenſis: p. 50.

A defunctis revocatum
Matri vivum reddit natum
Vivens adhuc corpore:
Signo crucis imber cedit,

Turba fratrum panem edit,
Missum Dei munere.

de castro *Dimin* in Sclavia a Danis A. C. MCCXI. & ponte ultra Al-
p. 53. bim exstructis, ac de S. Francisco expletis XX annis, ex quo perfectis-
p. 54. sime Christo adhæserit, A. C. MCCXXVI. mortuo, narrat, notatu non prorsus indigna.

Chronico vero isthuic cum plures alii, (quod ex antiquis literarum ductibus conjecit Editor, in legendis manuscriptis Codd. dijudi-
p. 69. candaque eorum ætate apprime versatus) notas adjecissent, has quoq; perinde ac illa, quæ recentior manus adjecerat, additamenta, desum-
p. 77. ta tamen ex codice quodam vetusto, laudabili studio simul adjunxit, notulasque addidit, quibus obscurius subinde dicta clariora fierent, & ubi opus fuit, vitiosam scribendi rationem ad hodiernæ orthographiæ leges emendavit, in cæteris verba ejus ea qua decuit, & de qua securos esse jubet omnes, fide referens.

CIMBRORUM ET GOTHORUM ORIGINES, MIGRATIONES, Bella atq; Colonia, Libris duobus a M. NICOLAO PETREJO quondam Præposito Synderaas & Pastore in Aas recensita.

Lipsiæ ex officina J. M. Liebe, 1695. in 8. plag. 8½.

PRiori Auctori merito jungimus ob aliquam argumenti paritatem isthunc libellum, cujus modo factum est indicium, quem Joh. Melchior Liebe bibliopola Hafniensis ex MS. jam primum edi curavit, ex cujus præfamine patet, eum jam ante CXXV. annos jussu *Nicolai Kaas*, Friderici II. Daniæ Regis quondam Cancellarii, cui etiam dedicatus est, ab Auctore fuisse conscriptum, ex eodemque plurima abs *Joh. Nicolao Strelovio*, qui Gothlandorum Chronicon lingua vernacula conscriptum Hafniæ anno 1633. edidit, per plagium jam quidem manifestum desumta. Veremur autem, ut sua omnia constent veritate, quæ ille de originibus Cimbrorum & Gothorum refert, tum quod autoritas ubique desit scriptorum fide dignorum, tum cumprimis,
p. 33. 37. quod, quam jactat codicum & aliorum monumentorum in Gothlandia a se repertorum præstantiam, dubio omni non carere, ex causis variis adducti censeamus. Quicquid ejus sit, tamen juvat interim etiam talia recensere, & judicio aliorum relinquere.

Itaque

Itaque *Libro* I. qui agit de *CIMBRIS*, eos a Gomero II. Gome- p. 1.
ri I. sive Galli ex Thogorma seu Tigrane nepote, ortos esse affirmat, 3. 4.
eumque cum iis Cimbricam Chersonesum intrasse A. M. MDCCCL,
tempore Sarug, qui Abrahamo proavus extitit, Cimmeriosque ac
Cimbros eosdem esse, atque eorum posteros Daniam adhuc Holsati-
amque incolere, ex vocabulorum quorundam inflexione, & au- p. 7.
toritate porro Philippi Melanchthonis, tum Volaterrani aliorumque
comprobare satagit. De bello dein a Cimbris tempore Julii Cæsaris ge- p. 9-20.
sto, & ortu gentis Comitum a *Cymbern* in Suevia, tanquam reliquiis p. 28.
Cimbrorum in Sueviam olim profectorum, quorum eadem cum Re-
gibus Daniæ insignia fuerint, quædam narrat, velut & de successori- p. 29.
bus Gomeri II. ultra centum ætatis annos nacti, dicitque Sædlandiam p. 30.
(quæ nobis hodie *Seeland*) segetis insulam seu terram, ab ubertate
frumenti, & Lolandiam (quæ hodie *Laland*) ab areis ad trituram ha-
bilioribus in ea insula extructis, nomen accepisse, & paucis deinde
adhuc de eruptione Cimbrorum e regno Danico in Asiam & alias pro-
vincias disserit.

In Præfatione *Libri* II, quo de *Gothis* tractat, *Johannis Upsalen-* p. 33. 39.
sis Historiam gentis Gothicæ falsitatis arguit, eamque a Petro Parvo p. 39.
refutatam esse ait; nomen autem Gothorum a *Guthi* Ostridi filio, in p. 37.
orientali Cimbrici regni parte principatum adepto circa A. M. 2200. p. 38.
petit, quippe a quo populi, quos sibi habuerit subjectos, dicti sint *Gu-*
thi, Scaniam tunc incolentes, & iidem tamen cum Cimbris, quod p. 39. 64.
Guthi ille ex filiis Gomeri esset prognatus. Inde de coloniis Gothorum 66.
in Gothiam occidentalem, quæ Daniæ est vicinior, cum orientalis p. 38.
Sueciæ sit contermina, inque insulam *Borgenholm* sive *Bornholm*, in- p. 42.
que *Guthlandiam* insulam, quam tu quasi Guthorum terram dicas, p. 44.
missis agit. Deque divisione porro hujus insulæ inter tres fratres A. p. 51.
M. 2286. & bellis contra piratas gestis, tum amplius de exstructa ab ipsis p. 55. 56.
Guthorphia oppido, & mutatione nominis Guthi & Guthlandia, & p. 59.-64.
variis eorundem appellationibus, quando & *Jutæ* dicti sunt, & *Vitæ* p. 65.
apud veteres; de alia porro eorundem in *Faroam* insulam & *Estiam* si- p. 69.
ve *Estoniam*, tum in Scythiam Europæam, in qua est Dacia, nunc Va- p. 70.
lachia magna dicta, inque Mœsiam, Daciam, Germaniamque, ex- p. 71.
cursionibus disserit; negatque, quod quidam affirmarant, Gothos, p. 72. 73
Guthos, Getas & Guthones eandem esse gentem, & Getas cumprimis p. 75.
dicit

p.78. ff. dicit vetustiores esse Gothis & Asiam inhabitasse; tametsi consentiat,
p. 81. gentem eam promiscue his nominibus venisse, postquam Guthi cum
p.82. ff. Getarum regno coaluissent. Tum describit magnam illam alteram
Gothorum e Scania non solum, sed e toto Daniæ regno & Suecia emigrationem, quæ facta sit anno M. 3903. ante C. N. 47. & qua illi Rugiam, Pomeraniam, Prussiamque occuparint, pars quoque in Saxoniam usque penetrarint, indeque orta fuerint Ostrogothorum &
p. 83. Westrogothorum nomina: ut qui e Scania, nec non Suecia, Gothlandia, Gothia orientali & occidentali profecti erant, *Ostrogothi*, quod orientaliores reliqua manu, ut Auctor loquitur, extitere; *Juti* vero, qui & Guthi sive Guthæ & eorum socii, qui ad occidentalem plagam vergebant, *Westrogothi* appellarentur: ab iisdemque *Gotham* civitatem in Silesia, & *alteram* in Thuringia, & in Bohemiæ agro *Guttbenberg* &
p. 85. *Guttbenstein*, haud ignota castra, etiamnum nomen habere, sibi per-
p.86.-96. suadet. Prolixe dein bella Gothorum cum Romanis gesta enarrat,
p. 95. occupatamque tribus vicibus Romam urbem, & prima quidem ab
p. 96. Alarico A. C. CCCC XIII, dein a Totila A. C. D XLVI, ac tertia tan-
p. 100. dem ab eodem A. C. D XLIX. affirmat, exponitque eorundem iter &
p. 103.101. sedes in Gallia Hispaniaque, quodque, cum pulsi essent a Narsete ex Italia, pars militiæ Romanæ adscripta sit, pars vero natale repetierit solum Guthlandiam A.C. D LVII, de quo testentur tot vocabula Gothlandis e Romano sermone adhuc usurpata, & *Romæ* nomen, quod illi provinciæ, quam Gothlandi reducibus habitandam concesserant,
p. 105. imposuere. Denique varia insulæ Gothlandiæ fata usque ad finem libri
p. 105-113. describit, & quibus illa subinde bellis, maxime ab Erico VII. Sueciæ
p. 115. Rege A. C. D CCCC LXXX, tum a Waldemaro IV. Daniæ Rege A. C. M CCC LXI, a Prussis quoque Cruciferis A. C. M CCC XCIIX, & a Christiano I. & II. Daniæ Regibus infestata fuerit, & ab horum posteris ad sua usque tempora possessa, recenset.

ΠΛΟΥΤΑΡΧΟΥ ΧΑΙΡΩΝΕΩΣ ΒΙΒΛΙΟΝ, ΠΩΣ ΔΕΙ ΠΟΙΗΜΑΤΩΝ ἀκούειν· καὶ ΒΑΣΙΛΕΙΟΥ ΜΕΓΑΛΟΥ Ὁμιλία πρὸς νέους, ὅπως ἂν ἐξ Ἑλληνικῶν ὠφελοῖντο λόγων.

id est:

PLU-

PLUTARCHI CHÆRONENSIS LIBER, QUOMODO JUVENtuti audienda sint poemata, & BASILII M. Oratio ad juvenes, quomodo cum fructu legere possint Græcorum libros; cum interpretatione Hugonis Grotii. Variantes lectiones & notas adjecit JOH. POTTER. A. B.

Oxonii e theatro Sheldoniano, 1694. in 8.
Constant plag. dimid. 19.

QUi duo hæc opuscula, & auctorum nomine & argumenti dignitate celebria, in lucem publicam nova eaque nitidissima editione protraxit clarissimus Potterus, promulsidis loco ea præmisit cœnæ ampliori, quam in editione nova Lycophronis orbi erudito jam pridem apparare cœpit. Quo minus autem in incepto jam opere, quod ad MS. codicem Bibliothecæ Bodlejanæ collatum suis etiam notis illustravit, festinaretur, auctoritas virorum quorundam eruditorum fecit, quibus excudi una Græcum Scholiasten consultius visum est. Dum igitur obsecundaturus consiliis eorum Auctor, edendi Lycophronis curam aliquantisper seposuit; hos exhibet, hortatu viri clarissimi Arturi Charletti, inter præcipua Oxoniæ decora memorandi, duos elegantissimos libellos; ad quos, ut ait, tanquam Lydios lapides exigenda sunt poetarum carmina, ut in Lycophronis aliorumque lectione maximo cum fructu versari queas. Prima ipsi cura fuit, ut emaculatissime prodirent & integri: dein de interprete optimo prospexit, Hugone Grotio: tandem & ipse notas suas adjecit, quæ partim varias lectiones continent, partim ad illustrandum textum adeo eleganter conscriptæ sunt, ut Græcam doctissimi juvenis eruditionem haud sane proletariam ostendant. Quem sicuti promissam Lycophronis editionem mox esse daturum confidimus; ita non possumus non hac occasione meminisse codicis membranacei Lycophronis prorsus egregii, qui in sorore Lipsiensis nostræ Academia Wittebergensi asservatur, dignus omnino, qui & ipse consulatur.

ISTORIA DELLA FAMIGLIA SPINOLA, DESCRITTA dalla sua origine fino al secolo XVI, da Massimiliano DEZA.

id est:

Historia Gentis SPINOLÆ, inde ab origine sua usque ad sæculum a C. N. XVI, tradita a Maximiliano DEZA, e Congregatione Matris Dei.

Placentiæ ex typographia Ducali, 1694. fol. Alphab. 4. plag. 2.

DE Historia bene mereri censendi omnino sunt, qui clararum Gentium stirpes eruunt opera singulari, ut quo singulorum, qui ex iis floruerunt, virorum facta vel laude vel vituperio digna referri debeant, appareat statim, ac ne ex ignorantia successionum, nominumque crebra paritate, enarrationum existat perversitas, quam incurrere eos necesse est, quibus non suppetit, unde rectius sibi queant consulere. Cum vero SPINOLARUM quoque nomen apud cultiores omnes in Europa gentes, & Genuæ cumprimis, inque Hispania ac Romæ, celeberrima sit ab sæculis aliquot, (tametsi Germania etiam *Ambrosium* Spinolam non ignoret) laude omni dignus est reverendus Autor, (qui, quod ex dedicatoria libri ad Invictissimum Imperatorem LEOPOLDUM epistola constat, concionatoris munere apud Imperatricem viduam ELEONORAM, dum illa viveret, functus est) quod ad ejus gentis historiam peculiariter pertractandam animum adplicuit.

p. 7. 8. Is igitur *Libro I*, quando in antiquitatem Gentis SPINOLÆ inquirit, cavet cumprimis, ne eam vel ab Audomaro, quem Carolus Magnus Comitem Genuæ A. 800 elegerit, & Pipinus I confirmaverit, ob ejectos sæpe ab Italiæ Hispaniæque oris ejus ope Saracenos; vel ab antiquis Dynastis de *Monte Spina* arcessat: cum utraque opinio & obscura sit plurimum, & dignis testimoniis destituatur. Neque omnino eorum sententiæ accedit, qui ultimum Longobardorum Regem Desiderium domus Spinolæ Genuensis, & Vice-Comitum (*Visconti*)
p. 9. Mediolanensium communem autorem esse asseverant; quicquid etiam iidem de convenientia insignium Spinolæ familiæ cum Vice-Comitum Lombardiæ insignibus, pro opinionis stabiliendæ argumento edisserant. Potius persuasum habet, familiam Vice Comitum Genuensium, ex quibus originem habuit Spinolarum gens, ex domo Germanica Comitum *de Marca* seu *Amarck*, quæ Ducatus Juliacensem & Clivensem postea possedit, & ex qua originem quoq; suam petunt hodie Comites Egmondani, descendere, variis inductus argumentis, a conformitate insignium & nominum in utraque familia crebro usurpatorum; ab auto-

ab autoritate Friderici Ceriolæ, qui ſtemma Spinolarum A. 1570 deſcripſerit; tum literis porro Comitum Egmondanorum, quæ amicitiam cum Spinolis ob originis paritatem ſemper conſervatam fuiſſe teſtentur, & verbis denique *Horatii Dragonis* (quem nobilem & ingenioſum ſcriptorem vocat,) quæ ſic ſe habent: *Andronicus Imperator Conſtantinopolitanus Theodorum primogenitum filium Argentinæ Opicii Spinulæ filiæ in matrimonium locavit, ut quæ ex Cliviæ Ducibus trahebat originem, Germanam fidem inſereret Græcis.* Hæc vero ulterius declaraturus, genus Comitum de Marca, qui & Duces Juliaci, Cliviæ, aliatumque in Weſtphalia terrarum domini fuere, breviter deſcribit, p. 11. 12. 13. uſque ad initium hujus ſeculi, quo maſcula illius progenies defecit; commemoratque Adolfi (qui primus Comitis de *Marca & Altenaa* titulum in familiam ſuam intulerit, a patre Theodorico, qui Imperatori Ludovico II contra Saracenos fortiter adſtiterat, hæres ſcriptus,) filium ſecundogenitum *Guidonem* ex cupidine famæ ſequutum eſſe militiam & caſtra Imperatoris Ottonis I, in Italiam cum exercitu ad ejiciendos tyrannos, & Berengarium cumprimis, qui circa A. C. 945 ad tyrannidis ſuæ ſocietatem Saracenos allexerat in Italiam, tendentis, precibus Agapeti II P. R. & plurimorum Italiæ Principum tyrannidem iſthanc ægerrime ferentium. Triumphato igitur Berengario & p. 14. in Germaniam abducto, ibidemque in vinculis mortuo, ab Ottone, in fidei præſtitorumque egregie facinorum præmium Guidonem fuiſſe dignitate Vice-Comitis Liguriæ exornatum. Neque huic relationi obſtare inquit, quod ii, qui Marcanorum Comitum & Clivenſium Ducum genealogiam deſcripſere, hujus Guidonis nullam faciant mentionem: cum argumento negativo nulla vis ineſſe ſoleat, & iidem omittere quoque conſueverint celebres licet ejuſdem ſtirpis viros, *Falcodonem* (cui Mariam Deiparam aliquando cæruleo amictam pallio auxiliatricem adverſus hoſtes adfuiſſe, narrat Autor) & *Jacobum* Marcæ Comitem, qui Carolam filiam ſuam Regi Cypri- p. 14. orum in matrimonium dederit. Tametſi vero negare nolit, ple- p. 15. rarumque in Europa familiarum origines perinde eſſe obſcuras ac Nili fontes, tamen poſſe putat evidenter probari, hunc Guidonem, ſive Vidonem aut Idonem anno 952 extitiſſe domus Spinolæ & caput & fundatorem, ab eodemque in recta linea maſcula reliquos ejus gentis nepotes cunctos deſcendere, conſentiente ad

unum omnium, qui de historia Genuensis urbis commentati sint, testimonio ac fide. Constare porro ait, etsi alia fere extantiora, ex sæculi istius ac subsequentium barbarie, literarum monumentis consignata non sint, exstruxisse eum primum palatium non procul *Pulcifera*, a Plinio quoque commemorato amne, *Cremen* & postea *Carmeno* seu *Carmandino* dictum, cujus quædam adhuc supersint rudera. Hinc refert amplius, Guidonem septē filios reliquisse, *Obertum* Vicecomitem, *Guidonem* (familiæ de Carmandino propagatorem) *Adolfum* Marocellum, *Conradum* Guisolfum, familiarum Marocellæ & Guisolfæ patres, *Odoardum & Everardum*, quorum posteri Vice-Comitum titulum aliquandiu retinuerint, & denique *Guilielmum*, gentis degl' Embriachi autorem. Hos omnes, primogenito & fortasse secundogenito exceptis, relicto *Carmeno* Genuam se contulisse cum suis memorat, ibique defunctos primariis in ea civitate honoribus. Oberto filios duos natos, *Belum* & *Benonoratum*, & hoc sine prole mortuo, *Guidonem* & *Obertum*, *Beli* filios cœpisse cognomentum *De gli Spinoli* a *spina*, quam ceu sacrum λείψανον coronæ Christi spineæ Guilielmus & Guido II, expugnata Hierosolyma & sancto sepulcro recuperato, Genuam attulerant, templo S. Mariæ de vineis, a Spinulis exstructo fundatoque illatam.

p. 16. p. 17. p. 18. 19. p. 20.

Atque hæc, quæ ad illustrissimæ familiæ originem ac antiquitatem spectant, tametsi ex primo tantum libro excerpta, recensuisse pro instituti nostri ratione suffecerit. Nam quæ porro tum in primo isto, tum in reliquis novem, qui sequuntur, libris de celeberrimorum e domo Spinola virorum, & adversus externos civitatis Genuensis hostes, Saracenos, Pisanos, Venetos aliosque, & in civilibus, quæ eam Rempublicam exercuerunt turbis, præclare gestis, deque autoritate, qua familia polluit, splendidisque quæ sustinuit muneribus, ab Auctore fuse enarrantur, redigi in compendium, & tale quidem, quod magno cum fructu legatur, non possunt: ut adeo opus ipsum perlustrandum merito iis commendemus, qui exactiorem harum rerum notitiam comparare sibi gestiunt.

WOLFG. GUNDLINGII DIACONI QUONDAM IN inclyta Norimberga Laurentiani Annotationes in concilii Gangrensis canones XX.

At-

Altdorfii apud Henr. Meyer, 1695. in 8. plag. 10.

NOtas in Eustratii Johannidis Zialowsky Ecclesiæ Orientalis Græcæ brevem Delineationem, nec non in canones concilii Laodiceni, in Actis A. 1682. p. 6. a nobis recensitas doctissimus Autor, dum viveret, edidit. Præsens vero opusculum, quo notæ in canones concilii Gangrensis continentur, antequam revisione sua limasset, filio suo Nicolao Hieronymo Gundlingio sacris literis operam navanti A. C. 1689. moriens reliquit, qui posthumum hunc beati parentis fœtum curæ D. Johannis Fabricii Professoris in Altdorfina Academia celeberrimi commendavit. Is ergo honestis optimi juvenis desideriis non refragatus, egregium hunc & utilissimum laborem in se suscepit, ut errata emendaret, confusa in ordinem redigeret, superflua resecaret, tandemque beati Gundlingii libellum curis suis expolitum luce publica donaret. Orditur Gundlingius lucubrationes suas in concilium Gangrense ab inscriptione hujus concilii; qua occasione de situ Gangrarum disserit, observans, quod Labbeus & Cossartius in indice suis conciliis præmisso hanc urbem ad fluvium Halyn sitam dicant, etsi in tabula geographica, quā iidem suis indicibus inseruerunt, ab Haly fluvio longe distare deprehendatur: unde in medio relinquit Autor, num Gulielmus Samson, qui tabulam illam æneam perfecit, an Jesuitæ indicis auctores aberraverint. Tempus concilii quantum attinet, recensitis aliorum sententiis Beveregio accedit, qui verosimile esse dicit, quod hoc concilium ante Antiochenam synodum A. C. 341. coactam habitum fuerit. Hinc ad synodicam hujus concilii epistolam progressus, qua de causa hoc concilium coactum fuerit, inquirit, notans Gratianum, qui Distinct. 30 ob Manichæos, & Distinct. 16 ob Eustathianos hoc concilium congregatum dicit. Quam contradictionem Autor glossæ ita conciliat, ut dicat, proprie quidem ob Eustathianos Gangrenses concilii Patres convenisse, Eustathianos vero errores suos a Manichæis hausisse. Notat quoque Baronium, qui infirmis rationibus nixus, non Eustathium Sebastenum, sed Eutactum monachum Armenum concilio Gangrensi occasionem dedisse suspicatur. Tandem vero, cum de numero Gangrensium canonum nonnulla protulisset, ad ipsos canones accedit, quos ex antiquis & novis, sacris & profanis autoribus illustrat.

LA SATYRE DE PETRONE, TRADUITE en François, avec le texte Latin. i.e.

T. PETRONII SATYRICON in Gallicum sermonem e novo integroque, quod Albæ Græcæ inventum dicitur, manuscripto exemplari translatum. Tomi II.

Coloniæ 1694. in 12. maj. Alph. 1. plag. 18.

IN omniũ manibus est nova Petroniani Satyrici editio, quæ ante paucos annos lucem Nodotio obstetricante aspexit, quamque paulo post ejus promulgationem in Actis his A. 1693. p. 89. recensitam dedimus. Eam in vernaculum idioma transfundendam sibi sumsit præsentis, quisquis est, Gallicæ editionis Auctor anonymus, de genuina scilicet illius veritate sine ulla hæsitatione persuasus. Equidem jam plures ante se Petronii Gallicam versionem non suscepisse solum, sed & edidisse fatetur: ast omnes id adeo inconcinne fecisse, & auctorem (quem nunquam totum, sed nonnulla tantum fragmenta transtulerint) vix dimidia sui parte intellexisse adjicit; ut suo merito nitidissimi sermonis Auctor novum laborem versionemque poposcerit; quam ut ipse daret emendatissimam, suasu virorum, ut ait, magni nominis ac fœminarum haudquaquam infimæ conditionis, omni studio annisus est. Et quo liberius Lectori judicium in examinanda versione esset, Latinum Petronii textum e regione adjecit: lepores cetera suo etiam sermone exprimere annisus, versusque Latinos Gallico & ipse carmine reddens. Adeo autem non spurcitiem Petronio communiter objectam improbat, ut laudet potius acumen ingenii, quo sub dissolutæ libidinis historia Neronis mores aculeato stylo petierit: vir vere philosophus, placidumque vitæ finem Epicureo dignum nactus, qui præter rem a plurimis accusetur propterea, quod ridiculis Stoicorum ineptiis a Seneca (cui minime favet noster) propugnatis contradicere, eademque sugillare animose sustinuerit. Scripsit eam in rem Interpres non solum vitam Petronii ex antiquis auctoribus studiose congestam, verum & in præfatione adductis aliorum judiciis suam sententiam prolixe firmat, atque adeo (quod ipse fortean mireris) miratur, auctorem hunc a Concilio Tridentino viris equidem legendum, non vero pueris interpretandum concedi; persuasus nempe, tot & tantis Petroniani scripti virtutibus illam sermonis nimiam lasciviam facile excusari. Præfatio-

ni

ni clavem nominum adjecit, & quos per singula viros feriat Arbiter, ostendere allaborat. Ipsam versionem haud sane parum nitidam dat, notulis insuper minoribus ad textus enodationem, & observationibus paulo majoribus illustratam. Et ne quis nitor deesset editioni, figuras etiam æneas adjecit. Cum igitur in omnibus adeo se studiosum Petronii doctissimus Interpres exhibeat, eleganter sane lusisse videtur epigrammate præfixo Joh. Olivier:

Dum Latium Gallo mutas idiomate librum;
 Auctorique suus non perit inde lepor:
Ipsius in te animam facile migrasse putarem,
 Credere si sineret relligionis honos.

NA-SPORING VAN DEN SIN EN'T SAMENHANG van de Sendbrief Pauli an de Romainen &c.

id est:

Investigatio Sensus & Nexus Epistolæ Pauli ad Romanos, instituta a MARCO van PEENE Evangelii J. C. in Ecclesia Lugduno-Batava Ministro.

Lugduni Bat. apud Jo. Lugtmann & J. Vivie, 1695. in 4. Constat alph. 6. plag. 14.

INvestigationis hujus Autor nihil aliud in votis habere videtur, quam ut hisce laboribus suis illi, qui bonarum literarum cultura destituuntur, in capiendis divinæ illius Epistolæ sensibus atque doctrinis instruantur. Quamobrem nec philologicis rebus nec controversiis multum litans, Apostoli mentem quam facere potuit, clarissime exponit. Ad quod ut viam sibi sternat, summaria, ut ita loquar, expositione Lectorum animos præparare nititur. Cui postmodum prolixiorem subnectit ἐξήγησιν, in qua κατὰ πόδα filum orationis Apostolicæ secutus est. Cæterum licet non adeo multa in Commentariis hisce occurrant, quæ novitate sua sese commendent, quin potius inveterata partis suæ præjudicia eis Autor intulerit; omnino tamē commendandi sunt, quod operibus hujusmodi lingua vernacula scriptis, animi plebi Christianæ addantur ad sacra Scripturarum tractanda volumina; in quod quanto studio antiqui enisi fuerint Patres, neminem qui vel solum leviter inspexerit Chrysostomum, latere existimamus.

LIBRI

LIBRI NOVI.

Istoria Musica, nella quale si hà piena cognizzione della Teorica e della Pratica antiqua della Musica Harmonica &c. Opera di Gio. Andrea Angelini Bontempi. In Perugia, pel Constantini, 1695. in foglio.

Compendio della Fortificazzione. Opera di Giust. Emilio Alberghetti. In Venezia appresso Girolamo Albritio, 1695. in foglio.

Bernardini Ramazzini Ephemerides Barometricæ Mutinenses A. 1684, una cum Disquisitione causæ ascensus Mercurii in Torricelliana fistula. Mutinæ apud A. A. Capponi & H. H. Pontiroli, 1695. in 8.

Laurentii Bellini Opuscula: de motu cordis: de primis motibus generationis: de seminibus & liquidis ovum implentibus: de ovi fabrica &c. Pistorii ex nova officina Steph. Gatti, 1695. in 4.

Joannis La Placete, Benearnii, Observationes Historico-Ecclesiasticæ, quibus eruitur veteris Ecclesiæ sensus circa Pontificis Romani potestatem in definiendis Fidei rebus. Amstelod. apud Georg. Gallet, 1695. in 8.

Aonii Palearii opera, novis accessionibus aucta. Amstel. apud Henr. Wetstenium, 1695. in 8.

Jac. Gronovii Memoria Cossoniana, sive Danielis Cossonii Vita, cui annexa est nova editio Monumenti Ancyrani, cum Gronovii notis. Lugd. Bat. apud Fred. Haaring, 1695. in 4.

Justa Parentalia, quæ Magnæ Britanniæ Reginæ, MARIÆ, viri celeberrimi in Belgio, *Fridericus Spanhemius*, *Jo. Georgius Grævius*, *Jacobus Perizonius*, & *Petrus Francius* persolverunt. Lipsiæ apud Joh. Lud. Gleditsch, 1695 8.

P. Joberti e Soc. Jesu Notitia Rei Nummariæ ex Gallico sermone in Latinum traducta. Lipsiæ apud Jo. Thomam Fritsch, 1695. in 8. *De Gallica libri editione videantur Acta Eruditorum A. 1694. pag. 214. seqq.*

Abregé de l'Histoire d'Angleterre, ecrite sur les Memoires des plus fidelles autheurs Anglois. A La Haye chez Etienne Foulque, 1695. 12.

La Vie de Cassiodore. A Paris, chez I. B. Coignard, 1695. 12.

* * *

ACTA ERUDITORUM
publicata Lipsiæ
Calendis Octobris, Anno M DC XCV.

LA VIE DE CASSIODORE &c.
id est:
Vita Cassiodori Theodorico Magno aliisque Italiæ Regibus olim a secretis primariisque ministeriis, tandemque Abbatis Vivariensis: auctore F. D. De Sainte Marthe.
Juxta exemplar Parisinum apud J.B.Coignard, 1695. In 12. plag. 21.

VIrorum, qui virtute & doctrina excelluere, memoriam eripere letho, & ad posteros propagare, pulchrum cumprimis est atque salutare. Debemus enim hoc excellenti virtuti, ut commendemus eam, laudibusque prosequamur, neutiquam vero ejus memoriam occidere patiamur. Nec facilius alios ad præclara & laude digna facinora, aut ad mores honestos excitaveris, quam exemplis virorum præstantium, in quæ ceu specula splendidissima omnes intueri possint, & profutura sibi discere. Fecit ergo, quod virum doctum decebat, clarissimus Auctor, dum eadem ratione ductus, de Cassiodori vita rebusque gestis exponere aggressus est.

De natalibus, educatione, & fatis, quæ Cassiodorum ad mortem usque Theodorici M. Gothorum Regis excepere, præcipit primus liber. Pater nimirum Cassiodori, Tribuni & Notarii munere, quod amplissimum olim fuit, sub Valentiniano III Imperatore functus est; & multis quidem variisque in Rempublicam meritis æternum sibi conciliavit decus. Namque & Imperatoris jussu ad Hunnorum Regem Attilam, cædem, rapinam, incendia, per florentissima Europæ regna circumferentem, profectus est, aptaque oratione ferocem Regis animum demulcendo, iramque ejus placando, ereptæ barbaro furori Italiæ Lib. I.

laudem apud omnes retulit. Inter cæteros, qui cognatione aut necessitudine aliqua Cassiodorum attigerunt, Heliodorus eminet, & Proba virgo, hujusque pater Symmachus, Romanus ille Patricius posteris quoque ob eruditionem & morum integritatem haudquaquam ignotus. Patria Cassiodori Scylaceum fuit, Brutiorum in Calabria haud ignobile oppidum. De situ perquam amœno, & origine nomineque urbis hujus quæ hic Auctor commemorat, nobis, ne instituti violemus leges, sunt prætermittenda. De anno, quo in lucem editus est, licet inter scriptores nondum conveniat, temporum tamen rationes accuratius initæ docent, aut sexagesimo nono, aut septuagesimo post quadringentesimum, eum natum esse. Cæterum pleraque, quæ hactenus Auctor tradidit, ex Theodorici Regis quadam epistola hausit: quæ & hoc illum edocuit, Cassiodori nomen toti genti hæsisse. Hunc autem, de quo sermonem instituit, Aurelium, ut a cæteris discerneretur, dictum esse: præterea & Senatorem eum appellatum fuisse, ex eo colligit, quod in plerisque literis hoc nomine ipse utatur. Cum autem illud dignitatis index esse nequiverit (Præfecti enim Prætorio & Consulis jam tum etiam functus fuerat munere) sequitur sane, aut proprium fuisse Cassiodoro Senatoris nomen, aut ab aliis ut discerneretur, eum ita dictum fuisse, aut per eminentiam illud nominis ei datum, eo quod omni Senatorum Romanorum ordini decus singulare conciliaverit. Et hoc quidem eo minus mirum, quod & Magni cognomen virtutes & merita in Rempublicam egregia Cassiodoro peperere. Falluntur enim judice Auctore, qui eum Marcum vocant, cum fide digni codices manuscripti Magnum diserte appellitent. Postquam literis gnaviter animum, pro seculi istius ratione excoluit, vix ex ephebis egressus, ab Odoacro Herulorum Rege, qui victo Augustulo rerum in Italia potiebatur, ad publicas dignitates evectus, Comesque factus est privatarum, h. e. ut ipse Cassiodorus *Lib. VI. Epist. Form. IIX.* explicat, redituum Regis privatorum gerere curam jussus est. Hoc autem non infimæ dignitatis fuisse munus inde intelligitur, quod illustres vocarentur, quibus hæc provincia erat demandata. Sed nova adhuc mox facta est accessio, Comesque sacrarum largitionum ab eodem Odoacro est creatus. In utroque munere quanta fuerit Cassiodori prudentia, quanta industria, quanta modestia, pluribus Auctor edisserit. Ut vero instabiles & fluxæ sunt res mortalium

tali um: ita & destructo per Gothos Herulorum in Italia imperio, & Odoacro a Theodorico interfecto, Cassiodorus ut procellæ huic toti Italiæ incumbenti se subtraheret, ad suos lares se recepit, privatam vivendi sortem splendidis istis, quæ gesserat muneribus, ut quidem in votis habebat, commutaturus. Non autem ei licuit esse tam felici, sed denuo rempublicam capessere jussus est a Theodorico. Siculos enim Brutiosque res novas molituros, Cassiodori auctoritate compressos refrenatosque esse intellexerat, indeque fidem viri hujus plane singularem habebat perspectam. Dignum itaque judicavit, qui sibi ab Epistolis esset: quam etiam provinciam tunc temporis valde honorificam, & cum Cancellariorum hodierno munere comparandam (unde & Cancellarius Theodorici subinde a recentioribus, observante Auctore, vocatur) non tantum subiit, sed ita ornavit, ut summis & immortalibus ipse Theodoricus eum prosecutus fuerit laudibus. Quin nulla in Imperio occidentali tam ampla tamque splendida erat dignitas, quam non Cassiodorum promeruisse censeret. Hinc Brutiorum Præfectus est constitutus; mox ad aulam revocatus, ut consiliis suis saluberrimis Regi præsto esset, Quæstor factus est, palatiique insuper, & rerum huc pertinentium curam gerere jussus, Magni Magistri functus est munere, Princepsque dictus est, quod primum inter militares Duces teneret locum. Tot itaque honorum & dignitatum titulis velut cumulatus, in cunctis ita se gessit, ut quo majores conferebantur illi honores, eo majores promereri videretur. Ad Præfecti itaque Prætorio munus, mox vero & Patricii dignitatem evectus, Consulatuque Romano auctus, id omne obtinuit, quo excellens virtus & summa in Rempublicam Principemque merita, remunerari atque pensari ea ætate poterant. Et Consulatus quidem dum functus est munere, Epistolas suas congessit, inque justum redegit ordinem. Sed & Chronicon eo tempore elaboravit. Gothorum vero historiam, quam tristi fato periisse, eruditus orbis haud immerito dolet, jam antea literarum consignaverat monumentis. Cæterum cunctis hisce muneribus functus est ita, ut Principi æque ac subditis charus, justitiæ, modestiæ & summarum, quæ in hominem cadere possunt virtutum exempla luculentissima, pluribus ab Auctore explicata, reliquerit posteritati. Consulis postquam anno elapso deposuit personam, licet ad majus dignitatis fastigium evehi non posset (summum enim jam fuerat consecutus)

nihilo secius, quoniam nihil prudenter suscipi, nihil finiri feliciter posse, nisi Cassiodorus consiliis suis omnia regeret, Theodoricus animadvertebat, Magni Magistri munus altera vice illi imposuit. Plurimum negotii tum illi facessebant lites, inter Justinum Imp. non ita pridem rei summæ admotum, & Theodoricum Regem ortæ. Maximo odio Arrianos persequebatur Justinus; hinc revocatis ab exilio orthodoxis, ejiciebat contra turpissimi erroris veneno infectos, & omni ratione vexabat. Theodoricus, qui hactenus orthodoxos suas sibi res habere permiserat, irritatus, vix sibi temperare poterat, quo minus in orthodoxos, Justino paria relaturus, æque sæviret, furoremque omnem effunderet. Accedebat suspicio, proceres Romanos clandestina cum Justino Imp. de restituenda Græcis Italia, agitare consilia, quæ furentem Regis animum adeo incendebant, ut Pontifice in vincula conjecto, Symmachus Boetiusque, summi clarissimique viri, jussu Regis interficerentur. Sed mox ipse Theodoricus, postquam famæ suæ egregiis virtutibus partæ hanc crudelitatis maculam adspersserat, itidem vitam cum morte commutavit.

Lib. II. Quæ itaque sub Amalasuentha Theodorici ex Chlodovei sorore Audefleda filia, tutelam Athalarici filii gerente, itemque sub Theodahado & Vitige Italiæ Regibus memoratu digna a Cassiodoro gesta sunt, liber secundus edisserit. Et Amalasuentha quidem egregiis virtutibus supra sexus sui conditionem ornata fœmina, ex sententia fere arbitrioque Cassiodori cuncta egit: huic vero parum fuit consiliis saluberrimis res Gothorum in Italia firmare, Reginamque quid factu opus esset admonere, aut exterorum Principum literis humanissimis illi conciliare animos, perfidos coercere, illorumque tempestive obviam ire moliminibus: quin suis sumptibus militem legit, fines Imperii ab omnibus hostium insultibus tutos servaturum. Athalaricus quidem quod nec literis nec virtutibus Principe dignis imbutus esset, neque penes Amalasuentham neque Cassiodorum stetit. Ipsi Gothorum Proceres literarum studiis operari indignum Principe judicarunt; homines enim literis deditos umbratile quoddam ut plurimum vitæ genus sectari dicebant, mollesque reddi & effœminatos, dum inter Musarum recessus latitent, & ad res civiles tractandas aut bellum gerendum parum aptos esse. Magistrorum itaque, quibus cura ad omnem sapientiam & virtutem formandi Principem erat demandata, disciplinæ auctoritate

tate Procerum subductus Athalaricus, indulgere genio, & omnia voluptatum genera consectari cœpit, animique & corporis viribus perditis, præmaturam sibi acceleravit mortem. Nihilosecius omnibus licet voluptatum illecebris circumseptus, & velut coopertus, Cassiodorum tamen sæpius saniora docentem audivit, variaque subinde ad Reipublicæ & civium salutem pertinentia salubriter constituit. Sed & Præfecti Prætorio dignitate munereque eum ornavit, & fidem ejus dexteritatemque cæterasque virtutes laudavit publice. Quæ ad Senatum Romanum, ipsumque Pontificem hac super re scripserit Athalaricus, quantaque modestia hasce laudes recusaverit Casiodorus, quanta denique fide hoc quoque munus gesserit, prolixius Auctor commemorat. Sed Athalaricus quidem in ipso ætatis flore rebus mortalium ereptus fuit. Amalasuentha itaque oneri imperii ferundo, & regendæ ferocissimæ genti se imparem futuram rata, Theodahadum Principem, hominem avarum & imprudentem, & quod maximum erat, sibi ob justas reprehensiones summopere infensum, in imperii consortium recipit. Quo ipso quam male & Gothorum genti & sibi ipsi consuluerit, eventus docuit. Iram enim odiumque hominis, utut tectum hactenus reconditumque, summum, quo ab Amalasuentha affectus erat, beneficium adeo non lenire & permulcere poterat, ut nefando scelere solio dejectam missamque in exilium, & vinculis compedibusque oneratam interfici jusserit. Cassiodori nihilosecius in tanta rerum omnium perturbatione, inter ista fortunæ inconstantis ludibria, eadem semper fuit auctoritas, eadem Principum gratia. Namque & ipsi Theodahado ab Epistolis fuit, quam provinciam semper sustinuerat, & ut justitiæ haberetur ratio, prout rerum status ferebat, omni ope annitebatur. Sed & cum ea ætate gravissimæ in Ecclesia super Concilio Chalcedonensi exortæ essent lites, itidem pluribus ab Auctore hic expositæ, Casiodorus Romani Pontificis hac de re exquirere sententiam, ut doctrinæ puritati consuleretur, non minus suarũ esse partium arbitratus est: scholas quoque & literarum sanctiorum sedes Romæ instituit, cœlestis doctrinæ strenuos propugnatores daturas; in summa rei frumentariæ inopia, quæ non tantum Romæ sed Italiæ universæ incumbebat, levari annonam curavit: judicesque suorum munerum admonuit: nihil denique fecit reliqui, ut omnibus bene esset. Cæterum Justinianus Imperator mortem nefando scelere

 Amala-

Amalasuenthæ illatam ultricibus pœnis vindicaturus, signa intulit Theodahado. Bellico strepitu omnis Italia personuit: Cassiodorus legendo militem, parando arma, muniendo oppida, boni civis æque ac ducis partes explevit. Sed quo minus Gothi dignum quid patria avitaque virtute gererent, supina Regis ignavia, Platonicæ Philosophiæ amore perperam ab ipso excusata, fecit. Ipse itaque regno exutus, & ab Gothis contrucidatus, & scelerum & inertiæ suæ pœnas gravissimas quidem, ast promeritas dedit, docuitque posteros, non semper felices Respublicas esse, summa rerum quando est penes Philosophos. Qui Theodahadum excepit Vitiges, fortior quidem & bellicosior fuit, ast neutiquam felicior. Res enim Gothorum in Italia in præceps euntes adeo stabilire firmareque non poterat, ut Romam quoque caput rerum a Belisario captam, frustra illi iterum eripere anniteretur. Quin magna exercitus parte multatus, Ravennam Gothicorum Regum sedem seque ipsum Græcis dedere coactus est. Cassiodorus interim sub hoc quoque Rege Præfecti Prætorio munere fungitur, omnesque cogitationes atque consilia eo confert, ut inter armorum strepitum bellicosque tumultus, belli tamen incommoda minime sentirent subditi. Militarem enim disciplinam ad pristinos redegit mores, nec, ut divinæ humanæque a milite violarentur leges, permisit, effecitque adeo, ut in bello non minor videretur tranquillitas, ac in pace. Illud vero merito quis miretur, nec negotia illa gravissima, nec difficillima Reipublicæ tempora, rerumque omnium summam perturbationem, a literarum, præsertim divinarum studiis Cassiodori animum avocare potuisse. Quin hoc ipso tempore duodecim Epistolarum a se scriptarum libros edidit, & de anima doctissimum librum, qui hodienum in nostris versatur manibus, conscripsit.

Lib. III. Gothorum interim in Italia res in dies magis magisq; in præceps ruebant, gravissimaque mala Italiæ imminebant: præterea tempus adeo turbulentum erat, ut nec justitiæ, nec legibus inposterum locum futurum, prudentiores judicarent: cum Cassiodorus rerum aulicarum pertæsus in monasterium se abderet, precibus Numinisque cultui vacaturus, literarumque studiis quod supererat tempus consecraturus. Et illud quidem est, quod libro tertio Auctor noster persequitur. Cæterum nec metu, nec alia ulla causa, quam quod hominem sapientem & Christianum hoc deceret, adductum fuisse Cassiodorum, ut

ut publicarum rerum administrationi se subduceret, contendit, refellitque Magdeburgensium centuriarum conditores, qui secus existimant. Trithemius quoque illi vapulat, qui existimat, Cassiodorum Boetii supplicio perterritum, certioremque de eo factum, in huncce sese recepisse portum: perperam sane, judice nostro, cum post mortem Theodorici, sub Amalasuentha, Theodahado & Vitige, amplissimis eum functum muneribus annales scriptoresque fide digni testentur, & ipsi Cassiodori libri, præsertim epistolæ, hoc loquantur comprobentque. Nec illos sine censura dimittit, qui monasterium, in quod se abdidit Cassiodorus, prope Ravennam fuisse docent; namque in Calabria non procul ab urbe Scylaceo, in qua lucem adspexerat, monasterium ab ipso conditum esse, in quo, postquam civilium rerum tractationi valedixerat, ætatem transegit, argumentis non contemnendis evincit. Quæ de situ hujus monasterii, cui nomen Vivarii (Viviers) fuit, noster commemorat, ex ipsius Cassiodori epistolis sunt deprompta. Excusat quoque splendidum monasterii ornatum, nec monasticæ disciplinæ leges a Cassiodoro hoc ipso migratas contendit: laudat contra eum, quod solenni ritu Monachorum ordini adscribi voluerit, & quod initio Abbatis dignitatem in suo monasterio recusaverit, & ex eo singularem ejus modestiam satis superque elucescere contendit. Hinc omnem monasticæ disciplinæ, quam Cassiodorus observari in suo monasterio voluerit, rationem edisserit. Nimirum præterquam, quod certæ horæ precibus fundendis & divinis laudibus celebrandis, erant destinandæ; divinarum præcipue literarum, maxime Psalmorum sedulam tractationem monasterii sui alumnis commendavit, & hunc in finem ipse commentarium omni eruditionis genere refertum in Psalmos composuit: Patrum inde, præsertim Cassiani, lectionem jungi voluit; quin ne desides ulla ratione essent, tempusque otio contererent, tum aliis laborum generibus, tum maxime libris transcribendis, eos exerceri, pulchrum & salutare duxit: nihilque ab illis intermitti voluit, quod ad alendam & fovendam pietatem, vitia autem debellanda facere videretur. Hæc itaque Cassiodori disciplina cum accurate respondeat legibus Monachis a Benedicto præscriptis, concludit noster, nihil obstare, quo minus asseramus, Cassiodorum ipsam Benedicti disciplinam secutum esse, Baroniumque secus sentientem refellit. Sed divinis literis ex lege Cassiodori ita vacare debebant monasticæ

cæ disciplinæ alumni, ut liberales artes literasque humaniores non negligerent. Tertulliani & Basilii secutus est exemplum, qui, quantum commodi, quantum præsidii profanorum auctorum lectio divinarum literarum cultoribus afferret, & abunde intellexerunt ipsimet, & sæpius quoque docuerunt. Cassiodorus itaque viam suis monstravit, Grammaticamque artem, Rhetoricam, Dialecticam, & Mathematicas disciplinas, in libris de artibus liberalibus & disciplinis breviter complexus est, auctoresque præstantissimos, ex quibus hæc omnia commode hauriri possint, indicavit. Hisce artibus postquam mentem quis probe excoluit & perpolivit, tum demum sacrarum literarum studiis rite operabitur. Quam & hic quis ingredi viam debeat, in suis Institutionibus accurate docet, doctoresque veteres, qui Scripturam sacram & singulos ejus libros interpretati sunt, laudat. Nec illos prætermittit, qui introductiones, ut Auctor vocat, in Scripturam S. scripserunt: de conciliis generalibus, quo pacto legendi illorum canones sint, cæterisque Theologiæ partibus abunde præcipit: quæ prolixe ex Auctore commemorare supersedemus, cum in ipsis Cassiodori Institutionibus a quolibet facile legi possint. Omnes vero hosce libros, quos laudat, comparavit sibi Cassiodorus, ut Monachis suis nulla ad eruditionem perveniendi deesset occasio: quin & viros eruditos, ut literas in monasterio suo docerent, liberaliter invitavit. Præcipuus inter eos fuit Dionysius, quem Exiguum vocant, cui cum Cassiodoro arctissima intercessit amicitia. Finit tandem huncce librum Auctor mortem Cassiodori describendo, licet pauca admodum & de tempore & de genere mortis cæterisque memoratu dignis posteritati innotuerint, & elogia quibus venerabilis Beda, Alcuinus, Hincmarus, Segebertus, Robertus de Monte, & alii Cassiodorum ornarunt, subjungit.

Lib. IV. Ultimus denique liber de scriptis Cassiodori ex instituto agit, & quicquid præclarum ac memoratu dignum in illis occurrit, sistit. Nimirum epistolas Cassiodori barbaro quidem & incompto, ut sæculi istius erat genius, sermone esse scriptas, interim varia & recondita quandoque eruditione refertas: quandoque etiam in vocum originibus investigandis & explicandis, quid linguæ genius indolesque permittat, parum pensi eum habuisse, ut cum uxorem inde dictam putat, quia est *ut soror*, beatum, quia est *bene aptus*, & quæ sunt hujus generis

generis alia. Decori quoque migravit leges, dum eruditionem ubique & interdum intempestive admodum ostentat. Namque, ut unicum afferamus, dum Theodorici Regis nomine Theonium increpat, quod purpuram Regi mittere neglexerit, de natura purpuræ tam prolixe disserit, ut Doctoris aut Magistri philosophiam explicantis, non autem Regis ministrum redarguentis & quid fieri velit jubentis, verba se legere, unusquisque crederet. Quæ autem in hisce epistolis lectu digna occurrunt, Auctor diligenter excerpta unico velut fasce complexus est: ne sententiis quidem effatisque pulchrioribus, quæ pondus aliquod momentumque habent, & ingenii quandam vim præ se ferunt, prætermissis. Sed præcipue utilitatem, quæ ex Cassiodori epistolis ad lectores redundare potest, comprobat series illa dignitatum & munerum illustrium, ea tempestate in Imperio occidentali usitatorum, quam ex *VI. & VII. Epistolarum libro* collectam Auctor hic exhibet. Namque munerum horum rationem nemo accuratius facile noverat Cassiodoro, rerum civilium peritissimo viro, & qui insuper nomine Imperatoris solennibus & usitatis formulis unicuique munus suum conferebat. Epistolas Cassiodori excipit liber de anima, in quo quæstiones gravissimas de spiritualitate, de immortalitate, de præexistentia, & virtutibus vitiisque animæ, ejusque facultatibus, & cæteras, accurate & solide pertractat; cujus summam itidem hic legere licet. De Chronico Cassiodori hoc saltem observat, quod a nonnullis, Panvinio, Scaligero &c. temporum rationes minus accurate inivisse dicatur. Sed excusat tamen Cassiodorum, & multos errores ex illorum, qui codices descripserunt, inscitia aut negligentia profluxisse arbitratur. Prolixius de Commentario Cassiodori in Psalmos disserit, observatque Augustini & Hieronymi vestigia eum potissimum legisse: ita tamen, ut inter Augustini & Cassiodori commentationem magnum nihilosecius intercedat discrimen. Quæ de Prophetis & prophetiis Cassiodori fuerit opinio, ex Prolegomenis ejus in Psalmos refert: nec illud prætermittit, censuisse Cassiodorum, omnium Psalmorum auctorem esse Davidem sanctissimum Regem; quæ vero in frontibus quorundam Psalmorum conspiciuntur virorum nomina, cantores solum ea ætate illustres & celebres designare. Quid *diapsalma* sit, multis quoque in suis Prolegomenis edisserit Cassiodorus, facitque haud obscure cum Augustino, cessationem vocisq; interruptionem hoc

nomine denotari asserentis: de modo Psalmos cantandi, & aliis huc pertinentibus argumentis pluribus, ibi Cassiodorus disserit, itidem a nostro hic relata. Sequitur hinc Historia Tripartita, ex Socrate, Sozomeno & Theodoreto collecta, quam ex Græco sermone in Latinum per Epiphanium Scholasticum transferri curavit Cassiodorus. Beatum Rhenanum censuisse addit Auctor, hunc Epiphanium nec Græci nec Latini sermonis satis peritum fuisse: nec diffitetur eum barbaro & impuro sermonis genere uti, sensum tamen auctorum eum accurate satis referre contendit. Notat quoque hac occasione aliquot Socratis & Sozomeni errores, quos tamen quod non emendari curaverit Cassiodorus, mirum non esse ait, cum illi neutiquam constitutum fuerit, hosce scriptores corrigere. Inter libros Cassiodori deperditos primum locum tenet Historia Gothorum: hinc & de orthographia quæ scripsit, & cætera opuscula ab Auctore indicata, temporum injuria nobis eripuit. Commentarius autem in Canticum canticorum, & liber de amicitia, qui Cassiodori nomen præ se ferunt, sunt spurii fœtus aliumque habent parentem. Finem tandem operi Auctor imponit, regulas morales politicasque, & effata notatu digna ex operibus Cassiodori collecta subnectendo.

JOANNIS LA PLACETE, BENEARNI, OBSERVATIONES Historico-Ecclesiasticæ, quibus eruitur veteris Ecclesiæ sensus circa Pontificis Romani potestatem in definiendis fidei rebus.

Amstelodami, apud Georgium Gallet, A. 1695. in 8.
Constant Alphab. 1.

DOgma quoddam Ecclesiæ Romanæ primarium evertere, & enervare propugnatam ab ea acriter, maximi, qui audit, Pontificis de rebus fidei decernendi potestatē, Auctor eruditissimus hoc opere constituit, ac ita quidem, ut omissis Scripturæ testimoniis, sepositaque interim analogia fidei, & variis exemplis silentio involutis, istud tantum agat, quo ignotam prorsus veteri Ecclesiæ supremam istam potestatem fuisse demonstret. Equidem jam plures, nec eos incelebres Romanarum quoque partium Theologos, Launojum puta, Maimburgium, Du Pin, atque alios doctissimis illam quæstionem lucubrationibus illustrasse fatetur; curam tamen non certe tantam, quantam rei momentum

mentum flagitarit, eos adhibuisse perhibet; qua de causa nunc (Reformatis autem addictus Auctor est) studium paulo plenius impendere eidem voluerit. Prodiit ante annos aliquot rude, ac prout ipse haud dissimulat, nondum satis elaboratum hujusce lucubrationis tentamen, tredecim constans observationibus. Sed illæ heic ad sex & triginta excreverunt, easque in classes duas Auctor dispescuit, quarum una observationes generaliores, altera speciaciores complectitur. Illæ ex communi totius antiquitatis inspectione petuntur; hæ ex singularibus quibusdam partim eventis partim concertationibus, quæ in historia ecclesiastica passim deprehendit Noster, efformatæ sunt.

Excusso igitur ante omnia statu quæstionis de infallibili Pontificis, ut Pontificis, & aliquid e cathedra pronunciantis judicio, ignotam plane veteribus fuisse ait prærogativam, quam aut ipsi sibi asserant, aut a suis sibimet vindicari concedant supremi curiæ Romanæ moderatores. Nihil etenim de ea in illorum monumentis apparere, & si quam ii forte Præsulis Romani in edenda de rebus fidei sententia auctoritatem venerati fuerint, (id quod tamen nemo satis evicerit,) diversam eam admodum fuisse ab hac, quam recentiores Papæ vulgo largiantur. Huic enim se opposuisse hæreticos primum omnes, quorum sententia, utut parum huc facere cuiquam videri possit, momentum tamen non plane nullum in hoc negotio sustineat. Ad minimum ut probe perpendatur requirit, cur nulla eos ideo Concilia damnarint? nulli hæreseologi notarint? nulli scriptores confutarint? Quin nec orthodoxos quidem in agnoscenda qualicunque Pontificis infallibilitate consensisse, per testimonia complura ab adversariis allegata latius probatum dat: cumque diversas adeo circa hunc apicem & repugnantes in vetustorum Patrum scriptis occurrere opiniones videamus, incassum laborare ait Papæos, ubi illorum testimonio auctoritateque suas firmare partes velint, quandoquidem ipsi fateantur, Patrum, nisi consentiant, auctoritatem pro firma non esse habendam; prout in Dissertatione de insanabili Romanæ Ecclesiæ Scepticismo Anglice quondam edita se palam ostendisse dicit. Ulterius supponit, non existimasse veteres, hanc Pontificis infallibilitatem ad fidem pertinere: unde rursus auctoritas Patrum in hoc negotio plane corruat, ipsis adversariis docentibus, Patres, etiam consentientes, errare posse, nisi dogma, quod unanimiter tradant, ad Ecclesiæ fidem pertinere testentur. Imo per

Sect. I. Obs. 1. 2.

3.

hoc ipsum manifeste tolli notat hanc infallibilitatem: non enim eos
Pontificem pro fidei regula potuisse agnoscere, si dogma hoc ad fidem
pertinere nequaquam censuerint; fidei certe regulam ad fidem non
4. pertinere, prodigio facit simillimum. Sed propius ad rem accedens,
quemadmodum ad infallibilem controversiarum de fide judicem nihil
pertinere magis innuit, quam ut habeatur supremus librorum theologicorum
censor: ita sibi maxime inservire arbitratur, quod nemo
olim id muneris Romano detulerit Pontifici. Negare siquidem Ambrosium
Ansbertum, octavi, ut Labbeus ostendat, seculi scriptorem,
quenquam ante se libros, quos scripserit, Romani Præsulis judicio
subjecisse. Veteres præterea nec approbationem Pontificiam, nec improbationem,
tantopere fuisse reveritos, erudite per exempla quædam
5. illustriora declarat. Canonem imprimis librorum sacrorum a
Pontificibus Romanis fixum, variis subinde diversorum contradictionibus
6. subjectum sistit. Neque insuper exiguum pondus depromi reputat
ex œcumenicis Conciliis, tantopere olim expetitis & tam frequenter
habitis. Non enim veteres tot se laboribus expostituros, tot
devoraturos fuisse credit molestias, quales utique Concilia illa comitentur,
si via longe faciliori ac minus operosa, a Pontificis effato eadem
sperari posse commoda sibi persuasissent. Hanc autem deprehendi
ipsorummet Pontificum in antegressis seculis bene multis modestiam,
ut in causis dubiis ac gravioribus decisionem tali conciliorum
7. congregationi sponte reliquerint. Quid? quod etiam excussas definitasque
a Pontifice causas novo subin examini Concilia subjecerint?
8. quod veteres a judicio Pontificis ad Concilium provocari passi sint,
& id quidem in rebus non ad disciplinam modo, sed & ad fidem ipsam
9. 10. pertinentibus? Ut taceamus, quæ de judiciis Pontificum frequenter in
Conciliis non tantummodo expendi, verum etiam rescindi solitis, ex
11. antiquitate ecclesiastica producit. Hoc certe magis adhuc arduum,
quod ipsam excommunicationem in Pontifices propter sua judicia
vibratam exemplo Julii, qui ob defensum Marcellum Ancyranum, &
aliorum, qui ob alia decreta tale quid perpessi fuerint, demonstrat,
12. quodque approbata a Romano Pontifice Concilia vicissim sæpius abjecta
13. introducit. Nec veteres hac libertate citra juris fundamentum
usos putat: illam enim non posse cuiquam denegari, testimoniis Augustini
14. & Hilarii confirmat. Ista vero dogmata cum in veteri Ecclesia
constan-

constanter personuerint: nihil eorum, quæ a quocunque proferuntur,
firmum esse, nisi Scripturæ auctoritate fulciatur; solas esse Scripturas,
quibus absque ullo examine secure credi possit; e Scripturis denique
dijudicanda omnia ac singula; (unanimem autem super hæc consen-
sum ob oculos proponit;) fortiter dispelli cunctas arbitratur nubecu-
las, quas de cœca obedientia Romanorum Pontificum decretis præ-
standa objicere quis fortean voluerit. Electionem denique Pontificis 15.
allegat, circa quam veteres non eam curam adhibuerint, quæ cum ho-
dierna diligentia in eadem observari consueta ullo modo queat com-
parari. Longe vero magis futuros fuisse eosdem ait solicitos, si pro
immota fidei regula eum amplectendum existimassent.

Has generales observationes, nulli speciatim seculo, nulli pecu-
liari eventui affixas, aliæ nunc & particulares pleræque, juxta seculorum
& negotiorum seriem excipiunt. Ac primum inter eas locum contro- Sect. II.
versia solemnis circa celebrationem Paschatos seculo secundo exorta, Obs. 1.
tertioque renovata, & quarto definita, nec omnino tamen extincta
occupat. Heic disputationem Polycarpum inter & Anicetum, Victo-
ris item & Polycratis certamen memorat. Inde ad eorum argumen-
ta respondet, qui controversiam istam non ad fidem sed ad ritus spe-
ctasse regerant. Asiaticos eo ipso, quod Victori restiterint, ab Ecclesia
separatos & in schisma prolapsos neutiquam fuisse, adversus Baronium
tuetur. Ex obedientia autem a plurimis Præsuli Romano Paschatos
tempus definienti negata colligit, quam parum olim dogma de ejus
infallibilitate fuerit cognitum. Mox ad quæstionem de hæreticorum 2.
baptismo seculo tertio motam procedit, ubi Stephani de non baptizan-
dis hæreticis decretum exhibet, istudque ab Ecclesiis permultis non
admissum narrat. Dicta circa hanc disputationem ab Augustino satis
aperte testari statuit, ignotam illi fuisse Pontificis infallibilitatem. Imo
ne illos quidem, qui baptizari hæreticos similiter noluerint, Stephani
judicium omni ex parte secutos probat. Cum enim hic omnium omni-
no hæreticorum baptismum pro rato habuerit, tres vicissim celeber-
rimas Synodos, Arelatensem, Nicænam, & Constantinopolitanam,
tale quid minime pronunciasse de baptismo illorum hæreticorum, qui
formulam a Christo præscriptam neglexerint. Cæterum quoniam præ-
ter alios Natalis imprimis Alexander priori illi asserto se opposuit, hinc
ex instituto octo ejus argumenta dissolvit. Concedunt interim ad- 3.

3. versarii, quod Synodo Nicænæ I. Sylvestri Legati adfuerint, ac Syl-
vester omnibus in ea gestis consenserit. Sed & hujus decretis diversi-
mode fuisse repugnatum Auctor annotat, quod salva manente Præsu-
4. lis Romani potestate fieri profecto non potuerit. Liberium a veteri-
bus multoties introduci monstrat veluti in Arianam hæresin prola-
psum; effugia vero quæ adversarii meditentur, dum confessionem il-
lam, cui Liberius subscripserit, hæreticam fuisse pernegent, præclu-
dit, & non pauca curiosa pariter atque utilia in medium adducit, quæ
5. illam formulam propinquius paulo attingunt. Seculo quarto exortas
ait lites circa unam vel trinam hypostasin, & tum quidem Pontifices
favisse unius hypostaseos defensoribus; eos ergo, qui tres asseruerint,
non potuisse non Præsules Romanos errori obnoxios existimare con-
6. cludit. Idem assertum roborat ex Zozimi judicio Celestium prote-
gente, quod & Afri Episcopi aperte spreverint, & ipse aliquanto post
7. revocare veritus non fuerit. Non parum quoque huc conferre sta-
tuit res gestas illorum temporum, circa quæ suas opiniones in publi-
cum evulgavit Nestorius. A Celestino hunc damnatum, & Cyrilli
anathematismos illius quidem auctoritate probatos scribit, sed vicis-
8. sim eos a multis improbatos, Nestoriumque defensum subjicit. Simili-
ter ex Eutychianismi historia, infallibilem Pontificis de fide decernen-
di potestatem non parum detrimenti capere affirmat. Dixerat Proclus
9. Cptanus suo ad Armenos Tomo, unum de Trinitate crucifixum. Hoc
avide arripuit Petrus Gnapheus, Antiochenus Episcopus, & Trisagio
addidit. Sed multis reclamantibus res ad Felicem III. Episcopum Ro-
manum delata est, qui eam propositionem ceu hæreticam damnavit.
Sed & hoc decreto a multis contradictum, ignotumque adeo tum fuit
illud supremi capitis in Ecclesia Romana judicium submississima cum
observantia suscipiendum. Et quid cuncta recensemus latius distinct-
iusque? Plures enim apud Nostrum supersunt observationes, quam ut
10. singulis exacte proponendis spatium nobis præfixum sufficiat. Refert
enim huc prolixius neglectam Pontificis auctoritatem in controversia
11. de tribus capitulis acerrime agitata, & in ea, quæ circa titulum Epi-
12. scopi universalis sexto seculo deferbuit. E seculo septimo Honori-
13. um a plurimis Conciliis ac Pontificibus damnatum sistit. E seculo octa-
14. vo disputationem de cultu imaginum; e nono statutum Eugenii II.
circa probationem aquæ frigidæ a Ludovico Pio improbatum, Papæis
hodier-

hodiernis in sua hac contentione graviter obesse; seculo decimo im- 15.
mediatos Formosi successores sese ipsos invicem pro infallibilibus non
habuisse asserit. Testari etiam de credita Pontificum auctoritate errori- 16.
bus obnoxia tot circa supremam eorum in temporalia potestatem
concertationes; testari duo privilegia Henrico IV. Imperat. a Nicolao 17.
II. & Paschale II. concessa ac minus reverenter habita; testari decre- 18.
tum Celestini V. de abdicatione a plurimis impugnatum; testari con-
troversiam de paupertate Franciscanorum, quam componere Ponti- 19.
fices ubi studuerint, contradicentium non levem fuerint experti per-
tinaciam. Cuncta autem hæc usum eo majorem legentibus viden-
tur allatura, quo se ubique intimius in ecclesiasticæ historiæ adyta
abstrusiora immisit Auctor, cui nondum sufficit hæc adduxisse hac-
tenus, quandoquidem coacervavit insuper, quæ ex veteribus Ter-
tullianus, Ambrosius, (vel qui lateat sub ejus nomine scriptor sat an- 20.
tiquus,) Hieronymus, Augustinus, aliique dixerint cum opinione
eorum, qui Pontificem errare nescium putent, apertissime pugnantia;
ac denique illorum conatum reddere allaboravit irritum, qui ex an- 21.
tiquorum scriptis suæ opinioni patrocinari studeant. Etenim ad te-
stimonia, quæ allegari vulgo solent, Romanorum ante Siricium Epi-
scoporum, Irenæi item, Cypriani, Ambrosii, Hieronymi, Innocen-
tii I, Augustini, Prosperi, Concilii Ephesini I, Cyrilli Alexandrini,
Theodoreti, Leonis I, Petri Chrysologi, Concilii Chalcedonensis, at-
que Agathonis uberius respondet, nullumque horum omnium id,
quod velint adversarii, intendere, ad ductum singulorum innuit.

PERA LIBRORUM JUVENILIUM, QUA INGENUOS VIAMque ad eruditionem & bonam mentem affectantes Adolescentes donat JOH. CHRISTOPHORUS WAGENSEILIUS.

Altorfi Noricorum apud Io. Hofman. 1695. in 8. Alphab. 17. plag. 5.

CUm variæ extent erudiendæ juventutis methodi, optimam tamen ratus est celeberrimus Autor, neque difficilem nimis molestamve, sed & utilem brevemque, ad quam ipse filium suum a pueritia inde usque ad ætatem provectiorem instruxit. Igitur quod rem successu non caruisse, & ejus exemplum a magnis quoque viris peti animadverteret, isthoc libro disciplinas illas omnes est com-

plexus

plexus, quibus animum filii recte olim imbuit. Eam proinde nos quoque trademus, ut habeant forte alii, quod cum fructu suo sequantur. Ante tamen quam id fiat, tituli rationem exponi oportet. Istam vero desumit Autor ex I. Sam. XVII. 40. quæ verba Latinus vetus Interpres sic transtulit: *Et tulit* (David) *baculum suum, quem semper habebat in manibus: & elegit sibi quinque limpidissimos lapides de torrente, & misit eos in PERAM pastoralem.* Atque ita ea applicat, ut, velut David quinque lapides e torrente lectos in *peram* condidit, sic ipse quoque ex humanæ omnis doctrinæ fluentis depromtos scrupos totidem *Peræ Literariæ* loculamentis includat. Ac neque infrequens ait *Pera* sive ילקוט nomen hoc sensu apud Judæorum Magistros, quippe quo illis Excerpta ac Monita Sapientum veniant; sed & apud Latinos scriptores usurpari, Æsopi apud Phædrum exemplo docet, qui *peras nobis Jovem duas imposuisse*, alicubi ingeniose fingat.

Id monendum est præterea, pleraque ab Autoris filio mandata fuisse memoriæ, vegetæ apud pueros cumprimis tenacique, & disciplinas fere omnes ita tradi, ut quæstioni addita sit responsio; qui optimus docendi & tradita retinendi modus a doctissimis semper viris fuit habitus.

Sunt autem Loculamenta quinque, sex voluminibus peculiaribus comprehensa, in quibus quid reconditum sit, sigillatim nunc exponemus.

Igitur Loculamento *primo* (in cujus Præfatione linguæ Latinæ
p. 3. 4. usum tantum non esse, ut ea carere prorsus nequeamus, aut sine ea
p. 9. doctus nemo fieri possit, affirmat) insunt: de *Particulis Latini ser-*
p. 11. *monis* ex Horatii Tursellini libro de Particulis *Excerpta*, quas ut
p. 6. plurimum negligi, & pueros vix balbutientes ad Latinæ linguæ lo-
p. 10. quelam ineptissimo consilio conatuque assuefieri, vehementer dolet; commemorans insimul, illustrissimum Joh. Weickhartum AUERSPERGIUM Principem, Ferdinandi III. ac IV. Aularum supremum Præfectum, in musei sui mensa semper Lexicon, Grammaticam & Tur-
p. 105. sellini de Particulis librum ad manus habuisse repositos. Ista vero Ex-
p. 136. cerpta sequuntur alia ex Phœdri Fabulis, atque hæc rursum alia ex Cur-
p. 231. tio, tum porro ex Plinii Secundi Epistolis, exque Cicerone demum;
p. 310. Gnomæ dein illustres veterum sapientum, singulæ sub titulis suis collocatæ

locatæ; Artisque Rhetoricæ, Poeseos Germanicæ Latinæque, tum de p. 381.
copia verborum, ac tandem de stylo, præcepta singularia. p. 822. 677

Loculamentum *secundum* complectitur Synopsin Doctrinæ p. 775. 832.
Sphæricæ, Præcognita Geographica, Mnemonica Geographica, & Sy- p. 1. 25.
nopsin Geographiæ; in quibus plurima tradit egregia omnino, ac par- p. 61.
tim ab ipsomet, cum peregrinaretur, olim observata; quæ juvabit pro
instituti nostri ratione delibasse. Itaque inter alia refert, Evoræ Lusi- p. 91.
taniæ urbe in foro mensis adsidere tabelliones, qui omnibus eorum
opera indigentibus, soluto pretio operam locent in scribendis amato-
riis aut aliis epistolis, vel epicediis, epithalamiis, syngraphis, libel-
lisque supplicibus; eundemque morem passim in Hispania obtinere.
Compostellæ affirmat fide famæ, superesse *Athaulphi* Præsulis infulam, p. 95.
quæ jusjurandum concipientium capitibus soleat imponi, & qua ii, qui
fidem pejerando fallant, sese exuere amplius non possint. Tabulas de- p. 107.
hinc Alphonsinas Toleti asservari ait, quæ Alphonso Hispaniæ Regi
tonnis auri 4. constiterint; & in Galliæ castello *Bois de Vincen-* p. 135.
nes vas vetus æneum argento incrustatum, cujus usus sit Regum Gal-
liæ liberis baptismo lustrandis, asservari. Estq; porro legere jucundum, p. 151.
quod insignia urbis Biturigum (*Bourges*) asinum repræsentent cathe-
dræ insidentem, unde qui indigni honoribus literariis admoventur,
Bituricensium insignia referre joculari verbo dicantur. Templi ca- p. 158.
thedralis Lugdunensis in Gallia notam esse inquit in porta anteriore
lepores quatuor, quorum singuli sigillatim binis auribus præditi vide-
antur, cum universe non nisi quatuor aures numerentur; atque in
templi cathedralis apud Santones (*Saintes*) S. Petro dicati muro ex- p. 162.
teriori penultimæ Alphabeti literæ Y signum extare, indicem, tot Ca-
rolum M. cujus illud opus feratur, in Galliis templa excitasse, quot il-
lud elementum præcedant literæ aliæ: Julii vero Cæsaris Scaligeri se- p. 163.
pulchrum & cranium occipiti acuto notabile monstrare Agenni Fran-
ciscanos; quemadmodum Montispessulani Francisci Rabelæsii scri- p. 169.
ptoris admodum festivi mordacisque, & qui in Academia, qua urbs
illa gaudet, docuit, pileus & toga adhuc dum serventur, quibus se in-
duant Candidati supremorum in Medicina honorum, cum profectu-
um suorum specimina edunt, hisque ait in solemni inauguratione,
vade & occide Cain, acclamari ex veteri consuetudine. Suizeros sive
Helvetios nomen suum illud non a pago Suitz, in quo primum pro li- p. 182.

bertate fuit pugnatum, sed a voce *Suecus* habere, & Suiceros Suecorum propaginem esse, cum quibusdam arbitratur. Pagum vero *Uriensem* sic dici non ab urbe Uri, sed a Uro bove sylvestri, cujus caput pagus hic habeat in insignibus, præsertim cum ingruente bello, qui ex incolis classicum, ingens cornu more peculiari inflans canit, *Urus Uriensis*, der Stier von Uri/ appelletur, contendit. Occasionem Helvetici fœderis Bernensi armamentario hoc disticho inquit esse inscriptam, ac tradit posteritati:

p. 198. (margin notes: p. 198. p. 198.)

Da Demuth weint und Hochmuth lacht/
Da ward der Schweitzer Bund gemacht.

p. 246. 247. Deinceps, quando ædem Lauretanam delineat, conclavis istius, quod B. Mariæ domunculam ex Pontificiorum fide complectitur, inscriptionem, prout ipsam descripsit olim, simul adfert, quam nos quoque hic inseremus:

CHRISTIANE HOSPES;
Qui pietatis votiva causa huc advenisti:
Sacram Lauretanam Domum vides, divinis
Mysteriis & Miraculorum gloria, toto Orbe
terrarum venerabilem. Hic sanctissima
DEI Genitrix Maria in lucem edita; hic
ab Angelo salutata; hic æternum DEI
Verbum Caro factum est. Hanc Angeli
primum e Palæstina in Illyricum advexere,
ad Tersactum oppidum, Anno salutis
M CC XCI.
Nicolao IV. Summo Pontifice. Triennio post,
initio Pontificatus Bonifacii IIX. in Picenum
translata, prope Recinetum urbem, in hujus collis
nemore, eadem Angelorum opera collocata est:
ubi loco, intra anni spatium, ter commutato,
hic postremo sedem divinitus fixit, anno abhinc
CCC. Ex eo tempore tam stupendæ rei novitate
vicinis populis in admirationem commotis,
tum deinceps miraculorum fama longe lateque
propagata, sancta hæc Domus magnam apud

omnes

omnes gentes venerationem habuit, cujus parietes nullis fundamentis subnixi, post tot seculorum ætates, integri stabilesque permanent. Clemens Papa VII. illam marmoreo ornatu circumquaque convestivit, Anno Domini 1525. Clemens IIX. Pont. Max. brevem admirandæ translationis historiam, in hoc lapide inscribi jussit, Anno 1590. Antonius Maria Gallus S. R. E. Presb. Card. & Episc. Auxini, S. Domus Protector, faciundum curavit.

Tu, pie Hospes, Reginam Angelorum, & Matrem gratiarum hic religiose venerare; ut ejus precibus & meritis a dulcissimo Filio, vitæ auctore, & peccatorum veniam, & corporis salutem, & æterna gaudia consequaris.

Hannoveram urbem a cerevisia, quæ ibi optima ex tritico coquatur, commendat, & quæ Breyhahn nomen inde acceperit, quod *Conradus Breyhahn* e pago Stœcken Hannoveræ vicino oriundus, & Hamburgi artem coquendæ cerevisiæ edoctus, facto anno 1526. periculo, longe meliorem Hamburgensi cerevisiam, & qualem Poeta vocat, insanum bonam, produxerit, hoc disticho a nonnemine celebratam: p. 293.

Grandia si summo fierent convivia cælo,
Breyhanam superis Juppiter ipse daret.

Pragæ id notatu esse dignum dicit, quod in macello, etiam cum maxime calet æstate, nulla musca carnes sectari & inficere soleat, arcente eas musca quadam, ad cœlestium astrorum singulares influxus ex materie ignota effecta, qua illius artifex supremum, quod meruerat, supplicium effugerit; & Onoldsbachii refert in Technophylacio asservari Ovidii Metamorphosin, totam secundum omnes fabulas ab *Andrea Neubergero*, amico suo singulari, e cera scitissime expressam. Quæ vero de Maximiliano I. Imp. narrat, pene fidem superant, vera tamen; quod nempe is Ulmæ, in excelsæ turris, antequam pinnis & lorica cingeretur, extremis lapidibus ita steterit, ut alterum quidem pedem in libero aere extulerit agitaritque, alterius vero pedis partem dimidiam extra solum in quo consistebat, promoverit, media tantum p. 316. p. 360. p. 369.

plantæ parte nixus; monstrarique ait etiamnum locum in quo constiterit Imperator, fidem faciente rei gestæ inscriptione adjecta. Singu-
p. 377. lare porro mulierum alias convitiis proscindentium pœnæ genus apud Mülhusienses annotat, ubi maledicæ collo lapis 25. librarum pondere, qui caput muliebre linguam exsertam habens refert, atque der Klapperstein sive *lapis blatero* dicitur, appendatur, atque sic ea ornata, quando hebdomadariæ nundinæ celebrantur, ab apparitoribus
p. 418. per forum circumducatur. Incolas urbis Swollensis monstrare adhuc refert *Thomæ Kempis* imaginem, cui subscriptum symbolum, quo vivus uti consueverat: *In omnibus requiem quæsivi, sed non inveni, nisi* Hoecxkens oder Böcxkens/ hoc est, *nisi in angellis sive abditis recessibus*
p. 431. *& libellis*. Quem dein, ubi de Haga Comitis agit, promittit *Autor* librum *de Hebræo-Germanica literatura nostratium Judæorum*, propediem ge-
p. 432. stimus videre. Falli eos arbitratur, qui Erasmum Roterodamum vulgo conceptū persuadeantur, cum patre Gerardo Sevenburgensi & matre
p. 566. Margareta, Petri Medici filia, in lucem fuerit editus. Horologia dicit in Suecia esse rarissima, temporum tamen vices ex rupium umbris, prout hac vel illac conspiciantur, satis commode ab incolis distingui.
p. 586. Finlandorum linguam litera F plane carere observat ex Andrea Buræo, nec ullum eam habere vocabulum, quod a B. D. G. duabusve consonantibus incipiat; unde inhabiles illi existant aliis linguis recte
p. 607. addiscendis: itemque Tartaros cæcos nasci, nec oculos ante quintum diem aperire, instituente adeo ipsa natura inter eos & bruta similitu-
p. 617. dinem aliquam. Cosacos putat hoc nomen vel a *Cosa* id est *capra*, cujus agilitatem & inaccessa adeundi libidinem gens ista imitetur, vel a
p. 628. *Cozac*, quæ vox vagum militem viventemque ex rapto significet, esse sortitos. Thorunii in Borussia duas in Bibliotheca Ciceronis epistolas
p. 715. cereis tabulis inscriptas inquit ostendi; & Saracenos ab Arabico *Sara-*
p. 724. *ca*, quod *furatus est* significat, dictos esse persuadetur, negatque demum in Meccana urbe reliquias Muhammedis ullas, præter alterius pedis sandalium, extare.

p. 122. Sectio hujus Loculamenti *altera* de *Judæis* agit ac de *Zigeunis*.
p. 136. ſſ. In illis a crimine necis in Christianorum infantes defendendis operose
159. ſſ. occupatur, cujus criminationis originem a Gentilibus petit, quippe quos notum ait Christianos epularum ejusmodi nefandarum accusasse, eosdemque cum Judæis ab iis pari fuisse ratione tametsi per injuri-
am

am habitos. Cromwellium Angliæ Protectorem memorat ab Judæis p. 126.
Messiam fuisse creditum, frigidam ipsorum opinioni suffundente Isaaco Peyrerio. Quod vero Judæi hic illic in Germania *luteũ annulum* gestare cogantur, ejus rationem probabilem ex Nicephori Callisti Hist. p. 132.
Eccl. L. XIII. cap. 14. petit, apud quem Judæi in seditione, quam regente p. 133.
Alexandrinam Ecclesiam S. Cyrillo, adversus Christianos ibi concitarunt, leguntur *communi consilio coacto, de signo & tessera inter se convenisse, ut unusquisque videlicet annulum e cortice surculi palmæ gestaret, & noctu Christianos aggrederetur:* redditque porro causam ejus moris, quo a Judæo forte fortuna occurrente Germani sibi fas p. 133.
putent tesserarum triadem, einen Pasch-Würffel / extorquere. Scilicet eum putat non tam a sortitione militum circa tunicam Salvatoris inconsutilem, quam inde provenire, quia Judæi quondam merces suas & scruta venum exponentes aut circumferentes, ut facilius ea distraherent, suaserint licitatoribus, aut iis qui occurrebant, ut tesserarum jactu fortunæ arbitrio permitterent, uter ex duobus solutionem præstare, aut rem sine pretio auferre deberet; quale acquisitionis genus etiam inter Christianos, Lutetiæ vero in nundinis S. Germani unice fere vel saltem præcipue commemorat obtinere. Postquam igitur animadversum, Judæos communiter tesseris instructos esse, primum precibus obvios Christianos ab iis ait contendere cœpisse, ut se tesseris donarent; haud aliter ac Romanæ Ecclesiæ addicti pueri puellæque, & interdum ætate provectiores quoque, viso monacho aliquo, sacras imagines ab illo expetere soleant. Tandem vero proba re satagit, primos *Ziegeunos* fuisse Judæos, duplici potissimum argumen- p. 165. II.
to usus, ita quidem, ut dicat, Judæorum seculi XIV. medio, ob veneficia & alia ipsis imputata crimina, acerbissimis suppliciis damnatorum magnam colluviem in sylvas concessisse & loca abdita, ex iisdemque post sæculi dimidii decursum rediisse sub duce *Zundel*, (quod vocabulum esse Judaicum putat) sed ne periculum novum incurrerent, Ægyptios sese ex vero simulasse, quippe quod ipsorum majores ibi diu p. 169.
vixerint, & ut tutius laterent, suam Ebræorum linguam cum Germanica miscuisse; ex quo alteram assertionis rationem arcessit, inque fidem ejus porro ex Moscheroschii *Satyricis Visionibus* Lexicon vocum Ziegeunis usitatarum recenset. Eosdem vero inquit artes eas, quas ipsorum majores a Mose fuerint edocti, nempe de extinguendis in- p. 173.

 cen-

cendiis, & vaticinandi ex manuum lineamentis, esse professos, Zigeu-
p. 175. nosque dictos ab oberrando, vom Einherziehen. Cum vero sensim
Judaei in pagos primum, ac deinceps etiam in oppida reciperentur,
erraticam tamen eam Rempublicam perstitisse, auctam porro malefe-
riatorum hominum ac praedonum colluvie.

p. 1. 103. Loculamento *tertio*, Volumini III & IV, insunt *Mythologia ve-*
p. 129. *terum*, *Praecognita Historica*, *Mnemonica Historica*, quibus nomina
Imperatorum & Regum singulorum seculorum sententia aliqua mne-
p. 187. monica est Autor complexus. Sequitur *Synopsis Historiae universalis*,
quae per millenaria & Monarchiae IVtae secula XVII. usque ad haec no-
stra tempora deductam historiam exhibet, cui adjunctus est volumine
p. 829. quarto *Nomenclator Regum ac Principum Europae*. Equidem in hoc
utroque Volumine quamplurima extant notatu dignissima, & ab aliis
non aeque observata; Verum etiam ex illis quaedam decerpere volen-
tes prohibet chartae modus.

p. 1. Loculamentum *quartum* sive Volumen *quintum* continet Sy-
p. 119. 130. nopsin Logicae, Methodum disputandi, Synopsin Ethicae, Oeconomi-
p. 182. 194. cae, Politicae, Physicae, Artis valetudinis corporis & bonae mentis, &
270. Metaphysicae.

p. 367. 481. Loculamentum tandem *quintum* seu Volumen *sextum* profa-
p. 595. ni sacrique Juris rudimenta tradit, videlicet: Synopsin Institutionum
p. 1. Juris, Explicationem Rubricarum Digestorum & Codicis, Synopsin
p. 69. Juris Feudalis, Synopsin Juris Canonici, Analecta de doctrina & riti-
p. 665. bus Romanae Ecclesiae, Regulas utriusque Juris Leopoldinas, quas per
p. 709. Centurias tres in Quindecades divisas, ad singulas hujus nominis sui
p. 913. LEOPOLDUS IGNATIUS H. B. R. literas, Optimus Maximusque
p. 1145. IMPERATOR noster, adhuc Princeps juventutis, simul tamen jam
p. 1193. tum Hungariae & Bohemiae Rex sedulo addidicit, ita quidem dispo-
sitas, ut initia Regularum singularum respondeant totidem sacratis-
simi hujus nominis literis; & tandem Indicem Titulorum Juris Civi-
lis & Canonici.

CONRADI BERTHOLDI BEHRENS D. MEDICI HIL-desiensis Epistola ad G. G. L. de Opere Genealogico Familiarum emortuarum, quod molitur.

SCire ex me desideras, quo in statu sint Disquisitiones meae Genea-
logicae; illae vero ita se habent. Jam ab eo tempore, quo Generos.
Inho-

Imhofius Notitiam Procerum Imperii publici juris fecit, cœpi egomet mecum cogitare, de quodam quasi supplemento præstantissimi illius operis, tractatione videlicet illorum Procerum, qui emortui sunt; idque non alium ob finem, quam quo perfectioni historiæ Germanicæ magis magisque consuleretur. Nec enim sterilem futuram & istam operam ex eo mihi spondeo, quod præter jucunditatem, quæ ex omni re historica capitur, non parum emolumenti hinc ad eos quoque redundaturum sperem, qui vel in feudorum antiquitatibus eruendis, vel in juribus donationibusve seu oppugnandis seu protegendis, occupati sunt; quale negotium cum absque tabularum & diplomatum subsidiis perfici nequeat, & tabulæ actorum publicorum pars sint historiæ certissima, ceu haut ita pridem ipse præclare demonstrasti in præfatione ad Tomum primum Codicis Diplomatici; profecto quoque familiarum emortuarum tractatio quædam suppeditabit, quæ tabulis ejusmodi examinandis, confirmandis, vel rejiciendis inserviant. Paucis multa comprehendo; nec enim, ut coram Te, rerum harum scientissimo, latius de utilitate imo necessitate hujus materiæ agam, opus est.

Ipsam vero tractationis methodum quod attinet, id præsertim agere animus est, ut quæ circa feudorum mutationes, donationes, testimonia perhibita, vitæque tempora accurato examinanda in unaquaque persona occurrunt, bona fide recenseam, ordine juxta annorum seriem, quibus acta sunt: nihil autem solis autoritatibus aut conjecturis meis tribuam.

Atque hæc sunt, Illustris Domine, quæ Tibi de instituto meo significare potui. Quod ipsum cur lente processerit, multa in causa fuere, praxis inprimis quotidiana & ad vicina loca excursiones. Accessit dein alterius laboris interpositio, dum jussu Reverendissimi ac Generosissimi Domini Friderici de Steinberg, Cathedralis Ecclesiæ Halberstadiensis Canonici, ac Serenissimorum Ducum Brunswic. & Luneb. Consiliarii Intimi & in Aula Guelpherbytana Mareschalli, exemplo certe pio, & nunquam satis deprædicando, generosissimam ejus Gentem, antiquissimam pariter & amplissimam, ex Archivis publicis privatisque in ordinem genealogicum cum exegesi historica redigo. Nunc vero in familiis emortuis rursus occupor, cum magni apud nos viri subinde urgeant, & haut ita pridem Generosissimus Dn. Carolus Augustus ab Alvensleben, Dominus in New-Gatersleben, pro

pro ſingulari erga rem genealogicam promovendam affectu, ex ampliſsima omnique eruditionis genere inſtructiſſima beati Dn. Parentis ſui bibliotheca, integrum faſciculum tabularum genealogicarum, manu propria Generoſisſimi Parentis collectarum deſcriptarumque, mecum per Te gratioſe communicarit, eoque ipſo tacite quaſi inſtituti mei monitorem egerit. Absque dubio vero & alii, ſiquidem hoc meum propoſitum ipſis innoteſceret, ſuppeditare ſua non gravarentur, quibus ſive per dignitates, ſive quoque per labores non licet, ut hæc ex profeſſo tractent edantque. Quale quid ut expectare audeam, faciunt etiam proximæ Tuæ, mentionem facientes de Dn. de Greiffencranz, Seren. Holſatiæ Ducis ad Aulam Cæſaream quondam Ablegato, nunc Conſiliario Oſtfriſico intimo, quem in his ſtudiis mirifice excellere, magnamque vim notitiarum egregiarum, occaſione præſertim itinerum undiq; congeſtarum poſſidere, coram perſpexiſti; ut & de Dn. Fabricio Præpoſito feudalis Curiæ Herbipoli, qui quantum rebus his diligentiæ tribuerit, etiam deprædicas. Nec Temetipſum denique voto huic meo, pro ſummo Tuo in rem literariam, inprimis vero hiſtoricam augendam deſiderio, defuturum ſpero. Hisce vale, Patrone ſumme, meamque operam, quam ſolum ad alios excitandos ſuſcepi, æqui bonique conſule. Scripſi Hildeſii 8. Sept. 1695.

DES DEVOIRS DES PASTEURS ET DES PEUPLES par rapport à la Perſecution & au Martyre.

id eſt;

De Officio Paſtorum & Populorum reſpectu perſecutionum & martyrii.

Roterodami apud Abrah. Acher, 1695. in 8. Alph. 2. pl. 4.

REvocat Autor ſub examen quæſtionem illam, jam per aliquot annos inter Reformatæ Eccleſiæ Doctores ex Gallia ejectos agitatam, ſintne Paſtores profugi obſtricti in Galliam redire, ut revocare in viam errantes, ſuppliciorum metu ad Eccleſiæ Romanæ ſacra adductos, inque rectum reducere tramitem posſint? Aſt cum difficile ſit hac de re ferre ſententiam, niſi conſtiterit prius, fuerintne Paſtoribus juſtæ prægnantesque cauſæ, ut grege, quem tueri omni ratione debebant, maximis graviſſimisque periculis expoſito, ſaluti ſuæ vitæque fuga conſulere potuerint; ſimul & de ipſa Paſtorum fuga ejusque cauſis ſibi expo-

exponendum accuratius esse intellexit. Etenim si forte præter rationem, lege divina violata, stationem deseruerint Pastores, sane eo magis nunc illorum partes erunt, insuper habito omni quod illis imminet periculo, animas infernalis genii faucibus eripere, quæ quod iverint in præceps, utique penes illos stetit. Sane quidem Pastores hosce ab aliis ob fugam arreptam provinciæ non bene administratæ argui, excusari aut absolvi ab aliis, ex iis etiam, quæ ex *Judicio integro seu partium studiis vacuo* (desinteresse) *de abitu Pastorum*, itemque *Defensione Apologiæ pro Pastoribus Gallis A.* 1689. *mense Jun. p.* 324. & 329. retulimus, patet. Initio itaque ea præmittit Auctor, quæ causæ huic rite dijudicandæ inserviunt. Nihil obstare probat, quo minus de fuga Pastorum, sitne laudanda an vituperanda, ferri sententia possit. Istum quoque furorem, quem Romanenses in Reformatos effuderunt, ad Ministros præcipua quadam ratione spectasse, ex rerum gestarum serie palam esse contendit. Hinc quærit: debeatne Pastor Principi jubenti, ut gregem sibi demandatum deserat, obedire? Obediendum esse, exemplo Athanasii quidem & Eusebii Samosateni comprobat: sed tamen dispiciendum monet, an singulis, an vero universis provinciæ aut regni cujusdam Pastoribus hoc Princeps injungat. Si illud sit, obediendum esse mandato: sin hoc, neutiquam ad hoc obstringi Pastores. Hac occasione refellit Auctorem *Judicii integri*, existimantem, peccasse Pastores Gallicanos, dum mandato Regis, quo certis formulis durioribus contra Romanenses uti prohibebantur, obsequium præstiterint. Enim vero redarguendos esse veritatis hostes palam & libere, ast sine verbis contumeliosis, aut quæ animum odio aut ira accensum arguant. Placidos enim mores ut semper, ita in hoc quoque certamine, maxime divini verbi Ministros decere. Nec in Prophetarum aut Apostolorum exemplis, ullum præsidium Auctorem invenire: id quod pluribus persequitur. Negat itaque, quod itidem Auctor *Judicii integri* asseruerat, Reformatos Gallicos ideo tam facile aut terrori aut blandimentis hostium succubuisse, quod Pastores se induci passi sint, ad errores Romanensium molliori quadam & effœminata ratione refellendos: longeque alias hujus rei causas esse, autumat. Nec placet illi, quod idem Auctor putat, Pastores perperam egisse, dum mandato Regis de illis, qui sacra Romanensium fuerant amplexi, Presbyteris item Monachisque non recipiendis, tam prompte

Pars I. Cap. I.

fuerint obsecuti. Etenim si recusassent hic morem gerere voluntati Regis, longe graviora mala suis cervicibus attracturos fuisse; quod summæ fuisset imprudentiæ. Tandem addit, effatum istud Servatoris, *Reddite Cæsari* &c. utcunque etiam explicetur, non tamen patrocinari sententiæ, quam Auctor *Judicii integri* defendendam suscepit.

CAP. II. Homines esse divini verbi Ministros, fatetur. Quæ ergo ratio hominibus, iis quoque qui Christianorum sacris imbuti sunt, permittit, ut periculis maximis se subducant, nec Pastoribus esse deneganda, modo demandati muneris ratio non aliud quid exigat. Hinc effatum Servatoris *Matth. X. 23.* explicat, illudque non tantum ad Apostolos, sed omnes cujuscunque gentis aut seculi Pastores spectare, ex iis, quæ in hoc sermone Servatoris præcedunt & sequuntur, evincit, Auctoremque Judicii integri, secus sentientem, iterum refellit. Nec obstare putat, quæ in eodem commate adduntur, de adventu Filii hominis, idque fusius exponit. Dissentire in oraculi hujus explicatione Auctores Apologiæ & Judicii integri, observat: si tamen cuncta rite expendantur, palam fieri, quod Christo Servatori constitutum sit, edocere discipulos suos, quo pacto in munere sibi injuncto se gerere debeant, ne sperato facile excidant fine, simulque viam illis monstrare, qua vitæ suæ consulere, gravissimaque pericula commode evadere possint. Chrysostomum aliosque divinarum literarum interpretes solertissimos non secus sentire, eosdemque itidem ad omnes Christianos & divini verbi Ministros hocce oraculum referre. Neque Christum Servatorem in hocce effato fugam discipulis tantum permittere, sed & præcipere, porro evincere annititur: non obstante maxima, quæ hominibus innata est, ad mala quævis declinanda pronitate; cum facile fiat, ut, dum vitare homines vitia volunt, in contraria ruant, temeritasque & inconsultus impetus zeli nomen induat.

CAP. III. Alterum, quod diligentius sub examen revocat, est illud Servatoris de bono pastore & mercenario oraculum. Hic initio quidem largitur, per Pastorem bonum primario quidem & præcipua quadam ratione, ipsum Servatorem intelligi. Nihil tamen obstare, quo minus ad officia Pastorum hocce quoque oraculum trahatur. Pastoris itaque boni esse, vitam quandoque mortis etiam periculo exponere, saltem ut lupi faucibus oviculam eripiat. Atque hoc Christum quidem excellentiori quadam ratione præstitisse: ut tamen viam Christiani

ni vestigiis Servatoris signatam ingredi, eumque imitari debeant, ita Ministris verbi divini hasce præ cæteris incumbere partes, ut vitam spiritumque dimittere non renuant, si infernalis genii faucibus grex illis demandatus eripi aliter non possit. Neque vero hoc cum priori oraculo pugnare, sed potius inde evidens esse, posse quandoque Pastorem vitæ suæ fuga consulere, contra quandoque illi nefas esse mortis discrimini se subducere. Cæterum qui boni pastoris munere non rite fungatur, illum quidem mercenarium esse. Ast non statim huncce promereri titulum, qui fugit, sed illum demum, qui fugam arripit, cum hoc minime fieri oportebat, cum intrepidum pectus pro gregis salute opponere debebat hosti. Hæc ulterius, descendendo ad singula, ita explicat, ut contendat, quandoque plane fugam a Pastore exigi; quandoque penes Pastorem stare, quid facere velit, idque quinque modis contingere posse, quorum ultimus sit, si grex jam sit dispersus, sed tamen præsto sint pauci quidam, qui etiam aliis sacris jam sunt initiati; quandoque vero plane nefas & inexpiabile scelus esse, si Pastor gregem deserat. Quæ omnia prolixius deducuntur,

Pastoris non aliam quam militis esse rationem, asseruerat Auctor *Judicii integri*. Utrique nefas, deserere stationem. Præterea si civitatem invadat hostis, omnibus quidem civibus incumbit pro salute patriæ vigilare, hostique intrepidum opponere pectus: ast Ducum maxime, & illorum qui militibus præsunt, hoc est munus. Eadem ratione, inquit, cum Pastoribus se res habet. Horum cumprimis hæ sunt partes, hostibus veritatis ire obviam, illorumque conatibus, etiamsi mortis immineat periculum, se opponere. Sed non accurate satis cum militibus aut militum Ducibus contendi hic Pastores, Noster affirmat probatque: multo minus inde evinci, quod nunquam liceat fugere Pastori. Præterea num tempore belli, an vero vexationis, quæ ad veritatis oppressionem spectat, magis licitum sit fugam arripere, dispicit, idque ideo, quia Autores Judicii integri & Apologiæ hoc in capite dissentiunt. CAP. IV.

Hisce præmissis, propius ad caput causæ accedit. Nimirum, qui factum, ut Pastoribus Gallicanis permissum fuerit regno excedere, dispicit, cum nec vires nec voluntas defuerint Romanensibus eos interficiendi, aut ad perpetuos carceres æternosque labores damnandi. Multas quidem rationes affert; præcipua tamen hæc est, quod Galliæ CAP. V.

Rex clementiæ quandam gloriam hoc ipso callide affectasse videatur: licet nec inficiatur, providam Numinis curam, quæ mortalium consiliis nunquam non se miscet, utique & hic omne punctum ferre. Hinc porro asserit, neutiquam obligatos fuisse Pastores in eo rerum statu in Gallia commorari; quin plane eos non potuisse commorari; id quod & Auctor Apologiæ jam multis evicerit. Fugam itaque Pastorum hisce argumentis defendi posse (1) quia nullibi in Gallia commorari potuerint; (2) nemini potuissent suis adhortationibus, aut aliis muneris sui partibus præsto esse, grege prorsus disperso; (3) quia ad summum potentiæ & felicitatis fastigium hostes veritatis pervenerant; (4) quia hæc mala præter opinionem illis evenerint, nullumque ad consultandum aut deliberandum illis concessum fuerit tempus: & quæ id genus alia sunt. Contra nec deesse asserit, quæ evincere videantur, satius fuisse, si in Gallia permansissent, ibique extrema potius expectassent. Zelum pro gloria Numinis vendicanda, amoremq; commissi gregis potuisse difficultates, quantumvis magnas & arduas superare. Nec mala, quæ illis imminuerunt, nimis esse exaggeranda. Calamitates, quibuscum divo Paulo conflictandum fuit, itidem erigere eos & excitare potuisse, ad mortem, aut si quid morte gravius tristiusque cogitari potest, forti & imperterrito animo subeundum. Nihil fere esse, quod æque videatur eos excusare, quam istud, quod non potuerint in Gallia commorari. Ast potuisse commorari eos, utut non sine periculis aut incommodis, extra litem esse: frustra ergo hinc fugæ præsidium peti.

Pars II. CAP. I. Jam de reditu Pastorum in Galliam quid sentiat, exponit. Nimirum par esse, ut Pastores in Galliam revertantur, ad revocandos ab errore pestilenti lapsos, aut confirmandos qui veritatem nondum ejurarunt, contendit: non quidem ideo, quod fuga illorum plane excusari nequeat, ut Auctor Judicii integri existimarit, sed quod ex ratione muneris pro grege, qui illis olim commissus erat, nunc autem in maximis periculis versatur, hoc facere teneantur. Etenim non tolli statim aut solvi obligationem, qua gregi suo Pastor est obstrictus, licet ad tempus munere suo fungi prohibeatur. Nec vero omnibus simul esse redeundum, sed quibusdam, qui præ cæteris ad hoc maxime idonei videantur, & velut peculiari quadam vocatione a Numine excitentur. Hinc causas, quæ reditum hactenus impediverint, exponit, rationibus

nibus

nibusque & argumentis gravissimis serio Pastores exhortatur, ut excusso omni metu, vitæ hujus non tanti faciant usuram, ut non pluris æstiment in acie velut cadere, & pro gregis sui salute vitam amittere.

Sed ne temere quicquam dixisse videatur, ad celeberrimum divi Johannis effatum *1. Ep. III. 16.* quo jubet vitam pro fratribus dimittere, quemadmodum ad hoc nobis exemplum præivit ipse Christus Servator, provocat. Præmissis itaque nonnullis, quæ lucem majorem huic oraculo affundere possunt, per fratres, omnes quidem homines, maxime vero, qui iisdem nobiscum sacris initiati sunt, intelligi contendit. Pro horum itaque salute æterna ne quis vitam cum morte commutare dubitet, id quidem velle divum Johannem: cui legi cum omnes quidem, maxime tamen Pastores, obedire teneantur. Digreditur hinc ad alias quæstiones, & præcipue, an etiam pro vita alterius conservanda, suam projicere quis debeat, disquirit? Exempla varia ex sacris Ecclesiæ annalibus affert illorum, qui aut vitæ aut libertatis fecerunt jacturam, pro alterius vita, aut pudicitia virginis conservanda. Hinc quæ ad institutum facere poterant, postquam deduxit, porro disputat, an ex lege charitatis satius sit, mortem oppetere, quam interficere aggressorem: tandemque hocce divi Apostoli decretum ex fine & scopo Christianæ religionis, exemplisque Apostolorum & Martyrum firmat. Non minus quoque de effato Christi *Matth. X. 28.* & altero divi Johannis oraculo *1. Ep. IV. 18.* prolixe & erudite disserit; sed a nobis, ne instituti migremus leges, hæc sunt prætermittenda. Ne vero quis temere forte in gravissimo hocce negotio se gerat, quid ex prudentiæ Christianæ lege, cum cæteris cordatis veritatis confessoribus, tum maxime Pastoribus incumbat, definit. Nimirum quid in disceptationem hic veniat, postquam monuit, ambigi adhuc posse docet, an quis ex lege charitatis cruciatibus exquisitis se exponere teneatur; saltem summa hic opus esse circumspectione, ne cum Petro plus suis forte tribuant viribus, quam ferre possunt. Numinis itaque non excutiendum ex pectore timorem & reverentiam, sed huic quemvis se submittere debere; id enim bonum esse atque salutare. Nec in auxilio Numinis aliter spem fiduciamque collocandam, quam ut viam modumque, quo eripere nos potest, non ex nostro sensu, sed Numinis voluntate sanctissima & provida cura, metiamur & æstimemus. Quid de effato Pauli *1. Cor. X. 13.* sentiat, hic exponit, fiduciamque in DEO

CAP. II.

CAP. III. IV. & V.

cum diffidentia in propriis viribus componit, cunctaque ad suum institutum apte attemperat. Concludit hinc, perperam istos agere, qui sua sponte, nulla urgente necessitate, maximis se objiciunt periculis, illosque, ut sapere cautiusque agere discant, exemplo divi Petri denuo exhortatur. Non se inficiari porro docet, nihil committendum esse homini Christiano, quod cum officio Christiani pugnet. Sed in eo versari caput causæ, quando officium hominis Christiani exigat, ne periculis se subducat, sed prompte eadem subeat. Respondet quoque ad illud, quod afferri ut plurimum solet, si quis Numen ita, ut par est, metuat & revereatur, hunc quidem nec cruciatus nec tormenta expavescere, & quousque hoc sit admittendum, edisserit. Hæc & alia dum ita docet, Auctorem Judicii integri subinde refellit, interque alia & illud minime probat, quod apostasiam quorundam Protestantium in Gallia cum fuga Pastorum contendit. Licet enim forte utrobique periculorum metus plurimum sibi vindicet, nihilosecius Pastorum & Apostatarum disparem maxime esse conditionem, illosque utique mitiorem promereri sententiam. Tandem monita quædam subnectit, de charitate per timorem Numinis rite temperanda, & ad Numinis divini amorem, qui contemnere intrepide quævis pericula doceat, suos excitat erigitque.

CAP. VI. Quod sequitur caput, de Martyrio præcipit. Fatetur admitti posse illorum sententiam, qui ad officia Christianorum etiam martyrium referunt, modo rite hoc capiatur & explicetur. Interim si quis sua sponte velut ad mortem ruat, eamque subire nulla necessitate urgente gestiat, illum quidem censuram vix effugere, ut Auctor Apologiæ quoque recte existimaverit; idque pluribus rationibus adstruit. Hinc refert ex sacris annalibus exempla eorum, qui sua sponte gravissimos cruciatus ipsamque mortem sibi attraxerunt, additis subinde scriptorum veterum judiciis, eos aut laudantium aut vituperantium. Observat ulterius, veteres illos saltem redarguisse, qui non judicio, sed temerario quodam impetu morti se objecerunt; neutiquam vero illos, qui magna subiere pericula, ut saluti aliorum consulerent.

CAP. VII. Ad Pastores itaque in Galliam reversuros quod attinet, quin plerosque maneat martyrii gloria, non dubitandum est. Auctor itaque, ne ullo cruciatuum metu se deterreri patiantur, sed ad martyrium subeundum parati sint, eos exhortatur. Urget præcipue illud Apostoli

ſtoli *Philipp. II,17.* Quam infinitis modis præmium, quod martyribus expectandum, cruciatuum, quos ſentiunt, acerbitatem ſuperet, demonſtrat. Polycarpi aliorumque hunc in finem effata affert: exemplis illorum idem obtinere annititur, qui magno deſiderio martyrium ſubeundi flagrarunt, ut Origenis, Ignatii, Polycarpi, Baſilii &c. Et licet heroicum plane facinus ſit iſta cruciatuum toleratio, nihiloſecius Chriſtianis omnibus, præſertim Paſtoribus, recte Martyrum exempla ad imitationem proponi judicat.

Idem & in ſequentibus perſequitur. Incommoda & pericula, quæ forte reverſuris in Galliam immineant, non eſſe nimis exaggeranda, denuo autumat. Judæorum, qui ſub Maccabæorum imperio conſtantiæ & fortitudinis poſteritati dedere exempla, meminiſſe, judice Auctore, præcipue juvabit; ſed & veterum Martyrum, quos prima Eccleſiæ Chriſtianæ tulerunt ſecula, ut & infidelium, qui pro errore tuendo ſubire mortem non dubitarunt. Vires autem animique fortitudinem precibus a Numine eſſe impetrandam, docet: nihil denique prætermittit eorum, quæ excitare hominem ad ferendos maximos cruciatus poſſunt. CAP. IIX.

Nec tamen inconſulto quodam & temerario impetu in hæcce pericula ſe conjiciant Paſtores. Quin inſtinctui & impulſui, ſi forte quendam ſentiunt, judice Auctore ita obtemperandum eſt, ut rationes etiam probe ſubducantur. Ut ſemper, ita hic cumprimis circumſpecte agendum, ne ſuſtinendis cruciatibus deinceps ſint impares, ſeque adeo in mala longe graviora dent præcipites. Acriter hoc urget Auctor, & oraculo Chriſti Petrum ſuæ temeritatis admonentis illuſtrat atque confirmat. Ut itaque ab inconſulto impetu quoſdam revocat, ita illos qui doloribus aut metui ſuccubuere, itidem divi Petri exemplo erigit, bonumque capeſſere animum jubet. Hinc porro docet, quam voluptatibus cunctis mundique delitiis mittere nuntium debeant, qui hocce ſubire munus audent, quam debeant cuncta deliberato conſilio, non animi impetu ſuſcipere, & quæ ejusmodi alia ſunt. Pluris quoque illis internum impulſum, quem vocationem vocant, rationibus firmatum, eſſe jure meritoque, quam cuncta, quæ illis objici poſſunt obſtacula. Sed & ſorti quandoque rem eſſe committendam, ſi dubium ſit, cui hocce munus injungi debeat, modo caute hoc fiat, eaque ſedulo obſerventur, quæ obſervanda eſſe prolixe Autor docuit. Tandem præcipue CAP. IX.

pue id quoque esse attendendum, ut illis, qui in Galliam revertentur, nihil aliud constitutum sit, quam revocare errantes, & veritatis cœlestis regnum stabilire & dilatare.

Pars III. Tertia denique & ultima parte, quo pacto se gerere debeant, quando in Galliam reversi fuerint quidam Pastores, edisserit. Nimirum ut in clandestinis conventibus id exequantur strenue, quod muneris illis demandati ratio postulat, præcipit. An tales conventus liciti sint, disputat; id quod affirmat: numerosiores autem conventus atque conciones neutiquam institui posse, asserit. Addit plura de misera Ecclesiæ Gallico-Reformatæ facie, deque natura & indole regni gloriosi, ab ipso Christo Servatore stabiliendi.

LIBRARIA BRESCIANA PRIMA E SECONDA PARTE, nouamente aperta dal M. R. P. Maestro LEONARDO COZZANDO Servita Bresciano,

id est:

Bibliothecæ Brixianæ recens patefactæ a LEONARDO COZZANDO Pars I. & II.

Brixiæ apud Joh. Mariam Rizzardi 1694. in 8. plag. 19½.

EQuidem jam Actorum horum anno 1686. p. 385, cum Partem hujus Bibliothecæ primam edidisset *Autor* clarissimus, quæ ratio instituti ipsius sit, exposuimus. Nunc vero denuo de hac Bibliotheca nobis dicendum, postquam non solum prima ejus pars iterum prodiit, sed & accessit secunda, quæ ultra ducentos scriptores Brixianos complectitur. Quædam autem modo seligemus speciminis loco, non injucunda forte scitu futura.

P. I. p. 44. *Antonium Codrum* (*Urceum* dictum, quod ex Brixiano munimento *delli Orci Nuoui* esset oriundus) Lectorem in Academia Bononiensi, doctissimum Virum, ob edita anno 1502. in fol. Miscellanea, & Supplementum Aululariæ Plauti, commendat Auctor, eumque refert sub Imperatoribus Sigismundo & Friderico III. floruisse, mortuum Bononiæ ætatis anno LXX, atque de ejus vita esse commentatum *Bartholomæum Blanchinum*. Scribit porro, *Antonium Ricciardum*, libro peculiari *della precedenza delle lingue* sive de prærogativa linguarum, in ea esse opinione, quod Cimbrorum lingua Ebræam nobilitate atque antiquitate superet. *Bartholomæum Partenium*, qui circa annum 1480. floruit,

p. 46.

florentem, Vitam ait & Historiam Thucydidis e Græca lingua in Latinam transtulisse; quemadmodum etiam *Brocardus Pilade* sive *Pylades* p. 60.
Theogoniam Hesiodi Latinam fecerit, illustraritque Plauti Comœdias Venetiis A. 1528. in fol. excusas. Dein refert *Franciscum Tertium* p. 88. 89.
de Lanis sive *Lanam*, cujus aliquoties etiam a nobis facta mentio est, Brixiæ obiisse d. 26. Febr. A. 1687; tum *Johannis Britannici* Commenta- p. 106.
ria in Persii Satyras Basileæ per Frobenium edita, & alia ejusdem in Terentii Comœdias Lugduni Galliæ A. 1522. excusa laudat, quæ eo lubentius allegamus, quod non omnibus nota sint. *Johannis Andreæ Ugo-* p. 110.
nis Æneidem Virgilianam Italicis versibus redditam, ait plurimum fuisse probatam Torquato Tasso, Italorum poetarum principi, eumque obiisse anno 1540. Inde suorum ipse *Autor* librorum, vel qui jam pro- p. 155.
stant excusi, vel quos domi habet adhuc affectos, ætatis anno, cum hæc scriberet, LXXIV. constitutus, censum init, ex quibus tantum p. 158.
extantiores aliquot hic allegabimus. Suntque hos inter, quos sua vernacula scripsit: Bibliotheca Brixiana; Vita Pauli Bigonis Servitæ; Historia Brixiana, 1694. in 8; Vita Joh. Francisci Quinzano, Mediolani in Poetam Laureatum a Ludovico XII. Franciæ R. coronati A. 1509, Bri- p. 119.
xiæ 1694; Vitæ Sanctorum ordinis Servitarum, Viennæ 1693; Brixia urbs illustrata libris VI; Vita Alexandri Maji Protomartyris Ecclesiæ Brixianæ, libris II. In Latina vero lingua: de Magisterio antiquorum Philosophorum libri VI, Colon. Allobr. 1684, quos plurimis mendis deformatos prodiisse vehementer dolet; tum porro, Epicurus expensus libris X; de humana felicitate ad mentem Epicuri, libri III; de percipienda veritate ad aures Platonis, libri II; de præstantibus doctrina viris, qui alienis fontibus hortulos suos irrigarunt, Syntagma; de varia lectione libri II; de Episcopis Brixiæ libri III.

Parte secunda *Blanchinum Blanchini*, Oratorem clarissimum, P. II.
repertum esse narrat d. 7. Decemb. A. 1673 mortuum, sedentem ad fene- p. 236. 237.
stram & manu calamum tenentem. Porro *Johannem Bucellenum* e p. 266. 267.
Soc. Jesu memorat varios libros, suppresso suo nomine, ex Italica lingua in Latinam transtulisse & evulgasse, quos hic adnectere placet:

1. Christophori Borri Relatio de Cocincina. Viennæ 1633.
2. Achillis Gagliardi Compendium Christianæ perfectionis, Viennæ 1633.
3. Martini Roa de statu animarum Purgatorii. Viennæ 1633.

4. Georgii Ferrarii Vita spiritualis descripta per Spiritum S. Psalmo XVII. Ibid. 1637.
5. Praxis meditandi mysteria Christi, Beatæ Virginis & Sanctorum. Ibid. 1637.
6. Vincentii Caraffæ Fascieulus myrrhæ de quinque Christi vulneribus. Ibid.
7. Francisci Cerealis Cremonensis Idea Sacerdorum. Ibid. 1642.
8. Georgii Ferrarii selecti affectus sponsi cœlestis & animæ devotæ, excerpti ex Canticis. Ibid. 1651.

p. 267. Eum vero narrat diem suum obiisse Viennæ d. 1. Novemb. 1669.

Atque hæc sufficere possent, nisi ad complendam quadantenus Litterariam, quam in his Eruditorum Actis A. 1682. pandere cœpimus, Historiam, indicandos benevolo Lectori ex Brixiensi hac Bibliotheca censeremus nonnullos libros, qui ex eo tempore prodierunt quidem, sed quod ad manus nostras non pervenissent, recenseri justo studio
p. I. non potuerunt. *Ambrosii Geroldi* I.C. laudatur a Cozando nostro
p. 32. carmen, in librum Historiarum Venetarum illustrissimi Dn. Baptistæ Nani, Equitis & D. Marci Procuratoris, A. 1688. Brixiæ excusum; cujus & memoratur libellus, cui titulus: *Espositione del Marmo di Vitore Mauro, & d' alcuni altri Marmi antiqui conferenti all' istesso*, Bri-
p. 36. xiæ A. 1685. editus. *Andreæ Manentis*, qui jam A. 1673. S. S. Martyrum & Protectorum civitatis Brixiensis Faustini & Jovitæ, A. 1674. autem S. S. Episcoporum Brixiensium Apollonii & Philastrii Vitam Italico sermone ediderat, Doctoris etiam subtilis Johannis Duns Scoti Vita A. 1684 eadem lingua evulgata perhibetur, qua & innocentia ejus
p. 90. vindicetur, & destruatur fabula de ejusdem morte. *Franciscus Martinenghus*, cui Librum de origine & stemmate gentis Martinenghæ, nec non Commentarios Historicos de civitate Brixiensi antehac editos debemus, A. 1685. Brixiæ sequentem librum edidisse dicitur: *I Tesori della divina Providenza racchiusi nelle santissime Croci di Brescia, con la loro origine, simboli, uso antico e prodigii.* Eodem anno *Fulgentii Rinaldi de Iseo* Religiosi Capuccini liber Brixiæ prodiisse dicitur: *Monimenti Historiali dell' antico & nobile castello d' Iseo.* Refe-
p. 146. runtur & orationes diversæ *Hermetis Francisci Lantanæ*, quas inter & funebris est in obitum D. Camilli Martinenghi, Academiæ Errantium dum viveret principis, A. 1683. habita. Lodroniæ Familiæ genealo-

nealogiam *Bartholomaeus Corsettus* A. 1683. edidit, hoc titulo: *Lodronii Leonis vetustatis & virtutis inclita Monumenta.* Laudantur & opera *Clementis da Sali* Dominicani, Vita nimirum Pii V. Pontificis, volumen variorum Elogiorum, & volumen aliud Vitas diversorum Principum complexum, nec non Quadragesimale; quae omnia Brixiae, & postremum quidem A. 1682. in lucem prodierunt. Denique nec praetereundus *Francisci Galli*, JCti Brixiani, Tractatus *de Fructibus*, Genevae A. 1690. typis exscriptus. p. 11. p. 232. p. 242. p. 251.

ESSAIS SUR LA VIE DE LA FEUE REINE D' ANGLEterre, par Mylord BURNET, Eveque de Salisbury.

hoc est:

Meditationum super vitam defunctae Reginae Angliae Specimina, auctore Dn. BURNETO, Episcopo Sarisburiensi.

Hagae Comitum, apud Adrianum Moetjens, & Germanice versa Lipsiae apud Jo. Ludovicum Gleditschium, 1695. in 12.

Constant plag. 8.

QUemadmodum Principes, quibus ea, dum mortalium rebus intersessent, cura & studium fuit praecipuum, ut de humano genere universo, & imprimis de populis a se regnatis bene mererentur, nunquam ingeniis destituuntur, quae laudibus ipsorum depraedicandis suam testatam faciant pietatem; ita facile nobis licebat augurari, postquam augustissima Magnae Britanniae Regina, MARIA, post gestum cum immortali laude Principatum, vitam cum morte commutasset, eandem vocibus & calamis virorum eloquentissimorum celebratum iri. Quum enim & ipsa non de gentibus solum, quas suis sceptris obnoxias habuit, sed de universa Europa, qua sanctissimo foedere conjungitur, in tantum optime meruerit, in quantum & exquisitissima prudentia atque regendi populos peritia cum imperterrita animi in rebus etiã adversis praesentia conjuncta, ac fides prorsus inviolata intelligi potest; quidni omnes, qui amore & cura rei tanguntur publicae, & tantae rei pares in se esse sentiunt vires, deducendo incomparabilis Reginae praeconio sese accingerent? Ubi tamen in pietatis hoc officio illis primae sine dubio partes, quos & merita serenissimae Reginae, & nunc luctus ex immaturo ejus obitu propius spectat, rectissime conveniunt. Neque profecto muneri suo defuit inclyta Britannorum natio,

ſurgentibus hinc inde viris oris eloquentiſſimi fama præſtantibus, qui Reginæ MARIÆ laudes exquiſitiſſime deſcriptas æternis monumentis inſculpere conati ſunt. Hos inter reverendiſſimus Sarisburienſium Epiſcopus GILBERTUS BURNETUS, jure meritiſſimo primo loco nominandus eſt, qui his Meditationum in Vitam Reginæ cum omnium ſeculorum maximis comparandæ SPECIMINIBUS, quanta fuerit, orbi oſtendere voluit. Quod opus quum fideliter quæ laudanda fuerunt in Regina (quanquam quæ non fuerunt?) perſequatur & exponat, adduci ſe facile paſſi ſunt viri duo reverendi, in Belgio, *David Mezelius*, verbi divini Miniſter, qui in Gallicam; & hic Lipſiæ, *Jo. Georgius Pritius*, noſtras, qui in linguam Germanicam illud transfunderent.

Ne vero expectet Lector benevolus, usque dum panegyricum hunc ſermonem excerpamus. Qui enim reliqua diſertiſſimi Præſulis deguſtavit opera, cujusmodi plura & nos ſubinde recenſuimus, non poterit non ad totum ſcriptum evolvendum excitari; & res, quæ hic recenſentur, tam ſingulares ſunt omnes, ut difficillimum fuerit inſigniores tantum exinde decerptas a nobis repeti. Saltem cum ſermo animi feratur index, nos quæ ex ore illuſtrisſimæ Heroinæ prodiiſſe obſervata fuerunt, breviter ſiſtemus, ut ex iisdem admirabilis ejus
p. 79. pietas, prudentia, aliæque virtutes plane regiæ exſplendeſcant. Uti ſemper Regina aliquid egit, ita dicere conſueviſſe memoratur: *ſe habere otium pro re omnium periculoſisſima, & quæ mentes quam maxime corrumpere ſit idonea. Credere ſe, ſi animus nihil quod honeſte agat, habuerit, rebus pravis eundem incumbere: caterũ horas a devotione & negotiis ſeriis vacuas, animi quandam remisſionem, nulla vanitatis aut rei turpitudinem habentis veſtigia relinquentem occupare debere.* Cum mitisſimi Princeps fuerit animi, nec facile in aliquem increparet, aut male de aliis exiſtimaret (id quod non ſemper apud ipſam virtutem depre-
p. 84. henditur) dixiſſe frequenter audita eſt: *Sperare ſe, Deum ſibi benedicturum, bonamque famam eousque conſervaturum, dum aliorum non inceſſeret maligne ipſa aut vellicaret.* Cum concionibus etiã non optimis attentiſſimas ſemper accommodaverit aures, tum hac de re interrogata reſpondit: *Minime ſe, prout putaret, decere, vel geſtu ſaltem ejusmodi aliquid oſtendere aut præ ſe ferre, quod alteri posſit eripere animum, aut quod videatur aliquid improbare, quod optime,*
quam

quam fieri potuit, ab auctore factum sit. Quum aliquo die sermo esset de historicorum quorundam infesto nimium impetu & calore, quo in Principum nonnullorum memoriam invehuntur, in hunc sensum locuta est: *Quod si Principes isti hoc pacto comparati fuerint, ut ab illis scriptoribus repraesentantur, meritos utique fuisse, quibuscum hac ratione ageretur; aliis vero Principibus, vestigiis illorum insistentibus idem metuendum esse, cum veritas eo acerbiori demum oratione erumpat, quo magis antea repressa fuerit. Esse pœnam satis moderatam, quod ab iisdem suis coloribus ad vivum fuerint depicti; sed longe minorem quam pro merito, si respiciatur, quid aliis ab illis perpetiendum fuerit. Omnes Principes legere debere Historicos, qualis est Procopius; cum quantacunque malignitate res gestas descripserint, ipsis tamen ex eorum monumentis pateat, quid dicere cum veritatis specie potuerint homines, quos nulla amplius vis superior retinuerit.* De se ipsa hæc dicentem audiverunt, qui officiis eidem adesse solebant: *Quamvis nondum preces pro morte sua acceleranda faciat, neque tamen vota se & preces contra illam concipere. Rem omnem se DEO ejusque divinæ providentiæ ac dispositioni permittere; & si non optò mortem,* ita perrexisse ajunt Reginam, *neque tamen eandem reformido.* Denique cum lethali morbo implicita teneretur, minime omnium animum suum dejecisse dicitur, quin potius in magnam constantiam compositam voce confidenti dixisse: *Sentire se in mente sua gaudium bonæ conscientiæ, & vim purioris religionis fulcimenti adinstar sibi esse, quod ne ipse quidem ultimus agon & decretorium illud certamen possit subvertere.*

p. 107. p. 164. p. 171.

JUSTA PARENTALIA, QUÆ MAGNÆ BRITANNIÆ REGINÆ, MARIÆ, celeberrimi in Belgio Viri, FRIDERICUS SPANHEMIUS, JO. GEORGIUS GRÆVIUS, JACOBUS PERIZONIUS, PETRUS FRANCIUS Orationibus solenniter recitatis persolverunt idibus Martiis

c I ɔ I ɔc XCV.

Lipsiæ apud Jo. Ludovicum Gleditschium, 1695. in 8.

Constant plagul. 22.

QUantumcunque fuerit gentis Britannicæ in evehendis cœlestibus Reginæ MARIÆ laudibus studium, non certe minor fuit Batavorum,

vorum, qui nimirum antequam exoratum terris Numen sceptro eandem magnæ Britanniæ admoveret, excelsis in se beneficiis propius eam cognoverant, sollicitudo atque cura, ut ejus meritissima encomia in ævum omne mitterentur. Indeque id negotii datum Viris in Belgio celeberrimis, & disertissimæ vocis gloria jam dudum florentibus, ut orationibus panegyricis memoriam ejus quam decentissime prosequerentur. Nec pro singulari, qua pollent singuli, dicendi peritia segnius suis partibus incubuerunt, compositis recitatisque orationibus, quæ Reginæ optimæ fulgorem perpetuo duraturum circumponere possunt; nec parietibus quidem, quos percelluerant voce gravissima, declamationes suas includi passi, ex utilitate pariter & dignitate publica rem esse judicarunt, si in vulgus & lucem publicam exirent; nimirum ut orbis terrarum pietatis Batavæ in Reginam indulgentissimam testis adhiberetur ac conscius. Quum vero istæ orationes in Hollandia typis augusta regalique forma excusæ, raræ ad nos perferrentur, & tamen a plurimis tam excellentium ingeniorum monumenta expeterentur, gratum iisdem officium se præstiturum ratus apud nos est Bibliopola, si uno fasciculo comprehensas orbi illas erudito exhiberet. Quamvis vero singulorum in commendanda atque extollenda Regina diversa fuerit ratio, omnes tamen in id elaborarunt, ut argumenti tam luculenti dignitati oratoris responderet dexteritas, & dignis modis MARIA tam egregie de orbe saniori merita cohonestaretur. Sane quibusdam placebit in istis orationibus gravitas atque copia, quæ verborum ambitu instructa torrentis instar ut auditores rapuit, ita nunc etiam legentes secum fert: nonnullos vero strictum magis & concisum ac ad historiæ rationem compositum dicendi oblectabit genus, quod non tam percellere, quam docere consuevit.

De cætero cum hoc inter alia etiam magna habeat fortuna, ut nihil abditum & tectum esse patiatur, omniaque noscenda famæ proponat atque explicet, facile apparet, amplissimum hic patuisse campum Oratoribus; quem cum cum ingenti laude decurrerent, in quo cum sequi ipsos per omnia nobis non liceat, confidimus satis fore, si pauca quædam hinc inde delibata de vita & virtutibus Reginæ exponamus.

Nata MARIA Magnæ Britanniæ Regina refertur anno *millesimo sexcentesimo sexagesimo secundo d. VI. Eidus Majas*, patre *Jacobo*, Duce

Duce tum Eboracensi, & matre *Anna* filia Eduardi Hydi, Angliæ Cancellarii, quæ in regnis prima post Reges solet esse dignitas; cumque divinissimam ad virtutes omnes & artes tanto fastigio, cui a fatis destinabatur, dignas animo apprehendendas indolem nacta esset, ingenii celeriter cultum capessivisse. Præterea a natura omnibus elegantiis beatam, adhibita insimul industria omnes virginum amœnitates sibi vindicasse, sed singulas decora gravitate superasse, Oratores nostri memorant, ab omni vitiorum contagio remotissimam. Postquam ergo a natura tantis præsidiis instructa & ad tantum decus educata fuerit, unam tanto matrimonio dignam extitisse, in quo Christiani orbis fortunæ & summa rerum essent repositæ. Nam anno *septuagesimo septimo* faustis omnium applausibus *GUILIELMO* Arausiensium Principi fuisse elocatam; in quo conjugio tanta felicitate sibi invicem advixerint, ut unus alterius tantum amore dignus videretur. Sed DEUM manifestissimis signis ostendisse, se Par hoc celsissimum ad res in Europa fere depositas restituendas, orbemque terrarum asserendum destinasse; in quo facto licet videatur Regina in Patrem durius quid statuisse, non minus tamen seculis omnibus id celebrandum esse. Quo enim p. 189.
alio documento virtus ejus atque pietas probari potuisset, quam quod illius consensu vel armis, Patri instinctu, ut credibile sit, novercæ in filias, in populum, in emendata religionis dogmata grassanti & omnia jura susque deque habenti obviam itum fuerit, ne pessum irent omnia; quamquam & id non sine tergiversatione factum sit, & cum admonitiones omnes frustra consumptæ essent. Auditum ex ea, priusquam ex Belgio in Angliam discederet, *si id tantum ageretur, ut jus il-* p. 191.
lud sibi a natalibus suis & populi legibus datum in trium regnorum hæreditatem eriperetur, nunquam se assensuram fuisse ad illud bello sibi a Patre recuperandum; sed expugnatam se esse eo unico argumento, quod versari in præsentissimo periculo & jura patriæ & religionis sinceræ incolumitatem persuasum haberet. Hæc ubi prælibata sunt, quis porro commemoratione virtutum ipsius non in admirationem traducatur? Tantam sane hic cognoscimus in ea fuisse *administrandi imperium peritiam*, ut regni amplissimi habenas, inprimis cum peregre abesse contingeret Maritum serenissimum, rebus etiam non prospere semper florentibus, dexterrime & eventu felicissimo rexerit; quæ inter alia & causa fuisse dicitur, quare GUILIELMUS Rex

imma-

immaturum ejus obitum gravissime tulerit, simpliciter confessus, *ea fatis defuncta consiliariorum optimum ex suis consiliariis se amisisse*. Laudatur ejus *excelsus animus*, qui nec secunda tumide, nec adversa abjecte & timide, sed utraque æquabili mentis habitu, qualis sapientum est, pertulerit; unde & mediis in minis nunquam gradu suo dejici potuerit, nec in vultu quidem ullas consternatæ mentis significa-
p. 125. tiones & notas ostenderit. Laudatur ejus *beneficentia*, quam ut libenter semper, eleganter atque considerate adversus quosvis ab infensa sorte fatigatos declaraverit, innumera pecuniæ summa in eosdem erogata; ita potissimum in ecclesias, earumque ministros, in exules, in illustres familias fortuna iniquiore depressas, ac milites belli casibus attritos & debilitatos fuerit munificentissima, sæpissimeque dixerit, nulla re magis suam se metiri felicitatem in tanta fortunæ indulgentia, quam si plures possit reddere felices. Ubi tamen ubique tanta modestia usa fuerit, ut nemini aliquid, nisi quos liberalitatis administros habebat, hac de re innotescere voluerit. Laudatur ejus sin-
p. 133. gularis plane *comitas*, quæ uti majestate superarit omnes, ita humanitate concesserit nemini: id quod & hac occasione patuerit. Cum Hagæ Comitis Legatus quidam Principis potentissimi ipsi præstitisset officium, & excedens ex cubiculo, ne tergum obverteret Principi, cessim iret venerabundus semel atque iterum, forte quadam accidisse, ut cum secunda vice Principem in recedendo veneraretur, lychnucho in laqueari suspenso, quem non viderat, galericulus ejus non sentientis implicitus obhæserit, toto ejus nudato capite, præsertim cum difficulter subinde ejus capillamentum expediri potuisset. Ibi effusis nobilibus matronis atque puellis in hoc officio Principi apparentibus in cachinnos, solam eandem ne subrisisse quidem, & cum qui præsentes fuerint, ejus rei causam sciscitarentur, respondisse injuriam se facturam Legato, si ejus non sua culpa in joculare hoc malum incidentis cumulasset pudorem; quod nefas sit ex sua opinione
p. 102. & contra officium. Laudatur ejus *vitæ innocentia & sanctimonia*, qua tantopere excelluerit, ut Rex ipse in hæc post mortem illius eruperit verba: *se, si credere posset, hominem posse nasci sine labe peccati,*
p. 222. *de Regina id crediturum esse*. Laudatur *conjugalis* ejus *amor* atque *fides*, quæ prorsus inusitata fuerit & incomparabilis, & quæ effecerit, ut eadem voluerint conjuges serenissimi, eadem noluerint, in rebus priva-

privatis pariter ac publicis; & corporibus longis terrarum intervallis disjunctis, animi tamen & voluntates essent consociatissimæ; id p. 123. quod tum memorabili casu præcipue observare licuerit, cum Galli classe in Britanniam destinassent appellere. Nam cum Rex tum in Belgio arma circumferens, decrevisset quadraginta naves rostratas in oras Gallicas mittere, classem hostilem, si res facultatem haberet, incensuras; mox literas a Regina esse perlatas, quibus nuntiaverit, se mandata jam dedisse, ut quadraginta navium longarum classis vela in Galliam faceret, hostium molitiones impeditura. Laudatur vel maxime ejus *pietas* & *cura pro religione* prorsus admirabilis: nam & ipsam p. 102. Deo cultum sanctissime præstitisse, & ut ab aliis id etiam fieret, diligentissime providisse; rerum etiam Theologicarum gnarissimam fuisse, & quæ indoles controversiarum de rebus id generis sit, perspectissimum habuisse. Ejus rei varia eam edidisse specimina, inter quæ istud nobis videtur memoria dignissimum: Cum Jacobus adhuc Rex copiosam ad Filiam misisset epistolam, in qua occasionem atque rationem suæ ad Romanensium scita defectionis fusius enarrasset, ipsaque ad vesperam ejus diei, cum crastino nuntio migrandum in Britanniam esset, eandem accepisset, eam literas illas summa attentione semel atque iterum perlegisse, atque statim ad responsionem se accinxisse, eique adornandæ totam noctem fere impendisse; & semel atque iterum a suis monitam, quod tempus cubitum eundi pridem fuerit, respondisse, somno præferendum esse officium respondendi Patris literis; se vero id accelerare, ne, si cras sine literis elaberetur nuntius, suspicionem præberet, alieno se in iis scribendis usam esse ingenio; quod si Pater crederet, illas pondere & fructu, quem Deo benevolente speraret, carituras. Laudatur denique ejus *præparatio ad mortem;* sicut enim in omni vita sibi similis fuerit, ita neque moriendo p. 135. eam a se defecisse, & vitæ sanctissimæ proposito mortem constanter obitam præclare respondisse. Cum summe reverendus Archiepiscopus Cantuariensis ei significasset, paucis antequam exspiraret diebus, indubitatam mortem ipsi impendere, & vasa colligenda jam esse; sine ullo perterriti animi argumento respondisse: *non hoc primum die se cæpisse comparare se ad mortem, per omnem vitam se DEUM coluisse;* atque sic se Deo totam permisisse, nihil magis optantem, quam ut ipso corporis custodia soluta perfrueretur: neque longe post cœlestem

 effla-

efflavisse animam, postquam his fere verbis Regi valere dixisset: *jam*
p. 138. *linquo terram. Spero Rex, te nunquam dubitasse de mea fide & amore. Moderare dolori. Opto, ut quo gaudio ego decedo, tanta tu facilitate mœrori modum ponas.* Finita vero incomparabilis Regina est variolis infestata, die XXIX. Decembris anno nonagesimo quarto, cum annum ageret trigesimum tertium.

ESSAY DE DIOPTRIQUE, PAR NICOLAS HARTSOECKER, hoc est: TENTAMEN DIOPTRICES, AUCTORE NICOLAO HARTSOECKER.

Parisiis apud Joh. Anisson, 1694. 4. plag. 32.

CUm radii luminis, quatenus per diaphana corpora feruntur, præcipuum sint Dioptrices objectum, neque satis eorum natura declarari possit, nisi assumta certa de fabrica hujus mundi hypothesi, principio suam statim hac de re proponit sententiam clarissimus Auctor, censetque dari in hoc universo infinita corpuscula diversæ magnitudinis, figuræ & motus, perfecte dura, nec nisi sola cogitatione divisibilia, eaque tanquam *elementum secundum* innatare substantiæ liquidæ, flexibili, nullaque in parte quietæ, quam *elementum primum* dixeris, Solemque & fixas stellas nihil aliud esse, quam magnas congeries substantiæ illius liquidæ, radios autem luminis esse filamenta subtilissima, aut rivulos quasi hujus elementi, ex Sole stellisque, instar aquæ ex sua scaturigine, prodeuntes. Secundi porro elementi particulas exiguas, quoniam majores habent superficies respectu molis suæ quam magnæ, magis expositas esse actioni primi elementi in vorticosum motum acti, atque ideo a majoribus separari versus circumferentiam tendendo, reliquasque pellendo versus centrum, ut descendant secundum progressionem imparium numerorum, si quodlibet momentum ex infinitis instantibus compositum censeatur. Ex hac quoque actione & pressione non solum *formationem globi ex terra, aqua & aere* conflati, reliquorumq; planetarum, sed *soliditatem* quoque corporum explicari posse, quum *fluida* illa sint, quorum partes non possunt arcte conjungi vel ob figuræ vel pressionis defectum. Ita fluidum esse *Mercurium*, quoniam ex globulis solidis & bene politis constat; *aquam*, quia ejus particulæ sunt sphæræ aut sphæ-

roides

roides cavæ & undique pertusæ, materiaque subtili repletæ; *aerem crassiorem*, quoniam corpuscula ex quibus constat, sunt filamenta subtilissima male paucisque in locis cohærentia, ut exiguus motus ea possit divellere; *subtilissimum* denique *aerem*, quia nulla in eum pressio agit. Statuit etiam *opaca* illa esse corpora, v. g. *Mercurium*, ad quorum partes separandas & ita disponendas, ut liberum transitum habeant, radii luminis satis validi non sunt; *diaphana*, quæ contraria ratione se habent, v. g. *vitrum*, cujus corpuscula species polyedrorum esse concipit, latera perforata habentium, materiaque valde subtili & facilem transitum radiis luminis præbente repletorum. Fieri etiam existimat, ut, dum primum elementum solidorum partes ambit easque concutit, ipsa quoque metalla modo contrahantur, modo producantur, atque ideo in insula Cayenne abbreviandum esse pendulum minuta secunda dimetiens, nec non hinc diversitatem oriri Astronomicarum observationum diverso tempore peractarum, si limbus ex alio sit metallo, quam reliquæ machinæ partes: *Solem* tandem, non secus ac Terram, circumdatum esse materia subtili versus ejus centrum premente, atque eo densiori & crassiori, quo centro magis est vicina.

Hisce positis, ad *radiorum luminis affectiones* explicandas accedit, ostenditque eos recta linea pergere in corporibus homogeneis, quoniam æqualem ubique inveniunt resistentiam, & in tempore, non vero in instanti, moveri: quando vero oblique incidunt in medium heterogeneum, dum inæqualiter premuntur, antequam toti eidem immergantur, *refringi* seu eo detorqueri, quo major pressio tendit, ac proinde in corporibus diaphanis, quæ subtiliorem continent minusque validam materiam, v. g. in vitro, refractionem fieri ad perpendiculum in; illis quæ crassiorem fortioremque, v. g. in aere, a perpendiculo, & eo semper minorem, quo radii sunt fortiores aut rapidiores; cumque tota res dependeat ex virium materiæ subtilis radios prementis ratione, quæ eadem semper manet, quocunque varietur modo angulus incidentiæ, hinc constantem quoque in quacunque radiorum inclinatione, esse refractionis rationem, quæ a sinubus anguli inclinationis & refracti determinetur. Quandoquidem autem non omnes radii ejusdem sunt crassitiei vel velocitatis, hinc fit, ut diversam patiantur refractionem, & alii fortius, debilius alii in sensorium

 nostri

noſtri viſus agant; ex qua diverſa actione *colorum phænomena* non inconcinne Auctor declarat. Sigillatim autem agit de *refractionibus*, quæ in *aere* contingunt, (quem, quo magis ſubtilis altiorque ſit, eo magis craſſum ætherem continere ſupponit) quæque ſenſim & inſenſibiliter quaſi fiunt, donec tandem ex pluribus ſenſibilis aliqua conſtituatur, in ea regione aeris, quæ non ſit remotior a nobis quam aer craſſior, in quo crepuſcula gignuntur, cujus altitudinem 10⅔ milliaria Germanica non excedere demonſtrat. Quodſi tamen ſupponas, aerem eſſe plane homogeneum uſque ad dimidii milliaris altitudinem, atque in hac diſtantia ſimul fieri illam refractionem, quæ a nobis in terra ex pluribus aliis minoribus colligitur, hanc quoque hypotheſin obſervationibus Aſtronomicis ſatisfacere affirmat, oſtendens inſuper refractionem aeris non poſſe augere horizontalem Lunæ diametrum minuti ſecundi quantitate, ſed diminuere contra diametrum verticalem. Ut vero viam muniat ad viſionem declarandam, de *puncto optico* diſſerit, per quod intelligit objectum, cujuscunque alias ſit magnitudinis, cujus imago occupat in tunica retiformi oculi tantum extremitatem unius fibrillæ nervi optici, poſitoque objectum viſum ſub angulo unius minuti, ſeu objectum, cujus magnitudo æqualis eſt lineæ quadratæ Geometricæ, viſum ex diſtantia 3438 linearum, inſtar puncti apparere, requirique 100 radios a quovis objecti puncto provenientes, ad ſenſibilem impreſſionem in nervum opticum faciendam, colligit incidere minimum 583, 747, 842 radios luminis in ſuperficiem quadratam, cujus latus eſt unius lineæ, fibrillæque nervi optici craſſitiem eſſe 573 partem lineæ. Deſcripta autem *oculi ſtructura*, ut objecta remota æque bene videamus ac propinqua, non ſolam figuræ humoris cryſtallini, aut ejus diſtantiæ a retina mutationem, ſed utramque ſimul requiri cenſet; objecta vero ideo ſimplicia, non geminata videri, quoniam eædem imaginis partes in utroque oculo pinguntur in fibrillis æqualiter ab illa, in quam incurrit axis viſionis, & eodem ordine remotis, quo in caſu illi, qui ſtrabiſmo non laborant, objecta ſimplicia videre aſſueverunt. Exponit præterea, quæ ad *diſtantiam* & *magnitudinem* objectorum viſorum dignoſcendam pertinent, *Lunamque horizonti vicinam* ideo *majorem* videri putat, quia per multum aerem craſſum & vapores viſa obſcurior quam in meridiano conſtituta, & hinc remotior quoque nobis apparet; ita tamen

tamen ut interpositio campi, & figura cœli elliptica plurimum quoque ad hoc phænomenon conferat. Huic doctrinæ subjicit *modum* suum *vitra dioptrica elaborandi*, questus de tanta raritate boni vitri (punctis nempe, lacrymis, filamentis, stratis, fibris invisibilibus, quorum omnium originem describit carentis) ut inter ducentas tabulas vitreas vix duas debitæ, & quinque mediocris bonitatis, repererit. Modulos in vitro denso excavat, nullis utitur in lævigatione capulis, sed hanc inchoat arena subtili, absolvit smiride, vitraque tandem expolit in charta agglutinata modulo, terraque Tripolitana conspersa. Deinceps quæ ad *reflexionem & refractionem in sphærica superficie*, nec non *focorum distantias* determinandas spectant, cum cura tradit, vitrorumque *objectivorum aperturas* in subduplicata ratione longitudinum focalium esse debere definit, dataque vitro objectivo, cujus longitudo foci est $\frac{1}{4}$ lineæ, apertura $\frac{1}{4}$ lin. tabulam construit usque ad longitudinem objectivi 576. ped., vanam monens fuisse illorum spem, qui talia effici posse telescopia putarint, quibus in Luna corpora particularia, non secus ac in Terra nostra, discernantur; cum ad corpus, cujus diameter 5 pedum, in Luna distincte perspiciendum, requiratur objectivum, cujus apertura 701$\frac{5}{8}$ pedum, longitudo autem focalis sit quindecim circiter terræ semidiametrorum. Quod ad *telescopiorum* attinet *compositionem*, tria solum genera ad usum idonea judicat, in quorum primo cum vitro objectivo convexo oculare cavum, in secundo oculare convexum, in tertio tria ocularia convexa conjunguntur. Secundum autem reliquis præfert, si diaphragma in foco communi ad radios nimium obliquos excludendos ponatur; cum primum, si 11 aut 12 pollices excedat, nimis exiguam objecti partem detegat, tertium autem minorem quoque primo campum habeat, & in quatuor vitris $\frac{3}{4}$ aut $\frac{2}{3}$ fere radiorum partes reflexione deperdantur. Ex qua etiam ratione potiora judicat *microscopia* ex duabus lentibus composita. Ultimo tandem loco fuse enumerat solertissimus Auctor *observationes telescopiis & microscopiis peractas*, ex quibus potiores cum ejusdem conjecturis afferemus.

Quod ergo ad *partes Lunæ* attinet, illam cui B. Hevelius montis Sinai, Ricciolus autem Tychonis nomen imposuit, eique similes, profundos suspicatur esse puteos a Selenitis, si qui sunt, effossos, ut in illis se a Solis æstu defendant, aggeresque, quibus cincti sunt, cavernis

esse plenos, in quibus lateant noctis tempore cuniculorum ritu, & a frigore se muniant; ita ut putei illi instar urbium sint Selenitis, quarum metropolis sit Tychonis nomine dicta, tractus vero albi & illuminati nihil aliud quam viæ regiæ ad reliquas tendentes. Nigras autem partes Lunæ, quas communiter maria esse censent, sylvas potius esse putat, quia in illis telescopio 100 aut 200 pedum plurima observantur, cum Sol perpendiculares in eas mittit radios, exigua loca illustrata, quæ sine dubio sint tractus plantis carentes & arenosi, plusque lucis quam folia reflectentes; nihil quoque adhuc certi constare de fluminibus lunaribus, cum debeant habere latitudinem 14000 pedum, ut ope telescopii 36 pedum videri possint. Promittit tamen se *vitrum objectivum 600 pedum*, quod jam confectum habeat, cum oculari unius pedis, quibus proinde possit in Luna cernere distincte objectum, cujus diameter 3500 pedum, propediem ad observationes lunares adhibiturum, *exactamque* concinnaturum *Selenographiam*, ut posteri deprehendere possint, num aliqua singularis in Luna mutatio contiger t. *Martem* obscuriorem & rubicundo colore ideo apparere conjicit, quia ipsum plurimæ nubes & nebulæ ambiunt, per quas radii luminis transeuntes ita modificantur: in Jove autem fascias obscuras nihil aliud esse, quam maria, locaque in his illuminata, insulas; lucentes vero fascias terras, & nigras in his maculas paludes aut magnas sylvas, variisque hunc globum mutationibus esse obnoxium, ob magnas inundationes, & quia maximam partem ex sabulo, non rupibus aut terra firma, constat. *Satellites* quoque ejus, perinde ac Saturni, modo majores, modo minores apparere, quia fortassis & ipsi fœdati sint maculis, quas statis temporibus ad nos convertunt, quamvis circa suum axem non revolvantur. Quod reliquum est, *Solem* nil aliud esse autumat, quam ingentem congeriem elementi primi, aut ignis nostrati fere similis, eumque alimento continuo indigere, quod ex aere ambiente, qui nitro aliave materia combustibili forsan repletus, hauriat, cinctumque semper esse levi aliquo fumo, qui secedere ab ejus centro nitatur, denuo tamen in solem recidat, si plures conglomerentur moleculæ, *maculasque* constituant novum Soli alimentum suppeditantes. Ex eadem hypothesi apparentias *luminis Cassiniani* & *Cometarum* declarat. Illud enim oriri supponit, cum fumus ille levior, versus æquatorem Solis compulsus, tantum recedit a Sole,

ut

ut hujus in illum incidentes radii ad nos reflecti possint; *Cometam* vero, quando massa ingens secundi elementi congregata in Sole in globum densatur, qui ex Sole projicitur, eoque majori fertur rapiditate, quo levior est materia aetherea, quae ipsum excipit, tamdiuque suum continuat iter, donec ultra locum aequilibrii sui latus ad Solem revertitur curvam in se redeuntem describens, & in Solem denuo immergitur. Hic ergo globus, Auctore judice, si adeo levis sit, ut ad Martis aut Jovis usque pergat orbes, & radii Solares ab illo repercussi, dum per hemisphaerium fertur, ubi terra est, ad nos possint pervenire, magni in coelo circuli arcum describere videtur, cumque totus ardeat & fumet, atmosphaera circumdatur, quae dum sensim exhalat, & ob levitatem suam versus vorticis Solaris remotiores a centro partes tendit, caudae speciem repraesentat a Sole aversae. Hanc hypothesin ex observationibus Cometae A. 1680, quas ex motu aequali per trajectoriam rectam explicari posse negat, confirmat, refutatatis Cartesii de Cometis placitis, methodumque tradit, qua tum Cometarum, tum Planetarum distantiae a terra absque parallaxibus possint indagari, dato intervallo, quo Sol abest a Terra.

Postremo innumeras se quoque *observationes microscopiis* fecisse commemorat, primumque ante viginti annos *semina animalium vermiculis repleta* deprehendisse, & hinc novam de generatione animalium hypothesin, in epistola ad *Malebranchium* perscripta expositam, excogitasse; prae reliquis autem *insectis*, quorum *historiam* scripturus sit, *pulicem* ab ovo magna cum diligentia observasse. Haec ergo aliaque praeclare destinata ut absolvere doctissimus Auctor posit, vires occasionemque opportunam ex animo eidem apprecamur.

Joh. Pet. Ludwigs Erläuterung über S. T. Herrn Samuel von Pufendorff Einleitung zur Historie, &c.

JO. PETRI LUDOVICI DILUCIDATIO ISAGOGES HISTORICAE Dn. PUFENDORFII de hodiernis in Europa Regnis, Statibusque praecipuis, cum allegatis testimoniis & annotationibus.

Lipsiae & Halae, apud Joh. Frid. Zeidlerum. 1695. in 8. Alph. $2\frac{1}{2}$

Quan-

QUanto seculi nostri adplausu illustris viri Pufendorfii Isagoge in Historiam præcipuorum in Europa hodie existentium Regnorum & Statuum, ante hos undecim annos Germanico idiomate ab ipso publicata, passim excepta fuerit, vel translatio ejus in peregrinas linguas testari poterit. In hac, cum multi omissa ob brevitatis studium, quod laudato Autori nunc μακαρίτῃ placuerat, Scriptorum, unde is sua hauserat, desiderarent testimonia, quibus lux major historiæ affunderetur; *Autor harum Annotationum clarissimus*, qui in illustri Academia nova FRIDERICIANA, in qua Extraordinarii Professoris munus sustinet, nominatum modo librum studiosæ juventuti privatim explicuerat, id operam dedit, ut quæ strictim in eo commemorata sunt, monstratis primis fontibus, allatisque in medium autorum probatiorum testimoniis, dilucidaret atque firmaret. Dum autem opus ejusdem sub manu velut excrescere videretur, jam primam ejus partem, quæ prima quatuor Isagoges commendatæ capita illustrat, exhibuit, simili industria dilucidationes reliquorum capitum in lucem emissurus publicam; præsertim cum intellexerit, operam hanc suam studiosæ juventuti, quæ historiæ politiori aliquod pretium statuit, non fuisse ingratam. Nam selectiores non tantum passim autores indicat; sed etiam ex illis testimonia luculenta affert, quibus historiæ lux major accenditur, ut eam cum fructu nunc uberiori juventus studiosa evolvere, atque sine dictatis intelligere possit.

NOVORUM LIBRORUM Indiculum proximo Novembris mensi, cum nunc angustia chartæ prohibeamur, subnectemus. Neque tamen temperare nobis possumus, quin sine mora annunciemus, luculentum & ab omnibus diu desideratum & tantum non anxie expectatum illustris Pufendorfii *Opus, quo Potentissimi Serenissimique Electoris, dum viveret, Brandenburgici* FRIDERICI WILHELMI MAGNI *res gestas justo studio descripsit, nuperrime in lucem prodiisse, impensis Jeremiæ Schrey & H. I. Meyeri hæredum excusum, ac in instantibus nundinis nostris autumnalibus venum exponendum. Plura de opere ipso, ubi id perlustraverimus, dicentur.*

* * *

ACTA
ERUDITORUM
publicata Lipsiæ
Calendis Novembris, Anno M DC XCV.

NOVA ET SINGULARIS GEOMETRIÆ PROMOTIO, CIRca dimensionem quantitatum curvarum, per D. T.

CUm variæ in Mathesi dentur viæ ad easdem veritates inveniendas ducentes, plurimum in eo ponendum est studii, simplicissima ut investigetur. Quamvis enim hoc ipsum non sit apprime necessarium in omnibus difficultatibus particularibus, maxime tamen requiritur in principiis fundamentisque ponendis, quæ ita sunt generalia, ut tota iisdem Mathesis innitatur, ad quæ pertinet *genesis omnium curvarum*. Quapropter postquam harum omnium facillimam descriptionem *per focos* reperi, statim eandem cum publico communicavi in *Medicina mentis*, ostendens, quam latum hæc campum nobis aperiat, infinitorumque novorum, singularium, & facillimo negotio decerpendorum inventorum feracem, ut augmentum veritatis, quod non unius est hominis, conjunctis viribus ab eruditis viris eo melius promoveretur. Neque parvam mihi attulerunt lætitiam ea, quæ Dominus *Leibnitius* & doctissimorum nobile par fratrum *Bernoulliorum* jam præstiterunt, Actisque inseruerunt Eruditorum. Sed cum hæc curvarum genesis per focos nimiam præ se ferat simplicitatem, tantique momenti non videatur, ut ex ea tanta tamque præclara & utilia possint derivari; non ipse solum alia nova inventa in Actis Eruditorum exhibui, sed in posteriori quoque Medicinæ mentis editione, alia quædam corollaria non vulgaria adjeci, ut alios quoque ad hanc rem penitius pensitandam excitarem. Nota mihi quidem plura elegantia præstantiaque sunt consectaria, quorum hactenus nullam, nisi privatim apud viros maximi ingenii, feci mentionem, arbitratus illa quondam ob novitatem usumque singularem fore gratiora, cum publici juris ea faciendi mihi dabitur

occasio. Quoniam vero an brevi hoc futurum sit, cum eo non vivam in otio, quod hæc studia vel maxime requirunt, nescio, nonnulla ex ex his in publicum producere constitui, ejus quidem momenti, ut non displicitura credam Geometris, eo fine ut vel hoc ipso augmentũ veritatis, sin minus per me ipsum, per alios tamen, qui magis abundant otio, promoveatur. I. Ex hac ergo curvarum genesi per focos intellexi, præter unicam & simplicissimam Hugenianam evolutionem dari innumeras alias, ita ut quælibet curv. infinitis possit modis evolvi, sequanturque hinc dimensiones curvarum infinitis modis, ut alio tempore ostendi. Perspexi etiam, ipsam spatiorum curvilineorum dimensionem generalissime hinc derivandam, & ea quidem ratione, quæ admodum simplex est, & in qua singularia hæc occurrunt. (1) Uti notum pervulgatumque est, spatiorum circularium dimensiones absolvi ductu lineæ cujusdam rectæ in arcum circuli: ita universaliter hoc ipsum omnibus competit *spatiis curvilineis*, ut scilicet sint *æqualia producto alicujus rectæ in arcum curvæ alicujus*, occurruntque hic plurima circulari dimensioni analoga. (2) *Curvæ quarum ope reliquarum curvarum metior spatia*, quæque primæ quasi curvæ existunt & præcipue sunt considerandæ, proprietates habent valde notabiles, & in his, quod multis erit inexpectatum, *curvæ quoque sunt mechanicæ*, quas Cartesius ex Geometria perperam, ut in Medicina mentis clare probavi, eliminavit, quarum proinde usus hinc redditur in Geometria manifestior. (3) *Curvæ* illæ, per quas mensurantur reliqua spatia, *in lineas rectas abeunt, cum spatium aliquod absolute est quadrabile.* Unde facile ex ipsa genesi dijudicari potest, utrum aliquod spatium quadrabile sit nec ne. Derivatur quoque inde, figuras clausas non admittere quadraturam, intellige ordinariam; id quod consentit cum iis, quæ habet Dominus Newton; neque difficulter cognosci potest, quænam figuræ clausæ sint, cum alias multa possint earum figurarum afferri exempla, quæ videntur quidem, nullatenus tamen sunt clausæ.

TAB. VIII. Fig. 1. Ut autem mens mea eo melius possit intelligi, exemplo, quod dictum est illustrabo. Sit ellipsis AFGE, sumtoque radio æquali semidiametro minori describatur ex centro C circumferentia BFD, tandemque pro lubitu ducatur ex C recta CG, & HG parallela AE; dico rectangulum ex recta AE in arcum circularem HD esse semper quadruplum

TAB. VIII. ad A. 1695. pag. 490.











druplum sectoris elliptici CGE, ac proinde hoc modo facile *spatium ellipticum in æquales partes ex puncto C dividi potest*. Idem obtinet in parabola & hyperbola, si his omnia, ut decet, adplicentur, ea tamen cum differentia, ut quemadmodum in ellipsi, prout jam vidimus, dimetienda adhibetur arcus curvæ circularis HD, seu talis curvæ, ubi normalis ad tangentem est constans seu datæ rectæ æqualis; ita in hyperbola qualibet mensuranda adhibendus sit arcus curvæ, in qua tangens ipsa est constans seu datæ rectæ æqualis, adeoque curvæ, quæ ex mente Cartesii est mechanica; in parabola vero alia curva, ubi normalis ad tangentem & ipsa tangens sunt æquales constanti quantitati, h. e. linea recta, assumatur. Atque sic unico theoremate omnium sectionum conicarum per rectangulum ex constante recta in aliam curvam aut rectam ducta traditur dimensio. Quæ quidem spero Geometris non minus grata futura, quam monitum Hugenii, quo simile quid in hyperbola æquilatera a se deprehensum indicavit, cum hæc omnia modis plane diversis eruta, multoque sint universaliora, nec solum omnibus hyperbolis, sed infinitis aliis curvis applicari possint.

Quænam autem porro hinc conclusiones in curvis superiorum graduum, quæ tres pluresve focos habent, consequantur, periti harum rerum insigni cum voluptate per se ipsos facile experientur. Possem enim plura huc elegantia & universalia theoremata adferre, sed ne ipsis desiderium minuam hæc suo Marte indagandi, unico tantum exemplo assertioni meæ fidem faciam.

Sit curva FG, quæ descripta sit ope *quatuor focorum* A,B,C,D, TAB. VIII. sitque E centrum gravitatis quatuor punctorum A,B,C,D; dico, si ex Fig. 2. quinque his punctis versus duo puncta F & G pro lubitu assumta in curva, ducantur rectæ, *spatia AFG, BFG, CFG, DFG quadrupla esse semper spatii EFG; si autem quinque essent foci, fore quintupla, & sic porro in infinitum*. Sed de his satis.

II. Notum est in circulo circumferentias esse inter se ut diametros, & spatia circularia similia ut diametrorum quadrata; non autem pervulgatum est, quod animadverti, dari unicum tale theorema pro omnibus curvis ejusdem speciei, ex quo v. g. curvarum ellipticarum & hyperbolicarum ratio ad invicem innotescit, quæ nos hactenus

 latuit,

latuit, possuntque infinita nova & singularia circa omnes curvas derivari. Id quod specimine aliquo illustrabo.

Fig. 3. Sint duæ parabolæ AE & BD, quarum focus C, ducaturque recta CDE. Dico *curvam parabolicam AE esse ad curvam parabolicam BD, ut minoris latus rectum ad majoris latus rectum.* Unde si ratio laterum rectorum sit dupla, curva AE dupla erit curvæ BD. Neque absolute necesse est, ut eundem focum C habeant; potest enim punctum ad libitum assumi, & nihilominus tamen ratio, quam curvæ ad se invicem habent, determinari.

III. Cognita quoque est ratio, quam partes curvæ circularis ad se invicem habent, sed circa quasvis alias curvas hæc nondum ostensa fuit a Geometris. Illis ergo forte non ingratum accidet, si ipsis significavero, me methodi universalis esse compotem, *in qualibet curva, data portione ejusdem, aliam semper assignandi, qua datam rationem ad priorem obtinet;* cujus rei specimen quoque exhibebo.

Fig. 4. Sit parabola ACDEF, cujus focus B, sitque data portio curvæ CD, & alia assignanda EF, ita ut CD sit ad EF, ut data linea GH ad IK. Ductis lineis BC & BD, fiat ut quadratum GH ad quadratum IK, ita recta BC ad rectam BE, & BD ad BF: Dico curvæ parabolicæ portionem CD ad EF esse in ratione data. Sit e. g. GH ad IK ut 1 ad 2, & fiat BE quadrupla BC, & BF quadrupla BD, erit portio curvæ EF dupla partis CD. Occurrit hic quidem casus, ubi peculiaria quædam observanda; sed cui demonstratio præcedentium nota, facile videbit, quid sibi agendum, aliaque egregia hinc eliciet, v. g. modum *in curvis assignandi spatia datam rationem habentia, licet ipsorum dimensio sit incognita,* multaque alia præclara & plane nova theoremata vel circa ipsas conicas sectiones, quæ tamen hactenus nocturna diurnaque manu quasi versatæ fuerunt a Geometris. Demonstrationes enim horum omnium afferre & prolixum nimis foret & supervacuum, cum hæc inventa præcipue dicata sint Geometris primi ordinis, quibus jam notum est, quomodo ex datis conclusionibus universalibus circa dimensionem quantitatum, demonstrationes via retrograda facile possint investigari.

IV. Constitueram hic subsistere, sed commodum incidit in manus meas *Joh. Bernoullii* meditatio de dimensione linearum curvarum per circulares; quod egregium inventum & mirifice me delectavit, & effecit,

cit, ut hæc pauca adjicienda duxerim. Vir hic celeberrimus præcipue respexit in eruendo hoc problemate ad evolutionem Hugenianam; sed quia juxta descriptionem meam curvarum per focos, quælibet curva infinitis modis potest evolvi, hinc ejus doctrina infinities amplificari poterit, adeoque Geometria singulare hoc modo augmentum recipiet. Addam vero & aliud, quod in tempus aliud reservaveram. Notum est, quod dato cuilibet spatio infinita alia spatia, diversæ naturæ, æqualia perfacile inveniri possint; sed idem in curvis lineis efficiendi nemo adhuc ostendit rationem. Si enim via ordinaria rem aggrediamur, ad tangentium methodum inversam deducimur, cujus ingeniosissima nobis specimina dedit illustrissimus vir Marchio Hospitalius. Licet autem hanc quoque methodum probe excoluerim, & mihi fere omnimode satisfecerim, non tamen ea hic præstat, quod comparari possit cum methodo universali, quam non ita pridem inveni, ope cujus *infinitæ diversæ curvæ possunt designari datæ curvæ absolute æquales.* Specimina hujus rei alio tempore exhibiturus sum: jam enim vix licuit ob circumstrepentia negotia ad amicorum instantiam præcedentia literis consignare.

G. G. L. DE NOVO USU CENTRI GRAVITATIS AD DIMENSIONES, & speciatim pro areis inter curvas parallelas descriptas seu rectangulis curvilineis; ubi & de parallelis in universum.

PAppus subindicaverat, quod Guldinus expressius ostendit, aream motu debito generatam æquari facto ex ductu mobilis generantis in viam ejus centri gravitatis. Hac regula potissimum usi sunt Geometræ in motu rotationis circa certum quendam axem pro metiendis solidis ac superficiebus, quæ sic generantur. Sed non minus succedit negotium, si axis vel centrum continue mutetur durante motu generantis, ut fit in evolutionibus curvarum & superficierum. Itaque si curva AB ope fili DAB evolvatur, tunc pars fili, id est initio recta DA, describet aream DA (A) D, vel brevius designando, D (A); duabus curvis parallelis condescriptis, D (D) & A (A) comprehensam, quæ æquabitur rectangulo sub recta AD, & recta æquali curvæ E (E) (iisdem parallelæ) a centro seu puncto rectæ AD medio, E, descriptæ. Quin amplius, etiamsi pars ipsius mobilis successive quiescat & moveatur,

tamen productum ex toto in viam centri gravitatis totius, areæ generatæ æquatur; quod & hic locum habet. Nempe totius fili DAB centrum gravitatis sit G, in statu primo; & (G) in statu seu situ ultimo, cum filum totum in rectam B(D) abiit. Sit linea G(G) locus continuus hujus centri, dico B(D) filum, in G(G), æquari DAFB(D)D. Horum ut recordarer, fecit elegans theorema Dn. Ioh. Bernoullii, qui notavit duorum arcuum evolutione condescriptorum, ut D(D) & A(A), differentiam, si convexitatem vertant ad easdem partes, summam si ad contrarias; æquari arcui AH, sectoris circularis, intercepti inter duos radios, DA, DH, æquales filo vel regulæ extremis suis punctis binos illos arcus describenti, & parallelos ipsis DA, & (D)(A) extremis sitibus fili. Videantur Acta Augusti 1695. His cum meo theoremate conjunctis, sequitur differentiam (vel collatis oppositis evolutionibus summam) duorum (ut sic dicam) rectangulorum (bicurvilineorum) condescriptorum, velut D(K) & L(A) modo sint æquialta (nempe si DK=LA) posse mensurari ope dimensionis circuli.

TAB. VIII. Fig. 5. Nam collocetur ipsi DK vel LA æqualis MN in recta DA, medio loco inter D & A; & describantur simul parallelæ M(M) & N(N). Jam DL=KA, & DL in M(M)=D(L), & KA in N(N)=KA. Ergo D(L)−K(A) id est D(K)−L(A)=DL in M(M)−N(N)=DL in NP, posito NP esse arcum circularem, centro M dicto modo descriptum, scilicet ut sit MP parallela & æqualis ipsi (M)(N). Unum adhuc addam: quæ de parallelis nostro more, id est generaliter acceptis, diximus, tam universalia esse, ut non tantum parallelis evolutione descriptis, sed & rectis ac circularibus quadrent. Licet in circularibus linea evolvenda evanescat in punctum, & pro rectis hoc punctum concipiendum sit infinite remotum. Generaliter autem *parallelas* definio (lineas vel superficies) quarum intervalla (minima scilicet) ubique sunt æqualia. Et cum *rectangulum*, (late sumtum) figura sit, quæ solos angulos rectos habet; consequens est, figuram hic inter duas parallelas earumque intervalla extrema (minima) contentam ut D(K) merito rectangulum appellari. Cæterum ut hoc quoque adjiciam: *Data linea* (curvæ vel rectæ) *parallelam ducere lineam*, problema est, quod etiam sine evolutione construi potest. Nempe ducatur recta perpendicularis ad lineam datam, & ex puncto ejus aliquo tanquam centro, ac pertingente ab eo ad curvam perpendiculari tanquam radio, describatur

batur circulus lineam datam tangens; qui si volvatur, super ipsa describet centro suo lineam datæ parallelam. In eo tamen præstat evolutio, quod ejus ope duci potest parallela datæ per punctum datum. Tantum enim opus est ex hoc puncto duci tangentem ad generatricem datæ, quæ simul & generatrix erit quæsitæ; tangente ducta partem fili faciente.

MEMOIRES DE MATHEMATIQUE ET DE PHYSIQUE.
hoc est:
Adversaria Mathematica & Physica Domini de la Hire Academiæ Regiæ scientiarum membri.
Parisiis ex typographia Regia. A. 1694. 4. plag. $25\frac{1}{2}$.

COmplexus est doctissimus Auctor hoc libro varios tractatus, ad philosophiam mathematicam & naturalem illustrandam a se conscriptos: quorum *primus* agit de curvis, quæ rotatione circuli super alium circulum tanquam basin gignuntur, *epicycloidesque* commode vocari possint, de quibus tum celeberrimus Newtonus in Philosophiæ naturalis principiis mathematicis p. 147; tum Dn. D. T. in Act. Erud. anno 1690, p. 169; nec non nuper admodum illustr. Marchio Hospitalius in Act. Erud. 1695, p. 372, multa præclara tradiderunt. Ostenditur autem in eo dimensio spatii epicycloidalis, modus tangentes epicycloidum ducendi, dimensio curvæ epicycloidis, ejusque evolutio tandem & usus in mechanicis. Demonstrat enim clar. Auctor insignem hanc curvæ commemoratæ proprietatem, quod scil. si duo fuerint circuli circa sua centra mobiles, quorum posterior instructus sit dentibus, qui portiones sint epicycloidis a circulo priori super illum tanquam basin descriptæ, sintque duæ potentiæ circulis applicatæ & in æquilibrio constitutæ, dum dens posterioris circuli agit in punctum circumferentiæ prioris in linea horizontali situm; eædem potentiæ mansuræ sint in æquilibrio, si dens idem agat in idem punctum quocunque alio in situ. Hanc deinde ad usum transferre docet, dataque figura dentis cujusdam rotæ describere epicycloidem, cujus figuram æmulari debent dentes alterius rotæ æquali semper vi in alteram agentis, idque machinarum nonnullarum descriptione illustrat. Huic tractationi appendicis instar jungit examen constructionis curvæ causticæ (quoniam hæc quoque est ex epicycloidum numero, ut in

Act.

Act.Erud. A. 1690, p. 171, a Dn. D. T. ostensum) & illius quidem, quæ habetur in Act. Erud. A. 1682, p. 364, errorique in calculo admodum prolixo commisso suos debet natales, correcta tamen dudum fuit ab Auctore suo in Actis Erud. A. 1690, p. 68, & compensata constructione ex æquatione curvæ naturam legitime exprimente deducta & p. 169 geometrica demonstratione munita. Quæ constructio ipsissima est, quam Dominus de la Hire (quem proinde Acta ista nostra anni 1690 non vidisse apparet,) profert, & in eorum forsan gratiam, quibus demonstrationes ad absurdum deducentes veterum more arrident, tali apagogica ostensione confirmat. Sequitur in ordine *Explicatio præcipuorum effectuum glaciei & frigoris*, huic superstructa hypothesi: Frigus tunc a nobis sentiri, quando particulæ aqueæ nos circumstantes minus habent motus, quam illæ, quæ sunt intra partes nostri corporis; dari salia apta ad sistendum motum particularum aquearum; parum horum salium esse in sale communi, plus in nitro, plurimum in sale ammoniaco; particulas horum salium esse graciles, rigidas, longas, acutas, aptasque ad penetranda metalla ipsumque vitrum, facile ab aere commoto transferri, & facilius adhærescere particulis aqueis, quam aliorum corporum. Quod enim attinet v. g. ad glaciei formationem, hæc ita explicatur: Dum salia, de quibus dictum, aquam penetrant, sistunt particularum aquearum motum, quæ aliis eodem modo ad quietem redactis junctæ filamenta glaciei formant, majusque spatium occupant, non ob additionem tantum salium, sed quia dum obrigescunt, non possunt amplius tam arcte ut antea sibi invicem jungi, atque hinc filamenta illa leviora facta versus aquæ ascendunt superficiem, & a salibus supervenientibus quasi confibulata crustam glaciei constituunt. Quæ, dum aquæ reliquum similiter concrescit in filamenta majorem locum requirentia, rumpitur, nisi forsan vas aquam concludens debilius fuerit, & a glacie confringatur. Ex iisdem principiis redduntur aliorum phænomenorum rationes: Cur, si nec vas neque crusta rumpatur, in medio glaciei appareat bulla aeris valde rarefacti? Cur aer crassior, h. e. plurimas particulas aqueas valde agitatas continens, frigore condensetur? Quomodo magnum frigus sine congelatione possit ingruere, & viceversa? Cur fructus arborum, paucas quippe particulas aqueas, plurimas oleosas & unctuosas continentes, non facile congelascant, sed conglaciati frigidæque immersi sine noxa dege-

degelent, & a congelatione quoque defendantur, si tegantur stramine, & super hoc extendatur pannus madefactus, vel matta straminea valde spissa & probe humectata? Cur metalla, quamvis non multum aquæ contineant, nisi in superficie, frigidissima adpareant? Cur glacies facilius solvatur ab aqua tepida, quam igne? Cur lapides cæmentitii, inprimis illi, qui ope pulveris pyrii loco suo natali excussi fuerunt, fissurasque hinc, licet imperceptibiles contraxerunt, a gelu corrumpantur? Cur aqua salsa difficilius concrescat quam aqua communis, cujus particulæ non distinguuntur a se invicem ab intercedentibus salinis? &c.

Excipit dissertationem jam commemoratam *Explicatio diversorum illorum sonorum, quos chorda super instrumentum musicum buccinæ sonitum æmulans* (trompette marine) *tensa edit*, laudata expositione P. Dechales, & suppletis particularibus nonnullis, ad quæ dictus Pater non attendit. Huic subjicit eruditissimus Auctor suam de sono hypothesin, quod scilicet in corporibus elasticis vera soni causa sit motus undulatorius partium minimarum ex quibus constant; vibrationes autem vel totius corporis sonori, vel ejus partium majorum, non possint nisi per accidens efficere sonum, eumque admodum debilem. Ex hac explicat observationes partim proprias, partim Dn. Abbatis Galloys, quod scil. forceps focaria corpore duro percussa, si annulus ejus sustineatur vel digito vel alia re molli, quæ non multum possit impedimenti objicere ejus undulationibus, vel duro quidem corpore, sed quod facile possit in similem motum concitari, valde clarum edat sonum; obtusiorem autem, si incumbat annulus clavi ferreæ aut alii corpori rigido, cui propter suam crassitiem ac figuram, undulationes partis resonantis non facile possint communicari. Ultimum locum occupat *Dissertatio de diversis accidentibus visus*, in duas partes divisa, quarum *prima* generalia quædam de visu primum proponuntur. Nimirum similem humorum in duobus oculis diversæ magnitudinis conformationem non sufficere ad æqualem utrique visus perfectionem conciliandam, cum oculus, cujus diameter duarum linearum, æque bene videat objecta valde remota, ac oculus similiter conformatus, cujus diameter pollicaris requiratur, ut retina ejus 36ies sit subtilior & ad sentiendum aptior, quam oculi alterius: esse in retina partem reliquis magis teneram, ut si in illam incidant apices conorum radiosorum,

forum, objecta longe melius quam alias videamus, eamque in utroque oculo eundem habere situm, fierique hinc, ut utrumque oculum eodem modo versus objectum convertamus; sed si pars hæc non eundem locum in utroque oculo occupet, oriri strabismum: distantiam objectorum apparentem ex magnitudine apparenti, coloribus vividis, directione oculorum, objectorum parallaxi, & distinctione minimarum objecti partium dijudicari: & id genus alia. Porro autem ostenditur quid myopibus, presbytis, & visu, qui perfectus dicitur, gaudentibus accidat, cum vel retinæ aut humoribus insidet aliqua imperfectio, vel pupilla est nimis dilatata aut constricta. Quod ergo ad myopes attinet, de illis primum agitur, qui humores habent turbidos aut coloratos, & quia rara est eadem dispositio in utroque oculo, methodus traditur explorandi, utrum imago in utraque retina iisdem coloribus pingatur; quæ in eo consistit, ut duæ chartæ lusoriæ foramen $\frac{1}{3}$ aut $\frac{1}{4}$ lin. habentes, oculis aliquamdiu clausis & deinde versus objectum album conversis applicentur, & ita moveantur, ut ipsis duo circuli albi appareant, qui an eodem colore sint imbuti, facile animadverti potest. Refertur quoque experientia constare, illos, qui uno oculo objecta magis rubra vident quam altero, istum in usu quotidiano fortiorem judicare. Ab his ad myopes acceditur, qui pupillæ aperturam nimis magnam habent, vitiaque recensentur, quæ hinc oriuntur, quod crystallinus humor non habet figuram omnes radios a puncto quodam profectos in unum punctum colligendi. Ex eadem causa, irregularitate nimirum vel humoris crystallini vel corneæ, apparentia iridis circa candelas derivatur; non autem, ut putat Cartesius, ex rugis circularibus, quarum formatio difficilis explicatu. Ratio quoque redditur experimenti paradoxi, in myopibus præcipue, quorum cornea valde protuberat, locũ habentis, quo scilicet res videtur, quando non convertitur ad illam oculus, non videtur, quando convertitur: si scilicet corpus nigrum v.g. pileus genæ admoveatur, quod objectorum a latere positorum conspectum impediat, & tamdiu convertatur caput oculo immoto, donec parvum objectum album in plano nigro in oculum incurrat. Si enim capite jam immoto convertatur oculus versus objectum, visui illud a corpore nigro eripitur. Docetur etiam, quod ex myopibus illi, qui crystallinum bene dispositum, convexiorem autem corneam habent, juventur a vitris concavis; reliquis

liquis autem parum levaminis ab illis sperare liceat. Eodem fere modo de presbytis agitur, rationesque phænomenorum, quæ illis contingunt, redduntur. Ita, v. g., maculæ constantes, quas in objectis videre sibi videntur, derivantur a vasculis sanguiferis disruptis, quæ in causa sunt, ut retina illa in parte, quam sanguis extravasatus occupat, non sit satis acuti sensus; mutabiles vero ex partibus heterogeneis humori aqueo innatantibus eoque specie levioribus, quæ labem aspergunt imagini, non secus ac atramentum, si vitrum oculare tubi optici eodem inficiatur. Ad visus perfecti accidentia refertur, quod qui tali sunt instructi, non vident colores iridis in bullis vitreis, aut roris guttulis herbis adhærentibus, nisi tanto ab illis absint spatio, ut non satis distincte intueantur parvas illarum partes. Tandem illa quoque explicantur, quæ omni visus generi solent accidere; qualia sunt, quod paululum conniventes, radios circa candelas videmus; in quo phænomeno explicando Briggii probatur hypothesis, Cartesii vero & Rohaulti refellitur: quod cum confuse videmus objecta lucida, aliquando macula nobis apparet cito transitura, si palpebras commoveamus; cum oriatur ex materia opaca corneæ inhærente & facile abstergenda: quod strabismus oritur ex humore crystallino oblique suspenso: quod per scissuram angustam & longam in charta factam candela multiplicata adparet: quod objecta utroque oculo conspecta per aliquot dies geminata videntur, si musculi alterius oculi a catharro impediantur, quo minus dirigant axem visionis more consueto versus objectum: quod qui res in conclavi repositas per fenestras vitreas inspiciunt, non satis distincte clareque illas vident, in magna quippe luce exteriori constituti, recipientesque lumen satis validum a fenestris reflexum, neque proinde apti ut percipiant debile illud lumen, quod a corporibus in conclavi existentibus parumque illuminatis per fenestras propagatur, &c. Tandem confirmatur, retinam esse præcipuum visionis organum, in quod tamen lumen agat choroide mediante, quæ cum sit colore obscuro, apta est ut a lumine valde commoveatur, motusque suos retinæ communicet, perinde fere ac lamina spiralis motus aeris recipit, eosque ramificationi nervi acustici adjacenti communicat: & ex hac hypothesi Mariotti experimentum explicatur.

Secunda dissertationis parte refutat clarissimus Auctor eorum sententiam, qui ut oculus objecta mediocriter propinqua ac remota

æque bene videat, mutationem vel in oculi totius, vel in cryſtallini humoris figura requiri ſtatuunt. Negat enim corneam figuram mutari poſſe, cum nullis inſtructa ſit organis ad hoc ipſum neceſſariis; aut ſcleroticam tunicam, valde quippe duram, a muſculis, qui motui oculorum dicati ſunt, ita comprimi, ut oblongior oculus efficiatur; aut tandem a ligamentis ciliaribus, in quibus nihil muſculoſi a dexterrimis Anatomicis adhuc inventum, cryſtallinum humorem ex pluribus pelliculis conflatum ita poſſe conſtringi, ut aliam ſubinde figuram induat, neque tamen pelliculæ rugas contrahant.

Cenſet autem, hoc præcipue experimento convelli poſſe communem hypotheſin, quo ſcilicet illi, qui objectum remotum $1\frac{1}{2}$ ped. per duo exilia foramina lamellæ, quorum diſtantia non eſt major diametro pupillæ, ſimplex vident, ſi idem objectum removeatur 6 ped. per eandem lamellam illud geminatum conſpiciunt; quod fieri non poſſet, ſi oculus acquiſiviſſet conformationem ad objectum 6 pedes remotum bene cernendum, quemadmodum eandem habet ad conſpiciendum objectum diſtans $1\frac{1}{2}$ ped. Eodem utitur experimento Auctor ad inveſtigandam oculorum, conſtitutionem viresque aut debilitatem eorum dimetiendam, ſive ad unam eandemq; perſonam diverſis temporibus, ſive ad plures ſimul reſpectus habeatur. Si enim alicui objectum ex aliqua diſtantia viſum per lamellæ foramina geminatum appareat, quia pro illa diſtantia oculus vel majorem vel minorem, quam par eſt, convexitatem habet, lamellæque admoveatur lens convexa aut cava, quæ efficiat ut objectum in eadem diſtantia ſimplex cernatur, lentem illam vel potius diſtantiam foci ab ipſa, menſuram eſſe dicit defectus illius, quo oculus prohibetur diſtincte videre objectum in tali diſtantia collocatum. Hinc quoque relationem, quæ inter duos oculos eſt, quoad debilitatem deprehendi poſſe autumat, quia eorum differentiam metitur differentia focorum lentium adhibitarum ad idem objectum ex eadem diſtantia ſimplex videndum, ita ut, ſi unus oculus requirat lentem convexam foc. 15 pollic. alter 10, hic cenſendus ſit debilior priori 5 pollic. Ut autem eodem experimento cognoſcatur, utrum quis ſit presbytes an myops reſpectu certæ diſtantiæ, tegere jubet unum ex foraminulis. Si enim ex illa parte ubi foramen opertum eſt, evaneſcat imago, radii ultra retinam concurrunt, ut in presbytis; ſin diverſa ex parte, cis retinam, ut in myo-

myopibus. Eandem methodum commendat ad quærendam longitudinem focalem lentis, quæ adhibenda myopi aut presbytæ ad minutos characteres in distantia $1\frac{1}{2}$ ped. legendos, nulla ut oculo vis inferatur. Tandem diversam illam conformationem oculi ejusdem non esse necessariam contendit, cum licet paulo ante aut post retinam concurrant radii ab eodem provenientes puncto, imago tamen in retina non sensibiliter vitietur, præsertim si pupillæ apertura rite moderetur illapsum luminis, conosque visorios satis acutos efficiat. Quod autem, quando diu hæsimus in objecto remoto contemplando, objectum propinquum ægre possumus distincte perspicere, si subito ad illud convertamur, hoc non mutationi conformationis, sed difficultati axes visorios statim rite disponendi, aut aperturam pupillæ augendi vel minuendi tribuit.

GEORGII WOLFGANGI WEDELII EXERCITATIONUM Medico-Philologicarum, sacrarum & profanarum, Decas octava.

Jenæ, sumtibus Jo. Bielckii, A. 1696. in 4.

Constat plagulis 10.

PErgit adhuc illustris Auctor in associanda Medicinæ Philologia curiosiore, jamque Exercitationum aliquoties a nobis celebratarum Decade octava eruditum orbem beare dignatus est, cujus proinde summam cum L. B. nunc communicamus. In Exercitatione *prima* vocabulum אהלים considerat, quod in Scripturis non uno loco obvium ac diversimode ab interpretibus translatum esse docet. De re itaque significata solicitus non ab iis modo recedit, qui stacten intelligant seu florem myrrhæ, sed & ab his, qui aloen *κατ᾽ ἐξοχὴν* dictam, socoterinam illam vel hepaticam, notari existiment. Multo minus ex ipsius mente referenda huc est aloe fossilis, putata in Judæa nasci; quemadmodum quoque refragatur Edmundo Castello & Buxtorfio, quorum ille crocum, hic sandalum substituat; ac tandem, cum hac voce in textibus Biblicis exprimatur aroma suavissimum, idque decorem, splendorem, gratiam, incentivum, usum, durationem, profunditatem, imo & majestatem respectu personæ vel rei, de quibus ibi sermo, innuat, nihil esse arbitratur pronius, quam ut per vocabulum istud intelligas agallochum seu xyloaloen, quæ Plinii tarum sit, & cui prædicata

dicata illa omnia ex asse competant. In *secunda* explicat *mythologiam Parcarum*, & curiosam quidem eorum dicit derivationem, qui non generatim modo Parcas ab Hebræorum verbo separationem signante appellatas statuant, sed speciatim quoque nomina quarumvis propria ex iisdem fontibus deducant, ac radices officia earum denotantes singulis accommodent. At enim vero cum Parcarum nomen apud Latinos solum auctores occurrat, & reliqua propria Græcis debeantur, parum roboris inesse allusioni isti colligit. Clotho enim ipsi indubie videtur dicta a verbo *κλώθω*, neo, circumvolvo, filum glomero; Lachesis ἀπὸ τοῦ *λαγχάνειν*, a sortiendo; Atropos ab *α* privativo & *τρέπεσθαι*, quasi quod non vertitur. Parcas vero *κατ' ἀντίφρασιν* a parcendo nuncupatas, vulgo statuitur. Sed Auctori vocabulum hoc *μέσον* est, & in bonam quoque partem sumi Parcas ipse perhibet. Ut adeo totum fatorum ambitum, bonaque, mala, media per totum vitæ tempus evenientia, sub nomine Parcarum comprehendi cupiat. Bona ipsi notat Clotho, mala Atropos, media Lachesis. Exponi alias earum refert nomina vel de triplici ordine temporum, ita, ut Atropos præterita, Lachesis futura, Clotho præsentia exhibeat: non inconcinne tamen eas quoque trahi posse ad vitæ & mortis momenta designanda, ubi Clotho connexionem perpetuamque luculæ vitalis successionem, Lachesis varias & mille occasiones modosque moriendi, Atropos circulum & motum sanguinis impeditum repræsentet. Ut taceamus, quod & imaginem modorum moriendi, naturalis, violenti, & morbosi; partium item machinæ vitalis, spirituosarum, fluidarum, solidarum, per eas sisti; quod fortuita, inevitabilia, necessaria; quod in foro medico experimenta, rationes, & axiomata scientifica iisdem adumbrari posse superaddat. In *tertia* duplicem e sacris literis *paralysin* in medium adducit, *universalem*, quæ totum corpus aut potissimam illius partem; & *particularem*, quæ membrum solum aliquod affecerit. Ad primum illud genus exempla duo refert, unum, quod Marc. II, 3. Matth. IX, 2. Luc. V, 18; alterum, quod Joh. V, 5. describitur. Ad secundum ubi progressus est, comparat inter se Jeroboamum, 1. Reg. XIII, 4, & pauperculum illum Matth. XII, 10. Marc. III, 1. Luc. VI, 6. in Synagoga Judaica comparentem, quorum uterque manum aridam habuerit. Ibi vero non minus atque heic in exponenda morbi natura perquam erudite occupatus est. In *quarta morbum*,

bum, qui *Petri socrum* detinuerit, omnium exactissime & ipsis terminis medicis a Luca, artis hujus gnaro, delineatum reputat, dum ille scripserit: ἦν συνεχομένη πυρετῷ μεγάλῳ. Febrem nempe fuisse non aliquam ex intermittentibus, sed continuam, quæ ad ἀπυρεξίαν, donec ex toto solvatur, desinere non soleat, ardentem, gravissimam, ad mortem terminandam; unde latas miseræ a Christo archiatro suppetias eo magis mirandas ac deprædicandas colligit. Pharisæos *mentham, rutam, anethum, cuminum, & omnia oleracea decimasse*, ex Matth. XXIII, 23. & Luc. XI, 42. manifestum est. In his autem oleribus curatius paulo considerandis dignam in Exercitatione *quinta* Auctor collocavit operam. In *sexta* agit de *Theophrasti corchoro*, & qualis sit hæc herba, ad illustrandum proverbium, *corchorus inter olera*, disquirit. A plerisque eam statui sylvestrem & vilem, sigillatim ab aliis vocari anagallidem, ab aliis hieracium murorum, ab aliis melochiam, ab aliis angelicam sylvestrem observat. Prius vero uti non inficiatur, ita a posterioribus dissentiens, pro corchoro mercurialem, herbam notissimam, substituit. Proverbii vero sensum & hunc assumi posse autumat: corchorus, contemta & vilis herbæ species, adsciscitur inter olera; sic spreta sæpe ab aliis persona emicat, & amplis mactatur honoribus, ususque exhibet reipublicæ insignes. Cæterum nec iis tamen refragatur, qui in significatum non adeo bonum idem illud trahere laborent. In *septima valvulas*, *conniventes* dictas, inque intestinis, nec illis tamen omnibus, reperiundas contemplatur, earumque locum, mechanicam, & usum latius explanat. Exercitatio *octava* de *minio lunari* agit, quod inveniri testatur Auctor in destructis fornacibus ustoriis antiquioribus, in quibus ei materiam præbent mineræ plumbi & argenti feraces, unde veluti secundario ac præter artificum intentionem generetur, & a Syrico seu sandyce minio vulgari officinarum distinctum sit. Non ignotum id fuisse veteribus, per allegata Plinii ac Dioscoridis testimonia probatum dat. Est inter opera Ovidiana aliquod *de medicamine faciei*, quod vel pro spurio habetur, vel ignoratur, & in editionibus non paucis disparet. Auctor vero & genuinum illud facit, & medicaminum ibi memoratorum ingredientia non explicat tantum & vindicat, sed in formulas quoque justas redigit, ac denique sub finem cosmetica quædam probatiora nostroque seculo usitata adjicit. Cuncta autem hæc Exercitationem *nonam* conficiunt, quam *decima*

de

de *nummis pileatis* excipit. Nimirum pileos ab antiquissimis inde temporibus non Persis modo, Parthis, Dacis, sed Græcis quoque ac Romanis usitatos fuisse, e nummis maxime idoneis evincit, & ex iisdem præterea pileorum formam ostendit. Quem in finem aliquot nummorum ad hoc institutum pertinentium typos æri incisos exhibet, ac superpondii in locum lemmata & signa pileorum charactere declarata enumerat.

CASPARIS BUSSINGII, VERBI DIVINI APUD HAMBURgenses Ministri, & Mathematum Professoris Publici, De Situ Telluris Paradisiacæ & Chiliasticæ Burnetiano Dissertatio Mathematica.

Hamburgi typis Zieglerianis, 1695, in 4. plag. 6.

THeoriam sacram Telluris *Burnetianam*, *Actorum anni 1682, p. 70. seqq. & Supplem. Tom. I. Sect. VIII. p. 304.* recensam, non ab uno antagonista oppugnatam fuisse, ex Actis A. 1686, p. 522, seqq. & 1691, p. 97, 329, B. L. recolet. His, præter *Janum Birckerodium*, Theologum Haffniensem, & *Christianum Wagnerum*, collegam nostrum desideratissimum, utrumque νῦν ἐν ἁγίοις (quorum prior anno 1688, alter anno 1683 in dissertatione academica, labore hoc defuncti sunt) jungendus est clarissimus *Auctor*: in hoc tamen ab iisdem diversus, quod non integram ejus theoriam, sed unam tantum ejusdem thesin, circa situm Telluris Paradisiacæ examinandam sibi sumserit.

Nimirum statuerat *Burnetius*, Tellurem Paradisiacam, non uti postdiluviana se habet, ad Solis orbitam obliquam, sed rectam fuisse, eundemque hunc post conflagrationem ejus situm futurum Chiliasticæ: atque ex istiusmodi positu ea felicitatis Paradisiacæ phænomena derivaverat, quæ sub perpetuo æquinoctio summam cœli clementiam, temporumque perennem serenitatem, nulla æstatis brumæque vicissitudine, prout nunc contingit, consequuntur.

Hanc *Burnetii* hypothesin ita *Auctor* aggreditur, ut ex principiis, cum quæ omnibus promiscue Astronomis rata sunt, tum quæ *Burnetius* cum *Keplero* & *Cartesio* communia habet, & porro Burnetianam consequuntur, nova & evidenti hypothesi, a priori demonstrata evincere studeat: *Tellurem non alio ac nunc*, hoc est obliquo, *ad Solem situ fuisse, aut esse posse.*

TYPUS VORTICIS SOLARIS TAB. IX. ad A. 1695.
pro demonstranda Obliqvitate Eclipticæ. pag. 505.



Ex fundamentis hypotheseos, id unicum, cum cætera ex scitis *Kepleri, Cartesii* ipsiusque *Burnetii* nota sint, memoramus, supponere *Auctorem* præducibus dictis Philosophis, nec dissentiente, uti vult, ipso *Burnetio*: *materiæ vorticis Solaris aliquam etiam partem in latum ad polos vorticis ferri, & lineis parabolicis in alterutrum tam Solis quam Planetarum polum infundi, & per oppositum iterum effundi; harumque partium*, quas *directorias* & *libratorias*, *fibras* item *Solipetas* & *Solifugas*, *Keplerum* imitatus, appe'lat, *sagittiformium impetum inæqualem esse; minorem earum, quæ ex Sole egressæ statimque inflexæ, minores; majorem earum, quæ longius evibratæ majores parabolas describunt. Harum fibrarum, quæ in Tellurem impingunt, ingressu egressuque, ignem Telluris subterraneum & centralem* (Burnetianum) *crustæ durissimæ inclusum, ita ventilari agitarique, ut eruptione violenta, per modum tormentorum aut pyrobolorum, ab explosione resilientium, impetum largiatur, non solum impetui fibrarum resistentem, sed & minores parabolas circa corpus Telluris de polo in polum generare validum.*

Horum causa intelligatur, juxta Figuram adjunctam, Sol S circa axem DE, Æquatori BC perpendicularem, motu vertiginis continue gyrari; ex quo vorticis Solaris BWEXCYDZ partes (quas ut a partibus directoriis distinguat, Auctor *motrices* nuncupat) sequentur motum Solis, ex B ante S in C, & hinc post S iterum in B: velocissime quidem, quæ sunt ipsi S proximæ; tardius, quæ in distantia F, K, M; tardissime, quæ in C aut B & ultra circumagentur: circumrotabuntur autem his cum partibus simul & corpora planetaria hic depicta, eadem velocitatis ratione. Interea & alterum particularum ætherearum genus, *fibræ directrices*, movebuntur a polo Boreo S versus E, & hinc parabolice per X in C, post per I & Y versus D simili prorsus parabola, usque dum revertantur ad polum Austrinum Solis S. Et sic pariter in oppositam plagam directa fibra ex S per E & W pertinget in H & B, indeque per Z & D retroagetur in S. Reliquis innumeris, longius propiusve evibratis simili per omnia itinere ad Solem revertentibus. TAB. IX.

Supponatur jam Tellus in ♎, sitque in Æquatore BC, in puncto perpendiculariter ante S concipiendo, indeque menstruo circiter spatio moveatur ad M, cui in Æquatore respondet punctum F; erit ea

non in F, ſed in Eclipticæ HI, puncto G: quia parabolæ fibrarum directricium, dum Tellus ad Aphelium A longius indies a Sole S recedit, fortiores indies fortioresque in polum ejus Boreum irruunt, & igne centrali nondum ſatis renitente, dum S in F moveri deberet, ita continue detrudunt, ut ab S in G moveatur, & declinatione GF ab Æquatore jam diſtet. Moveatur porro in orbita ſua a ♏ ad ♐, hoc eſt in plano Æquatoriali ab F in K; movebitur ea in orbita ſua a G in L, quia fibræ directrices parabolarum ab S d G ad SeL ſemper majores & validiores, eam paulatim detrudunt a G in L, declinatione ab Æquatore LK. Cum autem his validioribus fibris ignis centralis Telluris validius agitetur: idem hic impetu in contrarium dato, reniti paulatim incipit, unde declinatio circa Tropicos minuitur. Nihilominus tamen, dum Tellus a ♐ movetur in A, ſeu ♑ a via Æquatoria KM magis adhuc ab L in A detruditur, atque ita declinationem maximam nanciſcitur. Hic enim ignis centralis jam ita invaleſcit, ut fibris directricibus deſuper irruentibus prævaleat, impetuque in contrarium ſurſum verſus, per modum pyroboli, totam Tellurem verſus Æquatorem elevare incipiat; qui conatus tanto felicius ſuccedit, quia Tellus ab A verſus P ſemper in minores parabolas incidit, quæ impetui ignis minus minusque reſiſtunt. Unde dum Tellus a ♑ in ♒, hinc in H, & & inde in V movetur; in plano Eclipticæ ab A in L, hinc in G, & inde in punctum, quod perpendiculariter poſt S latet, declinatione Auſtrina ſemper decreſcente, moveri videtur. In V autem, quamvis Terra in plano Æquatoris conſiſtente, æquilibrium rurſus obtinere deberet, quia tamen impetus fibrarum adhuc continue decreſcit, Terra minoribus parabolis expoſita, ignis centralis impetum ſuum ultra Æquatorem continuat, & dum Tellus ab ♈ in ♉ ab S in O moveri deberet, extruditur ab S in N, hinc in Q, & inde in P; creſcentibus ſemper declinationibus Boreis NO, QV, PR, dum per ♉ & ♊ incedens alias per V in R moveretur. Quia vero fibræ parabolarum minorum S c N, SbQ, SaP ignem centralem jam minus ſtimulant, ille paulatim ſopitur & ita ſedatur, ut fibræ parabolarum etiam minimarum circa P cum eo luctari, eidemque prævalere incipiant: quæ cum a puncto P, Terra a Perihelio recedente, ſemper creſcant, & fibras majoribus viribus polo Telluris Boreo impingant, hanc dum per ♋ ad ♎ movetur, ex P per Q & N iterum ad punctum æquatoriale, unde periplus ejus cœptus

ptus est, detrudunt; eadem obliquitate singulis deinceps annis revolvendum.

Atque hæc est *Theoria obliquitatis Eclipticæ Bussingianæ*, quam cum Illustribus per orbem Mathematicis nuncupaverit, eorum judicio permittimus decernere de momentis ejusdem & difficultatibus, quibus eadem, prout hic breviter, & quantum per angustos dissertationis limites fieri potuit, proposita est, nondum expedita videtur; quarum libero indicio & placida discussione non dubitamus incitatum iri *clarissimum Auctorem*, ad perficiendam porro hanc Theoriam suam planetariam.

Quod argumenta contra *Burnetii* orthothesiam Telluris Paradisiacæ concernit, eorum alia ex hypothesi modo explicata, atq; a priori, secundum *Autorem*, depromta sunt, eamque ex *causarum*, obliquitatem Telluris ad Solem efficientium perpetuitate & constantia, quam constantem & perennem effectum consequi necesse sit; ex *Eclipticæ & Æquatoris coincidentia*, in Telluris positu *Burnetiano* necessaria, ipsi vero *Burnetio* tantopere invisa & negata; *ex fibrarum cum axe Solari in descensu suo ad & ultra Tellurem parallelismo invariabili*, cui cum obliquatione earum, in situ *Burnetiano* necessaria, & per quam v. c. fibris in *b* & *i* Telluri impactis, per *g* & *k* iterum egrediendum fuisset, convenire nequeat; ex *particularum Solaris vorticis motricium obliquo in polos Telluris* (juxta *Burnetium* ad polos axis Solaris, circa quem eæ rotantur, obliquos) *incursu*, indeque oriundis fibrarum directricium disturbatione, Telluris vaga nutatione, ac tandem ex vortice suo ejectione, impugnant: Alia a thesibus *Burnetianis*, aut aliunde jam notis & indubitatis petita sunt, videlicet a *constanti cæterorum Planetarum primariorum obliquo ad Solem positu, axibus* vero *eorum ad Æquatorem rectis*, parique adeo Telluris, tanquam paris, cum illis conditione; *Polorum Æquatoris circa Polos Eclipticæ quotidiana circumvolutione; gladio flammante*, (qui Zona torrida est *Burnetio*, eaque plane impervia) *loco Paradisi trans Zonam torridam in terra Australi*, atque inde *Burnetio* inexplicabili Protoplastorum in partem septentrionalem expulsione; *Tellure primigenia maximam partem aliquo modo Paradisiaca*, adeoque Protoplastorum conditione post ejectionem non sequiore, quam ante eandem fuerat, quod cum maledictione divina diserte pugnet; *unico Telluris hemisphærio ante diluvium*

 homi-

hominibus inhabitato, cujus (ob Zonam torridam frigidamque, utramque *Burnetio* tunc inhabitabilem) ſpatium non ſuffecerit ingenti hominum antediluvianorum multitudini; *eadem perpetuo temperatura Telluris antediluvianæ*, hominibus, animalibus & vegetabilibus noxia & vix tolerabili; *fluxu fluviorum Paradiſiacorum*, orbis Paradiſiaci partibus nullis declivibus, impoſſibili, nec figura Telluris ovali explicabili; *calore immodico & nimio Solis æſtu in recto Telluris poſitu* continuis ventorum orientalium flabris, profundiorique partium Telluris in umbram nocturnam immerſione, non ſatis commode temperato; vindicato dextreque expoſito *loco Geneſeos* IIX, 22, quippe qui non nova tempora inducta, ſed uſum tantum veterum reductum innuat; *ſacra chronologia*, per Telluris orthotheſiam fluxa atque incerta reddita: quorum ſingulorum explicatiorem cognitionem *Clariſſimus Auctor* Lectori præbebit.

EPISTOLA S. PAULI AD HEBRÆOS EXPLICATA A SAMUELE Szatmar NEMETHI, antea Ling. SS. & Philoſ. mox Theol. in Coll. Reform. Claudiopolitano Profeſſore, h. t. electi Tranſſylvaniæ Celſiſſimi Principis Ephoro.

Franequeræ, typis & impenſis Joh. Gyzelaar, A. 1695. in 4.

Conſtat Alphab. 4.

UTilem novo hoc in Epiſtolam D. Pauli ad Hebræos Commentario navavit clariſſimus Auctor operam, iis potiſſimum, qui pro concione populum informant, profuturam; quandoquidem vocabulorum ac phraſium ſignificatus atque uſus ſolicite eruit, & inſuper materiam theologicam amplificationi verborum inſervientem larga ſubinde manu ſuppeditavit. Præmiſit totius Epiſtolæ textum Græcum una cum Latina verſione, lemmata item capitum pro ſuo judicio diſpoſita; ſicuti & copioſum non locorum modo Scripturæ, quæ in hoc opere vel fuſius explicata, vel per inſtitutam collationem aliasve illuſtrata fuerunt, ſed & rerum præcipuarum, vocumque Hebraicarum pariter ac Græcarum iſthoc in tractatu expoſitarum, Indicem ſubjunxit.

Poſteaquam Paulo ſcriptum hoc aſſeruit & vindicavit, ſcopum atque argumentum ejus facit inſtitutionem & adhortationem directam ad Hebræos jam converſos & in Chriſtum credentes, ſed legi Moſis.

Mosis adhuc addictos, eam cum Evangelio miscentes, & a Judæis infidelibus multis modis solicitatos ac vexatos, qua illi, proposita Christi persona, officio, & eminentia, collata etiam legis & evangelii doctrina, ac rituum Mosis antiquatione per Christum demonstrata, excitentur ad fidem firmam & sinceram in Christum, confirmentur multis modis adversus cruces ferendas, & ad exercitium fidei, spei, charitatis stimulentur, ut effugere possint judicium DEI imminens præsertim iis, qui ab agnita semel veritate deficiunt. Quamobrem potissimam ejus rationem in διδάξει atque παρακλήσει versari monet, atque ad hunc scopum expositionem suam perpetuo discursu constantem per omnia informat, quomodo partes & inter se cohæreant, & cum primario instituto combinentur, justo ubivis loco indigitans.

ELEMENS DE BOTANIQUE &c.

id est:

Elementa Botanices, seu Methodus cognoscendi Plantas, auctore Pittone Turnefortio, Academiæ Regiæ Socio & Professore Botanices in Horto Regio.

Parisiis ex typographia Regia, M DC XCIV. in 8.

Alphabet. 1. plag. 16. & fig. æn. 451.

TRes sunt Tomi totius hujus operis, quorum primus textum, reliqui duo icones nitidissimas huic accommodatas exhibent. Quod ad primum, præfatur nobilissimus Auctor de facilitando Botanicæ studio, eamque in gratiam prolixe docet, veteres quondam fuisse paucis contentos, magisque solicitos de viribus, quam ordine vel nominibus plantarum: crescente autem harum numero, a celeberrimis hinc inde Botanicis successu temporis insigniter aucto, tandem cœpisse quosdam meditari certam methodum, ad quam reducerentur omnes, ope characteris cujusdam essentialis, seu similitudinis manifestæ, qua stirpes inter se convenirent. His præmissis, dispescit opus suum in tres partes. *Prima* ostendit, quomodo vegetabilia commode ad certa quædam genera reduci possint, & quidem considerando fructus, semina floresque; prout id inter omnes alios primus tentavit superiori seculo Gesnerus, & post eum Camerarius in Epitome Matthioli atque Horto Medico & Philosophico (sed adjutus scriptis figurisque Gesneri) quem secuti sunt Cæsalpinus, Fabius Columna, Morison atque

Rajus. Postquam enim partes plantarum potiores, radices puta, folia, caules, flores fructusque consideravit, quæstionem movet, an convenientia cunctarum partium requiratur ad characterem illum constituendum; an vero sufficiant tres earum, vel duæ tantum, vel unica etiam? Rem igitur variis tentat modis, combinando radices cum foliis, floribus vel fructu, folia cum floribus & fructibus &c. Nihilominus propter difficultates undique occurrentes, tandem concludit, optimum fore, si flores fructusque ac semina pro nota characteristica sumamus. In quo equidem sectatur alios, ea tamen libertate sibi servata, ut sibi sit integrum, si minus suffecerit convenientia florum fructuumque, ad aliam quandam partem respicere.

Hinc duo constituit genera plantarum, alia primi, alia secundi ordinis. In illo genere nihil attendit præter convenientiam florum fructuumque: in hoc præterea respicit ad particularia, radices scilicet, folia, caules, perianthia, succos, colores, sapores &c.

In *secunda Parte* proponitur modus distribuendi summa illa genera in suas classes vel ordines. Cumq; non difficultas una eos premat, qui ad semina respicientes, aliam classem constituunt Gymnospermorum, aliam Angiospermorum, vel secundum numerum seminum plantas coordinant; itaque flores potissimum advertere jubet, utpote qui & oculos atque mentem pressius afficiunt. Jubet autem non tam ad numerum petalorum florem constituentium respicere, quam ad structuram potius. Istam enim methodum rejicit ex causa duplici, scilicet quod cuncti flores non constent petalis, uti apparet in stamineis; ac deinde, quod petalorum numerus non sit idem in omnibus speciebus ejusdem generis; id quod exemplo Ranunculi, Pulsatillæ & Caryophyllatæ docet. Quapropter ad structuram potius florum attendit unice, atque ideo dividit eos in stamineos & foliatos. Staminei sunt ipsi, qui petalis non gaudent, sed staminibus tantum, & quanquam interdum foliati videantur, aliter tamen monet censendum esse, cum foliola quæ fructum tegunt e. g. in Bistorta, solum pro calice habenda sint, quod contra naturam florum existat tegere fructum; vide Dictionarium sub finem operi adjectum p. 536. Reliqui perfectiores dicuntur foliati, quod constent foliis ab involucro fructuum distinctis. Atque hi sunt vel simplices vel compositi. Simplices sunt, quando unicus flos in peculiari hæret calice, quales sunt monopetali regulares

res vel irregulares, tetrapetali flore quasi cruciato, polypetali flore quasi rosæ vel caryophyllo vel lilio similes, vel denique irregulares polypetali. Compositi, quando plures flosculi eidem perianthio includuntur, sunt vel ex pluribus flosculis quasi stellatis, vel ex dimidiatis quasi, vel denique radiati ex utroque genere coalescentes.

His positis Classes plantarum constituit XXII. quarum *prima* & *secunda* flores monopetalos regulares; *tertia* & *quarta* monopetalos irregulares; *quinta* tetrapetalos; *sexta* polypetalos, quasi roseos; *septima* umbellatos; *octava* caryophyllo similes; *nona* liliaceos cum bulbosis atque similibus; *decima* leguminosos; *undecima* reliquos flore irregulari polypetalo; *duodecima* compositos ex flosculis tubulatis; *decima tertia* compositos ex semifistularibus; *decima quarta* radiatos; *decima quinta* stamineos; *decima sexta* plantas, quarum flos incognitus est; *decima septima*, quarum flores ac semina vix conspicua sunt; *decima octava* arbores & frutices flore stamineo; *decima nona* arbores nucamenta ferentes; *vigesima* arbores & arbusta flore monopetalo; *vigesima prima* arbores & arbusta flore rosam æmulante; *vigesima secunda* arbores & arbusta flore papilionaceo.

In tertia parte pertractat Auctor jam enarratas Classes singulas, ita ut eas in quasdam sectiones primum, post in certa genera distinguat, his vero constitutis recenseat species, quotquot sub quovis genere occurrunt. Describit autem notas cujusque generis characteristicas, non verbis modo, sed adjectis ubique figuris æri incisis.

Cumque ambiguitas nominum non parum difficile reddat studium botanicum, in eo laudandus est maxime clarissimus Auctor, quod melioris distinctionis ergo nomina vel minus usitata, vel etiam penitus nova in locum ambiguorum substituat, e. g. Marrubium palustre vulgo, ipsi vocatur Lycopus: Linum umbilicatum, Omphalodes: Nasturtium Indicum, Cardamindum: Lysimachia purpurea, Salicaria: Papaver spinosum, Glaucium: Amaranthus baccifer, Phytolacca: Astragalus siliqua utrinque serrata, Pelecinus: Carduus sphærocephalus, Echinopus: Sambucus aquatica, Opulus: Colutea Scorpioides, Emerus: Pseudo-Gelseminum flore Phœniceo, Bignonia: Juncus floridus, Butomus &c.

Denique de hoc monendus est Lector, si forte sub titulo florum regularium in classe 1. 2. 3. reperiat irregulares, e. g, Rapunculum,

Hyo-

Hyoſcyamum, Rapuntium, Valerianam, Valerianellam, Echium, Veronicam, Verbaſcum, Blattariam, Pyrolam, Geranium &c. viciſſim Aquilegiam egregie regularem irregularibus adjectam in claſſe 12, in eorum examine non fuiſſe adeo rigoroſum Auctorem, ſicuti primum hujus diſtinctionis inventorem clariſſimum *Rivinum* noſtratem. Item non adeo attendere eum petalorum numerum, ſed e. g. Circeam dipetalon, Damaſonium, Capparim, Clematitem, Papaver, Glaucium, Tormentillam, Chriſtophorianam &c. tetrapetala, adeoque ad claſſem quintam potius pertinentia; Pulſatillam item hexapetalon, quæ Fritillariæ ac Tulipis ſimilior ad claſſem nonam reſervanda erat, ad claſſem ſextam retuliſſe. Quale quid in claſſe 21. itidem egit, dum arboribus fruticibusque flore roſeo annumerat Cornum, Syringam, alias Philadelphum, tetrapetala, Groſſulariam monopetalon &c. Liliaceis autem floribus in claſſe 9. admiſcet Ephemerum tripetalon, Cannacorum ſeu Cannam Indicam, Gladiolum, aliaque monopetala irregularia. Similiter in fructuum delineatione, dum alios errantes ſequitur, nonnunquam emendandus eſt, e. g. quando Rapuntii, ſeu floris Cardinalis fructum depingit tripartitum, qui tamen non niſi bicapſularis eſt reipſa: dum Lychnidis ſpecies recenſens, cujus fructus ordinarie unicapſularis eſt, admiſcet tricapſulares & quinquecapſulares alias. Id vero non ex improviſo factum eſſe, ſed de induſtria, videri poteſt pag. 36. ubi aperte aſſerit, ſatius eſſe in certo caſu, ſi aliquid ſenſibus demus, contentique florum fructuumque apparente ſtructura, exactitudinem non affectemus nimium.

De cætero ipſi minus fuiſſet difficile quævis reſtituere ſuo loco. Fortaſſis id fiet commode, quando elegantiſſimum opus Latinitate donatum denuo prodibit, utpote quod, ſi publico arriſerit præſens, mox ſecuturum promittit clariſſimus Auctor.

HERMANNI WITSII MISCELLANEA SACRA.
Editio ſecunda.

Lugduni Batavorum, apud Fridericum Haaring, A. 1695. in 4.
Conſtat Alphab. 5. plag. 9.

PRimam eruditi hujus operis editionem annus 1692. exhibuit, ejusdemque contenta tunc in Actis hiſce p. 227. ſeq. & iterum p. 319. ſeq. prolixe ſatis a nobis commemorata ſunt. Sed cum avide interim a curioſis

riosis emtoribus exemplaria libri adeo elegantis arriperentur, non potuit non nova mox succedere editio, cujus faciem nunc breviter delineabimus. Nimirum cum annotationes ad quasvis fere materias subnasci sibi Auctor intelligeret, publico istas perire noluit. Ast ita tamen minime procedendum ratus est, ut, iis suo ubique loco inspersis, de editionis prioris decore ac dignitate multum detraheretur. Quin potius ut in textu ipso pauca heic correxit atque expolivit, ac pauciora insuper adjecit, operam videlicet in id solicite impendens, ut in utraque paginarum numerum æqualem deprehendere liceret: ita stricturas saltim quasdam pro specimine sigillatim conceptas in Præfatione, quæ jam est addita, cum Lectoribus communicavit. Et in istis quidem hoc agit potissimum, ut ad quædam abs se olim dicta plures tantummodo Auctores alleget, quædam vero etiam accuratius elegantiusque exponere laboret, denique nova subinde lemmata ad materias diversas superaddat. Et quid impedit, quo minus exempla ipsa in medium afferamus? Non certe plura illa sunt aut prolixiora, quam quæ ex instituti nostri ratione hoc in loco recensere liceat.

Prima, quæ accessit, observatio Ægyptiis Prophetam dictum fuisse docet summum Sacerdotem, qui reliquis præesset, cæterisque reditus templorum distribueret. Secunda historiam de cingulo Jeremiæ non pro visione prophetica, sed pro rei factæ veritate habendam venire, testimonio Bocharti adstruit. Tertia memorabilibus insomniis Cap. IV. §. 4. nominatis Theodosianum illud apud Theodoretum H. E. Lib. V. c. 24. relatum associat. Quarta privilegia Mosis præ cæteris Prophetis ex Catechesi Judaica enarrat. Quinta DEUM esse visibilem, nec ab Israelitis, nec a Persis, nec a Romanorum primis, nec a priscis Germanis, nedum a Mose, creditum fuisse probat. Sexta notabilem Maimonidis commentarium de visione DEI a Mose expetita subnectit. Septima Mosen totum Pentateuchum ex DEI dictantis ore scripsisse, & hodie fundamentalem esse fidei articulum ostendit. Octava Jo. Clericum in commentario ad Genesin, Mosen pro scriptore Pentateuchi agnoscere, atque ita recedere a negativa, quam defenderit in libro Gallico, in quo exhibentur judicia Theologorum Batavorum super Simonii Historia Critica, & cujus libri auctor ipse ex publica fama credatur, annotat. Nona, an 2. Reg. VIII, 10. Elisæus Hasaelem jusserit Benhadado renunciare, non esse ipsum mo-

riturum? prolixe disquirit, & tandem ab ordinaria scriptione non esse recedendum concludit. Decima Hebræorum de auctore libri Josuæ sententiam ex Baba Batra recenset. Undecima in structo abs Auctore Catalogo Prophetarum, qui sub Judicibus floruerint, inconsulto prætermissum notat virum illum Prophetam Jud. VI, 8. introductum. Negat ille hunc fuisse Angelum, ac Judæorum, qui pro Pineaso illum venditent, sententiam non firmo satis talo niti adstruit, unde ignorantiam heic fateri multo videatur laudabilius. Duodecima sententiam R. Azariæ refert, qui librum Sapientiæ a Salomone Chaldaice scriptum crediderit; ast id probabile non esse judicat. Decima tertia Jesaiæ a Manasse serra lignea dissecti historiam fabulæ propiorem esse, latius, adducto quoque Gatakeri calculo, affirmat. Decima quarta discrimen inter prophetiam & donum Spiritus Sancti verbis Kimchii exponit. Decima quinta Jarchium per testes, quos adscivisse sibi narretur Jesaias cap. IIX, 2. Uriam & Zachariam Prophetas intelligere commonstrat. Decima sexta eadem propemodum, quæ de Johannis in utero matris exultatione Calvinus docuerit, & Augustinum Epist. 57. asseruisse perhibet. Decima septima scriptores, qui de Josephi de Christo testimonio commentati fuerint, plures enumerat. Decima octava miratur, quod Mosen, postquam prophetare cœperit, perpetuam sibi ab uxore abstinentiam indixisse, verum existimaverit Maimonides. Decima nona Prophetas aliquos in Ecclesia Christiana seculo adhuc secundo extitisse, ex auctoribus fide dignissimis probatum dat. Vigesima Marciani caput ad divinorum eloquiorum intelligentiam noctu lumen circumfulsisse, ex Theodoreto narrat. Vigesima prima ex eodem Johannis Prophetæ, Theodosii ætate clari, mentionem facit. Vigesima secunda tabernaculum cum suo apparatu figuras fuisse rerum spiritualium, ex auctore En Israel deducit. Vigesima tertia quæstionem, an cornua altaris refugii tutelam præstiterint, reassumit, & affirmativam quidem tenet amplius, eam tamen non lege aliqua divina, sed gentium consuetudine nixam innuit, & quam arctis limitibus altaris immunitatem Hebraici juris consulti circumscripserint, declarat. Cæterum minus sibi nunc quam olim probabile videri Auctor testatur, DEUM in ea apud Jesaiam oratione, qua robur suum apprehendi commendet ad pacem secum faciendam, allusisse ad cornua altaris a criminosis pro asylo apprehensa. Vigesima

quarta

quarta Patriarchas eam ob causam obtulisse sacrificia, ut essent rerum arcanarum typi, ex Rabbinorum quoque Magistrorum testimoniis roborat. Vigesima quinta novam loci Gen. IV, 7. expositionem a Lud. de Dieu suppeditatam laudat. Vigesima sexta sententiam, quod Aaronis filii una cum ipso uncti fuerint, quam Auctor Lib. II. Diss. II. §. 11. timidius paulo defenderat, certam esse distinctius ostendit. Vigesima septima profert meditationes Cocceji, cur piacularibus victimis thus addere & oleum nefas fuerit? Vigesima octava otio deditos Hebræorum lege a testimonii dictione, nedum a Senatu, exclusos, e Catechesi Hebræa demonstrat. Vigesima nona Principem Senatus plerumque fuisse ex familia Davidis, etiam sub Hasmonæorum & Herodis regno, asserit. Denique trigesima, quod Pontificem censuræ Synedrii se subjecisse AbenEzra negare videatur, monet.

Et hæ sunt illæ additiones, quibus sub ipsum frontispicium, statim a Dedicatione, editio hæc auctior comparet. Singulæ loca libri, ad quæ respiciant, adjecta habent. De earum autem amplitudine constabit eo promtius judicium cuilibet, qui cunctis hisce plagulas nondum quatuor compleri e nobis intellexerit.

ANTONII DANIELIS SONNEMANNI J. U. D. ET P. P. EXTR. in Universitate Viadrina Prælectiones publicæ ad Leges notabiliores Digestorum & Codicis.

Francofurti & Lipsiæ, sumptibus Johannis Volckeri, 1695. in 8.
Constant 41. plag. & $\frac{1}{3}$.

QUemadmodum in Legibus Romanis, quæ a prudentissimis olim auctoribus sancitæ, robustam ac variam eruditionem habent, *nihil leviter*, judice Jacobo Gutherio Lib. III. de Jure Manium, *perquirendum est; quandoquidem quæ ex usu fori non putantur, eam plerumque scientiam continent, qua qui minus instructi sunt, in minimis etiam graviter peccant:* ita illarum interpretatio alia ἀκριβεστέρα est, alia ὁλοσχερεστέρα. Illa exactius sublimiusque principia & causas pertractat, originem, auctorem, &, si fieri potest, occasionem cujusque sanctionis, nec non venerandæ antiquitatis vestigia indagat; deinde, num ista ex mero imperantis arbitrio, aut ex summo illo ac cœlesti jure, quod ceu Tullius loqui amat, seculis omnibus ante natum est, quam scripta lex ulla, aut quam omnino civitas constituta,

emerserit, studiose scrutatur; hinc an, qua parte positiva est, genio reipublicæ ac populi, cui nunc passim observanda proponitur, respondeat nec ne, dispicit; ac tandem, quem usum in arduis molestisque juris factique argumentis habeat, expendit: hæc vero summaria tantum ratione leges considerat, dum præcipue in verborum vim & potestatem penetrasse contenta, sine ulteriori disquisitione hoc tantum, quomodo istæ singularibus negotiis bene applicari debeant, pensi habet. Illa profundioris doctrinæ soboles, ac non nisi magnis ingeniis, quæ igneam prope aciem per omnes scientias diffuderunt, atque cum Marco Imperatore Philosopho τὸ ἀκριβῶς ἀναγινώσκειν καὶ μὴ ἀρκεῖσθαι περινοοῦντα ὁλοσχερῶς suum faciunt, propria, ac inde oppido rara est: hæc contra frequentior, & ab iis etiam, qui summa non sunt indole, vel alias sive tædio prolixioris industriæ, sive defectu sumptuum πρὸς τὰ ἄλφιτα festinant, in delitiis habetur, & feliciter fieri potest. Illa desiderat auditores atque lectores πεπαιδευμένους, hoc est, accuratæ cognitionis capaces; hæc quoque τοὺς ἔξω sive quoslibet promiscue, etsi exquisita eruditione præditi non sint, admittit. Et hæc ipsa posterior sicut captui cupidæ juventutis, quæ primis legum elementis imbuenda, accommodatior est: sic labor clarissimi Auctoris, quo is levem ac simplicem viam ad intelligendas optimas leges futuris causarum patronis sternere voluerit, omni laude evehendus venit; siquidem insigniorum, quæ in Pandectis & Codice occurrunt, sensum primo breviter ac perspicue evolvit, mox per solidas rationes confirmat, ampliationes, declarationes ac limitationes partim ex ipsis textibus authenticis, partim probatissimis Doctoribus, subnectit, & quidem hæc omnia ea sedulitate, ut omnino illud, quod Diogenes Laertius de Erilli Philosophi libris scribit, & de hoc plenissimo bonæ frugis opusculo dici jure possit: Ἔστι τὸ βιβλίον αὐτοῦ ὀλιγόστιχον μὲν, δυνάμεως δὲ μεστόν.

JOH. SCHILTERI AD JUS FEUDALE UTRUMQUE, Germanicum & Longobardicum, Introductio.

Argentorati, apud I. F. Spoor. in 8. 1695. constat plag. 7.

Postquam Jus Feudale Longobardicum, prævio, ut communiter creditur, FRIDERICI II. Imperatoris jussu, Juri Romano & Novellis quidem Justinianeis a JCtis Bononiensibus adjectum, & ab hoc ferme tempo-

tempore in Germaniam introductum est; æquale prorsus fatum utrumque jus hoc in articulo sustinuit; ut videlicet neutrum absolute & omnimode in Germania reciperetur, sed potius Juris originarii ac Germanici antiqui autoritate utcunque retenta, & per novas sanctiones magis magisque stabilita, Jus istud adventitium juris subsidiarii & suppletorii vices obtineret. Hac ratione factum est, ut, licet in extantioribus ac tantum non omnibus Germanicis provinciis non minus, quam apud Longobardos olim, Feuda in usum communem abirent, Jus tamen, quod de Feudis sibi proprium condiderunt Germani, potiores præ Jure Longobardico partes sibi semper vindicaret. Movit hoc ipsum argumentum celeberrimum *Schilterum*, ut ad concinnandam hanc Introductionem manum admoveret, in qua Jus Feudale Germanicum & Longobardicum recte combinare cœpit. Quamvis autem Elementa talia proponere a JCti hujus instituto alienum videri posset, cui tædiosum esse novimus, ea tradere, quæ apud alios passim prostant: deprehendimus tamen, vulgaria non vulgari modo proposuisse ipsum, quin imo & singularem ac gravem intervenisse rationem, quæ paginas istas ab eodem eliceret. Edidit ante ducentos prope annos, videlicet anno 1505, Sebastianus Meichsnerus, JCtus & Assessor Cameræ Imperialis, Jus Feudale Alemanicum. Hunc codicem cum plurimis Mss. collatum autori suo restituit Schilterus, adjectis aliis Juris Feudalis Gallici & Longobardici commentariis, ut justum Juris Feudalis corpus conficiat. Ut ergo Commentaria hæc, de quorum accurata elaboratione nemo non nisi optima quæque sibi promittere potest, eo feliciori successu legi evolvique queant; laudabili prorsus consilio Compendii hujus editio præmissa est. Constat istud XI. capitibus momenta generaliora distincte recensentibus, quorum enumerationem specialiorem dare supersedemus, cum qui lineas hujus studii vel leviter duxit, ea facili conjectione assequi valeat.

SAMUELIS LIB. BAR. A PUFENDORF, JUS FECIALE Divinum. Sive de Consensu & Dissensu Protestantium Exercitatio posthuma.

Lubecæ, A. 1695. in 8. Alph. 1. pl. 2.

Prostat Berolini apud Robertum Roger.

QUi alias scriptis potissimam partem historicis, politicisq;, ac moralibus insignem nominis gloriam sibi comparavit, Illustris DN. L. B.

a PUFENDORF, etiam in hoc, qui ad Theologorum Scholas propius accedit, tractatu ingenii vires exercere haud dedignatus est. Quemadmodum vero is ex instituto eo tendit, ut, quænam ratio sit controversiarum inter Lutheranos & Reformatos vigentium, ob oculos cuivis sistat, posito in locum fundamenti, cui innitantur & ex quo deducantur singula, fœdere inter DEUM hominesque inito, (qui respectus ansam quoque titulo suppeditavit;) ita istis ipsis, quæ celeberrimus Auctor heic commentatus est, nec sibi quicquam præjudicare ille voluit, nec Ecclesiæ, in qua natus educatusque fuit, & in cujus doctrina ad mortem usque perstitit. Neque tamen odio aliquo se agitatum in Reformatam Ecclesiam, quin cuncta potius ex studio in veritatem & bonum publicum unice se suscepisse, in operis hujus §. 61. testatur. Cæterum quo minus ipse hunc laborem ederet in lucem, fata intervenientia prohibuerunt. Suis autem amicis, ut refert præmissa ad Lectorem præfatio, serio mandavit ante obitum, ut obstetricantes ei manus ne denegarent, qui & dictorum probe memores ad MStum beatissimi Auctoris ea, qua fieri potuit, solertia posthumam hanc Exercitationem typis exprimi curarunt, & meretur illa omnino, ut in ejus contentis cum B. L. communicandis, industriam paulo penitiorem collocemus, judicio de iisdem unicuique relicto.

§. 1. Videlicet prout sub ipsum frontispicium in humani generis conditione id imprimis commiseratione dignum arbitratur, quod præter mala & incommoda fragilitatem nostræ naturæ ultro consequentia, multi quoque per vecordiam pravasque libidines infinitam sibi calamitatum segetem diversimode accersant, quibus commode carere potuissent, si sanam sequi rationem placuisset: ita hoc ab omni plane

2. ratione abhorrere statuit, discrepantiam opinionum in religione ab hominibus inter causas arripi, quæ eos ad mala invicem inferenda irritent, idque ex irrationali promanare superbia, quæ conjunctam secum habeat speciem aliquam invidiæ, dum quidam veluti indignum & minus tolerandum reputent, Numen quoque illis propitium esse, qui diverso ab ipsis modo colendum istud censeant. Atque isthac absurditate in universum quodvis quidem laborare odium, quod e dissensu circa qualemcunque religionem promanet; illud vero omnium maxime deplorandum, religionem quoque Christianam, dilectionis, benignitatis, mansuetudinisque magistram, per hominum insaniam eo

reda-

redactam esse, ut, quamvis non sua indole, multa eaque gravissima mala suadere possit, quod nemo sane ignoret, qui odia inter dissidentes atrocissimasque persecutiones & bella, quibus controversiæ religionis causam prætextumve aut fomentum dedere, cogitaverit. Isthæc 3.
igitur calamitatum inter Christianos scaturigo ut obturetur, quin pii omnes in votis habeant, &, si quid valent, in eum finem conferre teneantur, nullo laborare dubio existimat. Cavendum modo ei, qui aliquam in hoc negotium impendere nitatur operam, ante omnia, ne quod veritati adferatur præjudicium, aut ne istiusmodi concordiæ ineatur ratio, quæ vel Christianæ religionis indoli repugnet, vel plures calamitates, quam illæ dissensiones non lacessitæ, generet, sic forte, ut, quicquid est Christianorum, omissa & insuper habita circa veritatem inquisitione, in unam e discrepantibus sectam consentiat, aut abdicato proprio judicio circa ejusmodi electionem in certi alicujus arbitrium compromittat, aut ad unius sectæ scita amplectenda vi compellatur. Præposteram non minus fore concordiam, si quis omnes inter Christianos dissentientes sectas pari classe censendas duxerit, velut æque in una ac in altera salutem æternam nancisci detur. Inter plures enim discrepantes de eadem re sententias per rerum naturam non nisi unicam pro vera haberi posse; hinc eum, qui omnes religiones pari pretio æstimet, nullam æstimare colligit. Mala autem antea commemorata ut tollantur, duas adhuc superesse vias asserit, tolerantiam puta, & conciliationem. Utramque sigillatim examinat.

Tolerantiam habere scribit indolem induciarum, queis belli 4.
effectus & hostilitatis operationes suspendantur, manente statu & causa belli. Hanc in religionis negotio vel politicam esse, vel ecclesiasticam. Circa priorem observandum, cives ejusdem reipublicæ circa sacra dissidentes libertatem in iisdem obtinere vel suo jure, (videlicet, si magna civium pars a veteribus sacris discesserit, reliqua in istis persistente; aut, si ab universis vetera sacra deserantur, circa nova tamen formanda in partes discedatur, ac isti cives inter se mutuo suis cuique sacris libertatem stipulentur,) vel concessione & beneficio eorum, quibus summum civitatis imperium competat. Non de illis quidem, ast bene tamen de his dicendum, quod tolerentur. Prout autem hæc tolerantia politica in eo consistat, ut, permanente dissidio, dissidentes haud eo minus, sequestrato velut religionum divortio, in civili

civili societate pacati vivant, & communi legum imperiique civilis be-
5. neficio fruantur, hæcque iterum dicenda vel omnimoda, vel restricta,
in quarum postrema validior pars alteri debiliori certis legibus cir-
cumseptum religionis exercitium, puta intra privatas ædes aut clausis
foribus, indulgeat, aut a certis civium beneficiis, velut a gerendis ho-
noribus, eam professos excludat: ita eam ubi generatim commendat,
id imprimis simul requirendum censet, ne partes dogmatibus suis theo-
logicis admixtas habeant sententias, quæ statui civili adversentur, &
ex sua indole turbas ac distractiones in civitatibus producere aptæ na-
6. tæ sint. Sed quantum ad tolerantiam ecclesiasticam, eam observari
dicit tunc, quando, qui circa dogmata quædam dissentiant, eo dissen-
su non obstante se invicem pro membris ejusdem ecclesiæ particularis
habeant, & communionem inter se retineant, ac præcipue ad eandem
7. sacram cœnam pariter accedant. De conciliatione disserens, quo ea-
dem perfecta evadat, necessum fore ait, ut, postquam controversæ opi-
niones ex fundamento discussæ, & e genuinis dogmatum divinorum
scriptis, unius veritas alteriusque falsitas liquido demonstrata fuerit, ii,
qui falsam hactenus opinionem foverunt, hac abdicata in veram sen-
tentiam concedant. Enimvero talem optandam magis quam speran-
dam esse, non, quod ipsæ sententiæ plane adstrui aut convelli per suam
naturam nequeant, sed tum, propter præjudiciorum a puero inolito-
rum pervicaciam, tum ob humani ingenii alios sapientiores videri
dedignantem superbiam; unde nihil in præsens supersit amplius, quam
ut proponatur conciliatio tolerantiæ mixta, juxta quam ante omnia
utrinque circa solidum ac sufficiens seu adæquatum fidei fundamen-
tum conveniatur, seu ut illi fidei articuli liquido definiantur, qui ad
salutem ita sint necessarii, ut neque ignorari, neque negari, neque de-
torqueri aut in diversum sensum trahi debeant; circa reliqua autem
dogmata, quæ extra istud fidei fundamentum cadant, & circa quæ
admissus error fundamentum fidei ne indirecte quidem subvertat, to-
lerantia adhibeatur, eamque ob causam nemo a communione parti-
cularis ecclesiæ excludatur, aut seipsum separet, sibique peculiarem
8. cœtum formet. De cætero videndum, num dissensio sit circa sola do-
gmata, an vero obtentu dogmatum etiam de emolumento aliquo
certetur, de imperio nimirum, potentia, atque opibus. Magnam enim
inter hæc duo deprehendi discrepantiam, cum prioris generis contro-
versias

ſias ſucceſſu temporis paulatim mitigari ac demum plane evaneſcere, per experientiam conſtet, & eæ inſuper ita ad fundum uſque poſſint 9.
excuti, ut præjudicio non laborantes liquido judicare queant, ab utra parte veritas ſtet; præſertim ſi ad hanc conciliationem adhibeantur non conſueta quidem inter theologos colloquia, aut etiam concilia, (hæc enim parum huc conferre autumat,) ſed delecti ex utraque parte commiſſarii, non e ſolis ſacerdotibus aut theologiam profeſſis, verum aliis quoque pietate & prudentia conſpicuis, ſolida tamen rerum theologicarum ſcientia imbutis, qui perſpicua ac probe digeſta methodo unam controverſiam poſt alteram ſcriptis alternatim ſe excipientibus diſceptent, pleno conſeſſu proceſſum diſputandi ita ſemper moderante, ut ne abeatur extra oleas. Viciſſim ſi controverſis dog- 10.
matibus innexa ſint emolumenta, non eſſe, quod credamus, diſputando ac ratiocinando illa everti poſſe, ſaltem apud eos, quorum peculiariter interſit; id quod exemplo diſſenſus inter Pontificios & Proteſtantes manifeſtiſſimo declarat.

Ulterius & hoc circa diſcrepantiam religionum in univerſum 11.
annotandum poſtulat, complures earum ſatis habere, actibus ac ritibus quibusdam exterioribus defungi; in quam claſſem ſicuti omnes commentitiæ religiones, veteres juxta ac recentiores, connumerandæ ſint, ita huc quam maxime Pontificiam quoque trahendam ſtatuit, atque hac occaſione ejus cum religione Proteſtantium ſperatam a nonnullis 12.
unionem proſperum eventum habituram, neutiquam ſe credere palam fatetur, & ad mentem ſuam ulterius confirmandam recens quod- 13.
dam manuſcriptum de methodo reducendæ hujus unionis, ex Sereniſſimi alicujus Principis mandato ſpeciali confectum ſiſtit, ſuasque hinc inde notas adjicit.

Progreſſus dehinc ad illos, qui toto Theologiæ ſyſtemate a ſe 14.
invicem diſcrepent, quales, ſi ad Proteſtantes referantur, Sociniani ſint, & qui his proxime accedant, tum pleræque Anabaptiſtarum familiæ, Tremuli ſeu Quackeri, & qui Fanaticorum nomen mereantur, circa illos nobiſcum conciliandos ſatagere, veſaniæ proximum & plane inutile exiſtimat. Dari autem contra, qui quoad magnam articu- 15.
lorum partem ſic conveniant, ut diſſenſus tantum circa aliquot articulos aut quæſtiones verſetur. Et in hiſce conjungendis ſi quoddam fieri debeat operæ pretium, definiendum ante omnia, quænam quæ-
 ſtiones

stiones fundamentum fidei tangant, quænam extra illud cadant? Uti
enim in prioribus errantes ad pacem ecclesiasticam admitti nequeant:
ita in posterioribus diversum sentientes eapropter a communione &
fraternitate excludi non posse judicat.

16. Hanc itaque in rem illustre Lutheranorum & Reformatorum
exemplum seligit, ac utrum isti in fundamento fidei seu fundamenta-
17. libus articulis conveniant, an minus, dispicit. Antequam vero justum,
& quod omnes complectatur articulos fidei catenam absolventes, Sy-
stema concinnet, dissensumque aut consensum utrinque emergen-
tem memoret, præmittit quædam postulata sive præsupposita, quæ in-
ter has partes citra operosam probationem facile admitti credit. Pri-
marium inter ea facit hoc, quod cognitio Dei naturalis non sit suffici-
18. ens ad cultum, quo propitiari Numen possit hominibus. Atque heic
19. religionem revelatam dari rationi utique congruere, &, quæ divinas
revelationes impugnent, argumenta non esse idonea ostendit.

20. Cum autem pateat hac ratione, non pendere ab humano arbi-
trio, quo quis modo Deum velit colere; sed a Deo ipso hominibus in-
dicatum, qualem sibi cultum exhiberi cupiat, ex eo simul intelligi
subjungit, veræ religioni inesse pactum aliquod inter Deum & homi-
nes. Quæ enim alias in pacto duarum voluntatum circa idem unio seu
consensio & conspiratio occurrat, eandem nec heic desiderari, dum
Deus indicet, quomodo ab homine coli velit, & homo, eum se cul-
tum obire velle, in se recipiat. Licet enim Deum nude pro imperio cul-
tum sui homini injungere potuisse haud inficietur, magis tamen ejus
sapientiæ ac bonitati placuisse notat, per modum pacti istum propo-
nere, ast citra imperii, quod is e creatione in homines obtineat, jactu-
ram, prout & in arbitrio hominis minime relictum sit, utrum inire
pactum velit, an minus? Esse videlicet omnino obligationem ad am-
plectendum id pactum a Deo oblatum, ac ipsum pro sua sapientia cul-
tum sui seu religionem, non tota velut efficacia sui imperii, qua circa
creaturas ratione destitutas utatur, hominibus injungere, sed variis
rationibus delinificis eos, ut libenter in istum consentirent, permo-
vere instituisse. Quæ ratio omnium optima deprehendatur. Nam
dum Deus cultum exigat ac venerationem, cui sincera cordis inclina-
tio & dilectio insit, istum non per rigida imperia extorqueri, sed per
21. suaves motus elici commodius. Pacta interim Dei cum hominibus
pecu-

peculiare hoc habere, quod in iis ineundis non ejusmodi voluntatum requiratur conspiratio, ut ad istud pari utrinque motu atque instinctu accedatur, sed ut invitatio & declaratio a parte DEI longe præcedere ac tantisper immota persistere possit, quoad a parte hominum, longo licet post tempore, subsequatur. Porro pacta inter homines iniri solita mutuam fere partium utilitatem, etsi aliquanto disparem, continere: ast in pactis DEI cum hominibus ea, quæ ab his præstentur, haud quicquam pretio exæquare illa, quæ DEUS a sua parte exhibeat; unde & homo, quæ ex illo pacto expectet, nequaquam suo merito attribuere possit, sed cuncta gratiæ divinæ debeat. Sacras autem Scripturas 22.--25
excutientibus apparere, plura pacta a DEO cum hominibus fuisse inita. Et primum quidem cum Protoplastis Gen. II, 16.17. III, 2.3. descriptum latius illustrat, non paciscentium tantummodo conditionem, sed & ipsius pacti capita ubertim referens. Quibus declaratis, mox vio- 26.
lati fœderis mentionem facit, & statum hominis post lapsum descri- 27.
bit; sed nec novi fœderis dememinit, quod DEUS interveniente Me- 28.
diatore cum iisdem legatur iniisse, cujus primam promulgationem Gen. III, 15. insinuatam explicat. Ex hoc fœdere resultasse novam 29.
scribit religionem, quæ intra primævam suam simplicitatem constiterit observantia legis naturalis, tam erga DEUM quam erga homines, partemque hanc ex primigenia religione permansisse, ac esse perpetuæ obligationis. Sed quia ob corruptionem naturæ legis naturalis observantia non potuerit non valde esse imperfecta, inde ex novo fœdere accessisse fidem seu fiduciam & spem in futurum generis humani Salvatorem, sine qua prior illa pars pro cultu vere divino reputari non potuerit; cum DEO cultus nequaquam placeat, nisi accepta sit persona colens; id vero homines non impetrare nisi intuitu Salvatoris, cujus meriti efficacia retro se ad omnes priorum seculorum fideles exeruerit. Hujus fœderis notitia ne dispersis per orbem populis 30.31.32.
successu temporis plane exolesceret, cavisse DEUM peculiaribus fœ- 33.34.
deribus, cum Abrahamo primum, deinde cum populo Israelitico, mediatore Mose, initis, quorum & conditiones & sacramentum in- 35.
troducit, religionisque potissimum Judaicæ indolem accurate con- 36.
templatur. Utrumque fœdus, tanquam temporarium, sublatum, posteaquam Salvator in carne comparuerit, & se tanquam fœderis cum Adamo post lapsum initi sequestrum insigni cum splendore co-

37-38. ram ostenderit. Constare autem illud fœdus duplici conventione,
una Dei Patris cum Filio, altera Filii, tanquam Mediatoris & Salva-
39. toris, cum hominibus. Sicuti autem ex eodem dispalescat, plures
una personas dari, quibus & nomen & res seu essentia veræ Deitatis
competat: ita quemlibet teneri, ut quæcunque Scriptura de pluralitate
40. harum personarum doceat, firma fide amplectatur. Ulterius utro-
que oculo ad sublimem Mediatoris indolem respiciendum monet,
41.-43. quandoquidem is Deus verus sit, idemque & verus homo, divina &
44-46. humana natura in una persona subsistente, vi unionis personalis, cujus
indolem & consectarium, quid item humanæ Mediatoris naturæ ex
47. hac unione accesserit, prolixe Auctor explanat. Utrum autem fœ-
dus hoc sub testamenti nomine venire possit, valde ambigit, plura-
que inter testamentum atque fœdus intercedentia discrimina allegat,
48. ac fœderis adeo nomen melius retineri statuit. Nunc quod ad fœde-
ris conditiones spectat, & eas quidem, quas ex conventione cum Deo
Patre suscepit Mediator, earum summam huc redire ostendit, quod
is peccata generis humani in se receperit, eaque expiarit, ac pro iis-
dem justitiæ divinæ satisfecerit, eo cum effectu, ut, qui in ipsum cre-
dant, seu in ejusdem merito & satisfactione omnem suam fiduciam
reponant, & ejus intuitu gratiam Dei quærant, peccatorum remissio-
nem, solidam & coram tribunali divino subsistentem justitiam, cum
aliis beneficiis, quæ cum Deo reconciliatos comitentur, & demum
49. vitam æternam obtineant. Hoc fœdus omni ævo hominum notitiæ
insinuatum, ultimis etiam temporibus per Christum prædicatum, &
per universum orbem fuisse annunciatum ministerio Apostolorum,
50. quos, quia ad adultos sermonem primum direxerint, a pœnitentia
prædicationis fecisse constet initium; illam namque præparare ad per-
cipiendum fœdus, ingressum vero fieri per fidem, quæ primaria at-
51. que essentialis conditio sit ex parte hominum, non, quod per eam
veluti præstationem æquipollentem beneficia divini fœderis merea-
mur, & paria quasi cum Deo atque Salvatore faciamus, sed quia fœ-
dus ac divina beneficia per eandem acceptentur, cum Deus invitis &
reluctantibus impingere ista nolit, neque id citra extinctionem mo-
ralitatis fieri possit. Atque solius hujus fidei effectum esse justificatio-
52. nem. Ingressum porro in hoc fœdus ornare Deum voluisse solenni
Baptismi ritu seu sacramento, cujus immutabilis sit formula, ut fiat
in

in nomine Patris, Filii, & Spiritus Sancti. (In hoc quippe articulo de tribus personis in una divina essentia residere fundamentum genuinæ religionis Christianæ, quo subruto & hæc collabatur, nihilque remaneat, nisi accurata quædam Philosophia moralis. Quod si enim in divina essentia non sint plures una personæ, non esse Salvatorem, non redemtionem, non fidem, non justificationem.) Hoc fœdus actu qui 53.
subeant, eo ipso regenerari; unde, quæ alias ad regenerationem pertinent, heic pressius commemorantur, & de sanctificatione pariter, ve- 54.
lut necessario fructu justificationis & regenerationis, disseritur. Sanctimoniæ autem hæc summa esse capita: omittere malum & facere bo- 55. 56.
num, virtutibusque studere Christianis, quas sigillatim Auctor enumerat, injunctumque earundem studium e diversis Scripturæ sacræ dictis probat. Adhuc, ut memoria fœderis hujus per mortem Salvatoris fir- 57.
mati subinde renovaretur, actuque in sensus incurrente animis eo fortius imprimeretur, & singulari quodam monumento velut obsignaretur, collata quoque simul fidelibus gratia, Salvatori placuisse sub ipsum subeundæ passionis momentum instituere ritum seu sacramentum cœnæ, quod e ritibus, qui apud comestionem agni paschalis inter Judæos recepti erant, a Christo mutuo sumtum ac ad longe sublimiorem naturam evectum fuerit. Post cætera vero, quibus ejus indolem finemque & alia ejusmodi exposuit, de materia illius invisibili anqui- 58.
rit, & cum perspicuitas ac emphasis verborum non permittat negare, quin utique corpus & sanguis Christi in sacra cœna percipiatur, quæstionem duntaxat superesse dicit de modo præsentiæ, qui tamen in medio relinqui posse videatur; dummodo simpliciter credatur, in eo sacramento revera nobis dari corpus & sanguinem Christi, & a nobis accipi, comedique ac bibi. Tandem universitatem eorum, qui huic 59.
fœderi accedant, regnum Christi ait constituere in peculii velut vicem a Patre ipsi assignatum, & qui genuinus illius civis sit, eum evadere membrum corporis mystici, cujus caput Christus. Et qui in fœdere ad finem usque vitæ perstiterit, illi mortem fieri transitum ad meliorem vitam, inque fine seculi gloriosa eum potiri resurrectione corporis, post auditam in judicio extremo sententiam absolutoriam in gaudia æterna similiter intrantis.

Hos esse putat omnes fidei articulos ad salutem necessarios, ita, 60.
ut nullus eorum negari aut in dubium vocari queat, quin tota fidei ca-

tena abrumpatur, corpusque doctrinæ Christianæ mancum reddatur. Nec dubiū ipsi est, quin, si universi Protestantes in eos consentire velint, (quod quare fieri non possit, nullam se videre idoneam rationem asserit,) multæ controversiæ ultro collapsuræ, ac via ad concordiam & unionem non parum inde promovenda sit. Ob omissas de gratia & prædestinatione quæstiones non fieri hoc Systema mutilum arbitratur, quandoquidem tale struendum censuerit, in quod utraque Protestantium pars facile consentire posset. Ast Reformatorum circa prædestinationem tradita, & quæ ad hanc attemperata sit, gratiam ita se habere, ut locum heic invenire nequeant. Involvere quippe contradictionem, fœdus a DEO cum hominibus iniri, & eos tamen vi absoluti cujusdam decreti salvari aut damnari. Unde satius visum, ea dogmata tantisper seponere, num per amicam disceptationem dissidentes circa ea successu temporis ad unionem reduci possint.

61. Jam controversias, quæ inter Lutheranos atque Reformatos agitentur, post brevem harum historiam ad duas classes reducit, quarum altera tales complectatur, quæ unum duntaxat articulum religionis Christianæ tangant, altera tales, quæ per totum Theologiæ systema aut magnam ejus partem diffundantur, idque vehementer alterent, si non plane subvertant. Ad priorem refert controversias circa personam Christi & sacramentum cœnæ; ad posteriorem quæstiones de prædestinatione & gratia, a quibus reliqua fere, quæ controvertantur, pendeant, ita ut istis compositis hæc quoque ultro ruitura sint.

62. Controversias de persona Christi peperisse humani ingenii curiositatem, mysterium istud plus justo ad rationis normam exigere satagentem. Ea vero litigia mox expiratura, si in hoc mysterio non ulterius progrediamur, quam quo disertæ literarum assertiones vocent, aut quo officium mediatorium ducat. Quæ extra hos limites evagentur, in medio esse relinquenda. Præcipuam disceptationem verti circa omnipræsentiam carnis Christi, quam in extensione corporis ut constituamus, necesse haud sit, nec congruum dicendum, si de modo simus

63. adeo soliciti, cum de dicentis potentia abunde constet. Quæstionem circa sacram cœnam, si de modo solum præsentiæ informetur, plus fere curiositatis quam fructus habere, ac sufficere, dum super ipsa sacramenti substantia, ejusque fine & usu consensus eliciatur. Deinde & illud pro certo habendum, ipsam sacramenti substantiam, seu quod

in

in eo exhibetur & accipitur, non dependere a persuasione & credulitate seu fide hominum eodem utentium, sed a dispositione ejus, qui id instituit. Ex quo consequatur, ab iis, qui sacramentum hoc integrum juxta institutionem Christi celebrent, idem quoad substantiam accipi, nec plus nec minus, utut de invisibili re diversa sentiant, sic, ut circa hunc articulum ita acriter disceptare opus haud sit; quanquam tutius omnino & ipse pronunciet, in articulis fidei simplicitatem sequi, quam ingenio consectandis argutiis indulgere. Ast, quæ circa prædestinatio- 64.
nem & gratiam agitentur, controversias majoris esse momenti edocet, & exposita partis utriusque sententia (ubi sublapsarios, prout vocantur, a supralapsariis parum differre innuit,) notataque disceptatio- 65.
tionum heic motarum origine ex concertationibus Augustini adver- 66.
sus Pelagianos derivanda, aliqua equidem esse in his controversiis hominibus imperscrutabilia concedit, v. g. quare Deus alicui populo citius, alicui tardius, doctrinam salutis annunciari fecerit? cum plurimi populi Americani, multique in reconditis partibus Africæ & Asiæ invincibili Evangelii ignorantia laborent, quæ ratio sit, quare hi damnentur? &c. nondum tamen exinde sequi ostendit, quod Deus ideo in his damnandis nihil aliud præter nudum ac nullis rationibus suffultum placitum secutus sit. Adeoque nullo pacto se videre posse innuit, 67.
quomodo concordia & unio inter Lutheranas & Reformatas Ecclesias sperari queat, quamdiu hæ dogmati de absoluto decreto ejusque consectariis ita mordicus inhæreant, idque inter expresse credenda referant, ac primo loco inter articulos salutis nostræ œconomiam explicantes constituant. Sane enim, quod quis per indispensabilem ordinationem producat & efficiat, circa id ut fœdus ineatur superfluum, contradictorium, & illusorium esse affirmat. Equidem nostris viribus circa salutis negotium nihil plane tribui, nec gratiæ Dei salutis nostræ gloriam detrahi; id tamen voluntati nostræ relinquendum cupit, ut resistere ac oblatam gratiam respuere possit, cum citra hoc moralitas plane extingueretur, ac homines machinarum instar ad supremum finem pertrahendi essent. Non tunc Theologiam amplius moralem disciplinam, sed physicam, & operationes istas ex legibus motus definiendas fore, & quæ sunt argumenta alia in contrarium ab ipso prolata. Particularitatis in fœdere Dei nullum apparere vestigium, sed 68.
eam solum ab hominum manare incredulitate ostendit, & frustra fieri distin-

diſtinctiones inter voluntatem arcanam & revelatam, beneplaciti & ſigni, legiſlatoriam & decretoriam, utpote quas, utcunque etiam adornentur, vix bonus vir ad ſua promiſſa & pacta applicari paſſurus ſit.

69. Ab his ergo controverſiis diſcedere ſi lubeat, reſiduas facillimo negotio diſſimulari aut corrigi poſſe concedit. Reformatos enim, & vulgum præcipue, reliquias objicere Lutheranis e Pontificio ritu non ſatis expurgatas, veluti exorciſmum in Baptiſmo retentum; confeſſionem privatam, &, qui eam comitari ſoleat, denarium ſacrum; orbiculares panes in uſu ſacræ cœnæ, vix panis indolem habentes; altaria quoque & candelas; tum multas imagines in templis ſervatas, & inter alias Salvatoris in cruce ſuffixi; peculiares miniſtrorum veſtes; genuflexiones & capitis detectiones ad nomen JESU; ſuperfluos dies feſtos; exorbitantem muſicæ uſum; & quæ iſtius generis ſunt alia. Quæ ſingula tamen adiaphororum nomine venire ſoleant, circa quæ uti facile concedi poſſet, ſi ea ratione ad ſolidam & ſinceram concordiam via muniretur: ita, ſi mutatio aut abolitio eorum arripienda ſit velut ſignum probatæ in univerſum alterius religionis, inutile juxta ac parum decorum fore dicit, concedendo vacillationis quid oſtendere; ſicuti & ſingularum partium hactenus recenſitarum naturam ſtudio ad hoc negotium compoſito delineat.

Sed accedendum jam nobis eſſet ad ſtricturas, quas in Petri Jurii, Theologi Roterodamenſis, de pace inter Proteſtantes ineunda

70--93. conſultationem B. Auctor protulit, quæque tertiam omnino libri hujus partem conficiunt. At enim vero cum nimis jam tum excreverit recenſus hic, promtam nobis a B. L. pollicemur veniam, ſi carptim modo indicaverimus, quod in hac concertatione doctrinæ de voluntate inefficaci, legislatoriaque & decretoria, de præſcientiæ divinæ indole, de vocatione reproborum, de voluntate Dei conditionata, de futuris contingentibus, de univerſali Dei benevolentia, de modo conciliandi dicta quæ heic ſibi invicem repugnare videantur, de ordine decretorum divinorum, de quæſtione: utrum prædeſtinatio ſit facta citra intuitum fidei? de reprobatione, de gratia irreſiſtibili, de cauſa, cur diſputando parum proficiatur? de abdicatione priorum dogmatum, de logomachiis, de tolerantia, de ſilentio, ac potiſſimum de univerſali redemtione per Chriſtum ſic excutiantur, ut & objectionibus Jurii ſatisfiat, & ſubſtrata quoque materia plenius ubique deducatur.

Deni-

Denique conclusio totius operis isthoc de re universa efformat judicium: dissidium istud una vice & uno quasi ictu tolli non posse, sed a tempore medicinam expectandam, cujus tractus multum ad conciliandos invicem animos conferat. Interim id quam maxime e re futurum, si imprimis controversiæ placide ac modeste tractentur, & vires in alios adversarios redarguendos impendantur; si ab inhumanis odiis, cavillationibus, calumniis, damnationibus abstineatur, ac ob dispares sententias officia Christianæ & fraternæ charitatis haud omittantur; si denique non tam certetur, uter alterum disputando vincat, quam uter enixiore studio vitam ad præcepta Christi conformet. Ita namque superesse spem, fore, ut pacis Spiritus exulceratos paulatim sanet animos, ut ii abdicatis erroneis aut inanibus in solidam fidei unitatem conspirent.

JURIS PUBLICI PRUDENTIA COMPENDIOSE EXHIBITA, Auctore HEINRICO COCCEJO, JC. Consil. Elector. Brandeburg. Facult. Jurid. Ordin. & Prof. Primario.

Francofurti ad Viadrum impensis Jeremiæ Schrey & hæredum Henrici Joh. Meyeri, 1695. in 8. Alphab. 1. pl. 10.

QUanquam nulli non civitati, quæ τὸ κύριον habet, suæ peculiares leges ac instituta sunt, quibus, ceu basi quadam, publicus ejusdem status nititur: ita negari haudquaquam poterit, inter cæterorum Europæ regnorum constitutiones, Jus publicum, quod Imperio Romano-Germanico proprium est, veluti Phosphorum præ reliquis stellis effulgere. Sive quis enim ipsam Germaniæ Rempublicam, cui κατ᾽ ἐξοχὴν *Imperii* nomen & axioma communi omnium placito & assensu tributum est; sive hujus augustissimi Capitis majestatem, cum singulari præeminentia conjunctam; sive admirandam & indoli gentis, nec plenariæ libertati nec παμβασιλείᾳ adsuetæ, respondentem formam; sive Principum ac cæterorum Statuum splendorem, ac summæ potestatis per omnia fere æmulum in territoriis suis arbitrium; sive denique regnorum amplissimorum accessiones vario jure ad ipsum devolutas, ac diverso vinculo ipsi cohærentes consideraverit: citra controversiam fatebitur, nullum ipsi in toto terrarum orbe cognito simile aut par inveniri, eoque etiam leges illius, quæ scilicet tam vasti & e tot potentissimis

ſimis membris compacti corporis ſalutem publicam fulciunt, præ aliis dignas eſſe, quibus contemplandis juxta ac explicandis Viri doctiſſimi operam ac induſtriam ſuam collocent. Hós inter ſuo merito etiam connumerandus venit Auctor præſentis libri, ſplendididiſſimis tam olim in Aula & Academia Electorali Palatina, quæ Heidelbergæ fuit, quam hodie in inclyta Viadrina officiis ornatus. Hic enim cum ex longæva conſuetudine, quam ipſam Germanicæ antiquitatis hiſtoriam vocat, cuncta, quæ literis poſtmodum conſignata & dubia ſint, partim decidenda, partím haurienda & exponenda eſſe affirmet, multa hinc & inde ſingularia profert, quæ apud alios Juris Publici ſcriptores fruſtra quæſiveris; qualia e. g. ſunt de Germaniæ regno olim in ſex magnas provincias, quæ deinde totidem Imperii Circulorum cauſa fuerit, diſtincto c. 2, & 4, de forma Imperii c. 7, parte Germaniæ mediata & immediata harumque antiquo regimine c. 9, ſummis ejuſdem officiis c. 11. 12. & 13, Vicariatu & Palatinatu vario c. 16, ortu ac diſcrimine Civitatum imperialium c. 17, de Comitibus ac Civitatibus imperialibus populum, Prælatis vero minoribus Clerum in Comitiis repræſentantibus, ideoque etiam curiatim vota ferentibus c. 20, Teſtamentis ac Tutela Electorali c. 29, & quæ occurrunt ejus commatis alia longe plura, quæ Lectori & delectationem & ad ſingula diligentius evolvenda ac inveſtiganda occaſionem afferent.

JOHANNIS VAN MUYDEN, JCTI ET ANTECESSORIS Trajectini, Cameræ Juſtitiæ quæ eſt Diœceſeos Vianenſis Senatoris, Compendioſa Pandectarum Tractatio.

Trajecti ad Rhenum apud Franciſcum Halmam, 1695. in 8. Alph. 2. pl. 8.

CORNELII VAN ECK JC. ET ANTECESSORIS ULTRAjectini Principia Juris Civilis.

Trajecti ad Rhenum apud Franciſcum Halmam, 1694. in 8. Alph. 2. pl. 12.

HOc par operum vel ideo debebat conjungi, quod utrumque conſimili methodo digeſtum ad eundem finem collineet. Cum enim Auctores eorum conſultiſſimi de cupida legum juventute, cui erudiendæ præſunt, indies magis magisque bene mereri cupiant,

ſui

sui muneris putarunt esse, illam a molestis & prolixis, quas alii sequuntur, ambagibus, ad hanc compendiosam viam, qua ipsæ Pandectarum medullæ juxta Justiniani ordinem exhibentur, mature revocare; ne in ipso Jurisprudentiæ ingressu nausea, fugam hujus augustissimi studii facile alias paritura, corripiatur. Hinc in ambobus hisce libellis non nisi Juris Romani placita, omissis aliarum gentium legibus ac institutis, panduntur; nisi quod in priori divortia Juris Canonici a Civili suis locis adjiciantur.

THERMÆ CAROLINÆ.

Lipsiæ apud Joh. Frid. Gleditsch, A. 1695. in 8. plag. 8.

AUctor elegantissimi hujus opusculi est vir celeberrimus *Johannes Christophorus Straussius*, Freibergensium hactenus Physicus ordinarius, nuper vero ad Archiatri munus in Aula Serenissima Saxo-Martisburgica obeundum vocatus, nobis in componendis Eruditorum Actis adjutor strenuus. Is de thermis Carolinis earumque natura & legitimo usu sententiã suam brevibus traditurus non improbabile censet, in admiranda rerum omnium creatione DEUM omnipotentem quoque thermas illas condidisse, neque eas ex fortuito mineralium occursu continuo progigni. Id quod ut fiat manifestius, strictim recenset varias, quas de thermarum origine fovent rerum naturalium consulti hypotheses, nullamque ex his animo veritatis avido satisfacere ostendit, cum non explicent, cur eodem semper tenore iisdemque viribus præditæ thermæ ebulliant. Nam subductis rationibus demonstrat, 1000 annorum spatio plusquam 4368000000 centenarios aquæ indesinenti impetu prosilire, atque secum vehere 426426000 centenarios materiæ mineralis, existimatque adeo, nodum hunc Gordium, de tantæ molis materia ejusque continua absumtione, & tamen eodem in loco perpetuo proventu & æquali præsentia, solutionis conatum omnem eludere, atque unde nexus incipiat, quove se condat, nec ratione nec visu posse percipi. Eodem fere modo comparatum est cum materia, quam in se continent thermæ, præstantique generosissimæ operationis vi, quam nobilissimus Auctor nec destillatione, nec præcipitatione, nec evaporatione cognosci posse probat, existimans, præter illa aquarum elementa aeris occursu in & sub aqueæ humiditatis exhalatione varie combinata, quæ nunc sub boli, nunc vitrioli, mox mineræ martialis aut lapidis calcarii larva se sistunt, aliud quid in iis

Xxx 2 late-

latere humano scrutinio non facile evolvendum, energiamque potissimam esse reconditam in particulis longe minimis, sensum omnem effugientibus, summaque volatilitate præditis: frustra vero confugi ad fumos metallicos, cum præter alias difficultates hæc quoque recurrat, quomodo fumi minerales eadem via, eadem quantitate & qualitate, eodemque modo sine intermissione thermis suppeditentur. Satius proinde judicat, si dicamus, thermarum aquas mineralium metallorumque diversorum diversis particulis, summe nimirum volatilibus partim, partim fixioribus & crassis, divina benedictione ita esse refertas, ut, si bibantur, & alvus & urina & sudor inde provocetur; modum tamen mixtionis & perrennantis scaturiginis citra conjecturæ lapsum non posse omnino determinari. Porro ad usum thermarum quod attinet, nullum ab earum potu vel calculi vel hydropis imminere periculum docet, easque, si de tempore quæras, quovis anno annique tempore virtutem suam exerere, Augustum tamen & Septembrem menses esse ad usum earum commodissimos. Quoniam autem consuetudine veteri receptum est, ut mane jejuno stomacho sorbeantur, post corpus catharctico præparatum, calidæ per quinque aut septem dies, hoc ordine, ut incipiendo ab ollulis 11 vel 13 adscendatur ad 25 aut 30, rarius ad 50 aut plures, quinto vero, sexto aut septimo die numerus ollularum denuo imminuatur; deinde vero totidem dies balneo destinentur, atque hæc cura bis terve repetatur, assumtoque tandem purgante finiatur: sequentia de hoc more sibi monenda duxit Vir experientissimus. (1) Nimirum, naturarum potius diversitatem, quam consuetudinem illam, esse attendendam, & corpus quidem ante usum thermarum leni purgante ab excrementis esse liberandum, sed si quis primo secundoque die ab assumtis ex præscripto ollulis parum aut nihil moveatur, tertio autem vel quarto demum die lubricitatem alvi, aut sudoris & urinarum liberius profluvium persentiscat, non detrahendum aliquid esse de copia calidæ bibendæ sequentibus diebus, neque, si quis primo statim die ab 11 ollulis valide afficiatur, dosin esse augendam diebus sequentibus. (2) Non commode 5 vel 7 diebus potationis periodum circumscribi, sed si quis quarto vel quinto demum die dejicere incipiat, utiliter ad 8, 9, imo 10 dies eam continuari. (3) Recte facere, qui eadem dosi, qua desierunt in prima, secundam ordiuntur absolvuntque bibendi periodum, satis

edocti,

edocti, quid perferant vires, & quantum aquæ ad ciendam rite operationem sufficiat. (4) Non desistendum a thermarum potu, si primo vel secundo die per vomitum rejiciantur aquæ: si autem intra corpus subsistant ad tertium usque diem, convenienti remedio illas esse propellendas. (5) Post singulos potationis ambitus paulo fortius catharcticum esse assumendum, inprimis si illi longius, in nonum scilicet diem producti fuerint, deinceps vero ad balneum transeundum. (6) Non totidem præcise dies balneo, quot potui thermarum, tribuendos, sed cum alii melius balneum, alii thermarum potum ferant, tempus Medici prudentis judicio esse definiendum. (7) Calorem balnei nimium cane pejus & angue esse fugiendum. (8) Inter plurima pro apertione alvi conservanda medicamenta, non aliud magis intentioni satisfacere, quam haustum largiorem acidularum ante balnei ingressum sensim assumtum. (9) Balneum non tuto satis eo die adhiberi, quo potatum est. (10) Balneum in usum quoque posse trahi citra præviam potationem, non nisi perpurgato corpore; nec nimis profunde ultra umbilicum corpus balneo immergendum, nec ultra horam in eo commorandum esse. Ultimo tandem loco quæ ad diætam pertinent afferuntur, additisque quindecim historiis ægrorum, qui a paralysi, calculo, podagra, profluvio albo, menstruorum suppressione, asthmate, scorbuto, arthritide, malo hypochondriaco &c. thermarum usu legitimo liberati fuere, confirmatur, thermas Carolinas, præter tres istas cardinales virtutes, alvum nimirum, sudorem & urinas provocandi, non tantum obtinere vim præcellentem quaquaversum penetrandi, minimorum canalium & tubulorum obstructiones reserandi, dyscrasiam vitalis & animalis fluidi emendandi, sed usu quoque externo discutere, abstergere, consolidare & roborare.

ANTONII BYNÆI DE CALCEIS HEBRÆORUM Libri duo, curis secundis recogniti & aucti. Accedit ejusdem Somnium tertio recusum.

Dordraci, apud Theodorum Goris, A. 1695. in 4.
Alph. 1. plag. 20.

IN exponendo eruditissimi Auctoris instituto, & in docendi ratione, quam in Commentario isthoc adhibuit, declaranda, nostro nos offi-

cio jam pridem functos recordamur, quando Actis his A. 1684. p. 68. primam libri editionem A. 1682. Dordraci in forma, quæ audit, duodecima vulgatam inseruimus. Ejus autem hac vice iteranda venit mentio, quandoquidem is nunc & formam ampliorem induit, & a typis quoque majoribus ornatum meliorem adeptus est. Imo & istud Auctor suarum esse duxit partium, ut comtiorem subinde perfectioremque internam illius faciem efficeret. Quod qua præcipue in re aut ubi locorum fuerit ab eo præstitum, non statim quidem primo quovis intuitu Lectoribus est obvium; non enim nacta est editio hæc accessiones usque adeo notabiles, sed tales, quæ demum ex studiosa utriusque collatione nobis innotuerunt. Videlicet non modo verborum numerum ac positum ad aliam interdum trutinam expendi, sed paragraphorum quoque ordinem divelli nonnunquam aut combinari aliter cognovimus. Sed ista forsan leviora sunt, ac proin notatu magis dignum illud arbitramur, quod in allegatis Scripturæ dictis verba fontium sive Hebraicorum sive Græcorum diligentius adducta, inque locis Auctorum non solæ itidem versiones; ut in editione prima haud raro contigit, sed & authentica singulorum testimonia allegata heic reperiantur. Frequentius insuper ad marginem Auctorum libri notati, & loca, quæ ex iisdem citantur, strictius accuratiusque designata sunt. Præcipuum autem punctum ferunt quædam additiones, ea quæ Noster olim scripserat, sparsim augentes atque illustrantes, eæque aut breviores, ut puta, quando p. 12. Gregorii Nysseni inserit sententiam, quod Christus calceorum usum discipulis suis interdixerit; quando p. 44. Ludovicum Capellum de forma calceorum Hebræis usitata differentem defendit adversus Jo. Buxtorfium, qui in Vindic. Exerc. de cœna Domini cum ideo notavit; quando p. 19. versum quendam ex Martialis Lib. XII. epigr. 1. ad mentem Isaaci Vossii refingit; quando p. 188. jejunia in sabbato apud Judæos exulantia paulo pluribus Rabbinorum testimoniis, quam ante, comprobat, &c. aut prolixiores, velut ubi p. 72. Steph. Gausseni, Alex. Mori, Pauli Colomesii, & aliorum consensum refert, quem ipsi circa explicationem vocis *ἑτοιμασία* præbuerint; ubi pag. 94. in dicto Matth. X, 10. pro *ῥάβδον* legi debere *ῥάβδους*, pluribus adhuc, quam olim, rationibus contendit; a p. 144. ad 152. disputationem de Meni ad Es. LXV, 11. exauget; p. 241. de calceis Israelitarum in deserto non detritis nova quædam Patrum, Justini Marty-

Martyris, Augustini, Chrysostomi, Hieronymi, Ambrosii loca indicat. Vicissim vero & aliquid in hac editione omissum est, quod in prima comparet, dicti nempe Luc. II, 14. illustratio, quam ibi a p. 115. ad 119. Auctor dederat, heic vero minime repetendam ratus est, cum idem illud in sua de Natali Christi commentatione fuse satis pertractarit.

LIBRI NOVI.

Johannis Wallis S. T. D. Geometriæ Professoris Saviliani in celeberrima Academia Oxoniensi, Opera Mathematica. Oxoniæ e Theatro Sheldoniano, 1695. in fol.

Titi Lucretii Cari de Rerum Natura Libri VI. cum Interpretatione & Notis Thomæ Creech. Oxonii e Theatro Sheldoniano, 1695. in 8.

Andreæ Alciati contra vitam monasticam Epistola. Sylloge item Epistolarum Giphanii, Vulcanii &c. Lugduni Bat. apud Frid. Haaring, 1695. in 8.

Praxeos Mayernianæ Syntagma alterum, continens Tractatus de Febribus, de Morbis externis, de Arthritide & de Lue Venerea. Londini apud Sam. Smidt, 1695. in 8.

Io. Veslingii Syntagma Anatomicum cum commentariis. Exhibente Gerardo Blasio. Ultrajecti apud Ant. Schouten, 1695. in 4.

Melchioris Leydekkeri de Historia Jansenismi Libri VI. Quibus de Cornelii Jansenii vita & morte, nec non de ipsius & sequacium dogmatibus disseritur. Trajecti ad Rhenum, apud Franc. Halmam, 1695. in 8.

Gerhardi de Vries Exercitationes Rationales de DEO Divinisque Perfectionibus. Accedit Diatribe de cogitatione ipsa mente, & altera de ideis rerum innatis. Trajecti ad Rhenum, 1695. in 4.

Nicolai Barii Ornithophonia, sive Harmonia melicarum avium carmine Latino-Germanico decantatarum. Bremæ apud Io. Wesselium, 1695 in 4.

Io. Friderici Hofmanni Selectissima Juris Responsiones. Wetzlariæ apud Christoph. Olffen, 1695. in 4.

Henrici Teelmanni Commentarius in caput XVI Evangelii Lucæ, aliasque insigniores utriusque sacri Instrumenti partes. Amstelod. apud Gerb. Borstium, 1695. in 4.

Histoire & Geographie ancienne & moderne, par Mr. D' Audifferet, Tome troisieme, qui contient l'Allemagne. A Paris chez I. B. Coignard, 1695. in 12.

La Pra-

La Pratique de la Morale Chretienne. Traduite de l'Anglois de Henry Hammond. A Amsterdam chez George Gallet, 1695. 12.

Histoire des Revolutions d'Angleterre, par le P. d' Orleans. A Paris, chez Claude Barbin, 1695. 12.

Suite du Menagiana, ou Bons Mots de Mr. Menage. A Paris chez Pierre Delaulne, 1695. 12.

La Mort des Justes, ou la Maniere de bien mourir, par Jean La Placete, Pasteur de l'Eglise Françoise de Copenhague. A Amsterdam, chez Georg. Gallet, 1695. 12.

Les Exilez de la Cour d' Auguste, par Mr. de Villedieu. A Amsterdam chez Andreé de Hoogenhuysen, 1695. 12.

La Race & la Naissance de Marie Stuart, Reine de la Grande Bretagne. A Amsterdam chez Nic. Ten Hoorn, 1695. 12.

Lettre d' Exhortation & de Consolation pour les Fidelles qui sont refugié dans le Pais etranger. A la Haye chez Iacob van Ellinckhuysen, 1695. 12.

Appendix Dissertationis de Hæresiarchis ævi Apostolici & Apostolico proximi, cui accedit Heptas Dissertationum selecta historiæ ecclesiasticæ capita illustrantium. Lipsiæ apud Hæredes Lanckisianos. 1696. in 4.

Nouvelle Bibliotheque des Auteurs Ecclesiastiques, par Mr. L. Ellies Du Pin. Tome septime. A Paris chez Andre Pralard, 1696. 4.

Recreations Mathematiques & Physiques, par Mr. Ozanam. A Paris chez Jean Jombert, 1696. 4.

Ioh. Friderici Ortlob Historia partium & œconomiæ hominis secundum naturam. Lipsiæ typis I. H. Richteri, 1696. in 4.

Les Decades de Tite Live, mises en François par P. Du Ryer. Nouvelle Edition. A Amsterdam chez Iean Rips, 1696. 12.

Observationes Historico-Politicæ in Instrumentum Pacis Osnabrugo-Westphalicum, authore Godofr. Ferdin. de Buckisch & Löwenfels. Viennæ Austriæ, 1696. in 4.

Prodiit nuper Tomi II. Supplementorum Sectio octava, quam nona mox sequetur.

* * *

ACTA
ERUDITORUM
publicata Lipsiæ
Calendis Decembris, Anno M DC XCV.

JAC. B. EXPLICATIONES, ANNOTATIONES ET ADDITIONES ad ea, quæ in Actis sup. anni de Curva Elastica, Isochrona Paracentrica, & Velaria, hinc inde memorata, & partim controversa leguntur; ubi de Linea mediarum directionum, aliisque novis.

CUm ea, quæ superioribus annis variis speciminibus meditata exhibui, prælustribus Geometrarum Duumviris D. Hugenio & D. Leibnitio digna visa fuerint, quæ peculiari submitterent examini, ubi nonnulla approbarunt, quædam occultius dicta conjecturis supplerunt, alibi scrupulos invenerunt, alibi etiam dissensum apertum testati sunt; statui secundas meditationes primis superaddere, & quid de singulis mihi videatur, ordine & candide exponere, ut & celeberrimorum virorum desideriis satisfieret, & puriores veritatis scintillæ ex abditis istis naturæ recessibus indies magis magisque emicarent. Præmiseram in Actis m. Jun. 1694 solutioni Curvæ Elasticæ Theoremata quædam de radiis circulorum osculantium, quæ tum nobis solis & paucis aliis, quibuscum Frater nostra communicaverat, perspecta credebam. Respondit celeberrimus Dn. Leibnitius seq. Aug. se jam antea similibus vel expresse vel tacite usum fuisse; & vero nemo est, qui nesciat, illum etiam multo majora dedisse & dare potuisse; at quantum ad hæc Theoremata, fateor me dubitandi rationes habuisse. Sciebam enim, virum acutissimum a Flexionum contemplatione non plane abstinuisse, cujus & ipse in privatis ad me literis olim mentionem fecit, & ad quam solutionis meæ significatione jam m. Jun. 1691 facta invitari potuit. Videbam etiam, non modo ipsummet principii a me adhibiti Auctorem fuisse, sed & insuper calculum huic superstructum (sola parte excepta, quæ Theorema dictum concernit) tam simplicem esse tamque facilem, prout ex

analysi, quam subjungo, palam fiet, ut summe in ipsum fuissem injurius, si credidissem, cognovisse Theorema, nec solutionem dedisse.

TAB. X. Fig. 1. (fig. 1.) In lamina curvata AQRSYV, cujus elementum constans sit SQ, vectem concipio fulcro Q innixum, in quo laminæ crassities QY brevioris, ipsaque curvatæ laminæ portio QA longioris brachii vicem gerat; unde quia brachium brevius QY, & pondus longiori appensum Z constanter manent eadem, perspicuum fit, vires tendentes fibram SY (h. e. in vulgari hypothesi ipsam tensionem Yy) proportionari rectæ QP distantiæ fulcri a linea directionis ponderis AP. Et quoniam ob similitudinem Triang. YyQ & RQn, ubi etiam RQ longitudo elementi laminæ constans fingitur, dicta Yy reciproce proportionatur ipsi Qn, quam patet esse radium osculi, sequitur ipsam Qn sive z quoque reciproce proportionari ipsi QP seu x, adeoque constans quoddam spatium $\frac{1}{2}aa = xz$, hoc est, per Theorema nostrum, $\frac{1}{2}aa = \frac{xdxds}{ddy}$, seu $aaddy = 2xdxds$, & facta summatione $aady = xxds$, quadrandoque $a^4dyq = x^4dsq$, subtrahendo $\overline{a^4 - x^4}, dyq = x^4dsq - x^4dyq = x^4dxq$, ac denique extrahendo radicem $dy\sqrt{a^4 - x^4} = xxdx$, seu $dy = \frac{xxdx}{\sqrt{a^4 - x^4}}$ quæ ultima est æquatio, e qua constructio mea, & cætera quæ dedi, fere omnia fluunt, inque cujus investigatione nihil, ut apparet, Geometras morari potuit, nisi solus forte transitus ab xz ad $\frac{xdxds}{ddy}$, quem proin illos latuisse non absque veri specie concludebam. Sed utcunque sit de novitate hujus Theorematis, de altero certe, quo dixi, radiis osculorum reciprocas rectas axi applicatas spatium quadrabile efficere, nemo litem movebit; estque hoc tanto præstantius illo Barroviano de subtangentibus eidem applicatis, quanto osculorum, quam tangentium consideratio rarior hucusque extitit. Huic addo nunc, quod explicabo alias, easdem reciprocas ipsi curvæ in rectam extensæ applicatas perpetuo spatium circulabile efficere; quod non minus memorabile Theorema est, & sæpe magnum usum habere potest in secundis differentiis æquationum ad primas reducendis. At hæc ὡς ἐν παρόδῳ. Radios, qui curvedines metiuntur esse in ratione contraria virium


Fig: 2.
R
G
H
B
I
D
F
L
V
X
O
P
N
Π
Y
Q
M
K
Z

Fig: 1.
S
R

Fig: 9
b
Lemni
scata
Q
B
3
C
A
Isochrona
Paracentrica

B
C
Fig: 7
F
G

virium tendentium (verius tensionum,) quod ambo Viri celeberrimi me pro principio assumpsisse opinantur, ex æquatione primo inventa $\frac{1}{2}aa = xz$ cognoscitur, & est conclusio potius quam principium, prout diserte inter corollaria retuli, vid. cor. 6 constr. primæ, & cor. 4 constr. tertiæ. Principium autem quo usus sum, quodque sumit punctum quodlibet superficiei concavæ curvati elateris pro hypomochlio vectis alicujus, ipsum illud est, quod jam olim adhibuit acutissimus Leibnitius in Schediasmate de Resistentia solidorum m. Jul. 1684, adeo ut si dubium fuisset visum Dn. Hugenio, putanti non tantum superficiem externam extendi, sed & internam contrahi, id objectum oportuisset Domino Leibnitio, non mihi, qui decennio post ab Auctore principii illud mutuatus fui. Fateor autem, quod cum primum olim aspexissem hoc schediasma, idem mihi scrupulus subortus fuerit; propterea quia quicquid extensionis, etiam compressionis capax esse debet. Et hæc ratio quoque est, cur aliam Problematis constructionem quæsierim, priusquam moneret vir illustris, quæ ita habet (fig.2.) Sit Linea Tensionum AB, & Linea Compressionum AC, quam quidem verosimile est esse tantum continuationem prioris AB; cum vires comprimentes nihil videantur esse aliud, quam vires negative tendentes, h. e. tendentes in partem contrariam, uti compressio nihil aliud quam negativa tensio; adeo ut hinc constet, Lineam Tensionum ultra verticem A flecti debere in partem oppositam, atque ex parte C habere asymptoton parallelam axi AE, cum utique nihil ultra totam sui longitudinem comprimi possit; unde simul omnia Paraboloidea ac Hyperboloidea ipsamque Lineam Rectam hinc excludi manifestum fit. Utcunque vero se res habeat, sive Curvæ AB, AC, ejusdem, sive diversarum curvarum partes existant, intelligantur ductæ in angulis DAH & QAE duæ oppositæ Hyperbolæ Cubicæ BG, βC, intersecantes curvas AB & AC in B & C, sic ut AD in DBq & AE in ECq æquentur eidem constanti solido; hinc alteri ipsarum applicetur FG = DB + EC, ad habendum punctum G: tum fiant aliæ duæ Hyperbolæ, quarum abscissæ in applicatarum quadrata ductæ æquentur majori minorive solido, & inveniatur novum punctum G. Omnia denique sic inventa puncta G connectantur Curva AG, quæ est illa, ad quam Elastica eo modo construenda est, quem m. Jun. 1694, p. 265 præscripsimus, prorsus ac si ipsa AG, non AB, Tensionum Curva foret, facien-

TAB. X. Fig. 2.

 do

do nim. □AK = ſpatio AIR, & ▭lum AN = indefinitæ ejus portioni AFG, ac tum deſcribendo circuli quadrantem LPM ſecantem rectam NO in P. &c. Puncta enim ſic inventa S vera erunt fulcra vectium, junctaque lineam conſtituent AST, quæ inter partes convexas & concavas curvati Elateris media eſt; ipſius vero externæ ac internæ ſuperficiei puncta habentur, ſi per S ducantur curvæ perpendiculares SV & SX, quæ ſe habeant in ratione rectarum BD & CE, ac ſimul ſumtæ æquent craſſitiem laminæ. Pondus in A appendendum duplum eſſe debet ejus quod requiritur in Q, ad vectem QTY ſuffultum hypomochlio in T & affixum portioni laminæ YZ eousque deprimendum, donec YΠ ad IR fiat ſicut YZ ad ſpatium AIR ſeu AK. Exceſſus longitudinis convexæ ſuperficiei αV ſupra concavam αX ad craſſitiem laminæ rurſum hic eſt, ſicut arcus LP ad AL. Quinimo generalis hæc eſt natura *condeſcriptarum*, ut ipſarum vel aggregatum vel differentia ad arcum circuli reduci poſſit; quod etiam Fratri obſervatum video nupero Auguſto, ubi hæc fuſius exponit. Ex dictis autem conſtare poteſt, quod ſi Curva Tenſionum AB & compreſſionum AC eſſent ſimiles & eædem curvæ, ac circa eundem axem DAE ſimiliter diſpoſitæ, ſicut poſitis AD, AE æqualibus, ipſæ DB & EC etiam æquales eſſent, puta ſi BAC foret vel linea recta, vel ex genere Paraboloidum &c. conſtructio prorſus conveniret cum illa, quam jam m. Jun. 1694 dedi, excepta ſola quantitate appendendi ponderis, & quod linea fulcrorum AS, quæ ibi in parte concava curvati Elateris concipitur, hic inter illam & convexam præciſe media eſt, & utrique condeſcribitur, exiſtente ubique SV = SX.

Quid ſtatuendum porro ſit de Figuris Elaterum a Domino Hugenio pag. 340, fig. 2. propoſitis, jam diſerte explicueram Schol. 5, conſtr. meæ gener. ſed quia viros acutiſſimos de iſtis etiamnum per conjecturas tantum loqui video, operæ pretium erit totam rem tradere apertius: Si Elater quiſpiam ABC a duabus potentiis æqualibus juxta directiones AD, CD, tangentibus extremitatum perpendiculares, curvaturam acquiret conflatam ex partibus ipſius lineæ, quam hucusque contemplati ſumus, efficiendo arcum quem appello vel *diminutum*, ut fig. 3; vel auctum, ut figg. 4, 5, 6. At ſi trahatur Elater juxta directiones AC, CA, ſibi mutuo directe oppoſitas & ad tangentes extremitatum obliquas (quod fit, ubi hæ extremitates aut chorda junguntur,

ut

ut in figg. 3,4,5. aut virga rigida, ut in fig. 6; aut etiam firmis parietibus, ut in fig. 7, utcunque suffulciuntur) mutabit elater paululum figuram suam, ut in dicto schol. 5 expresse monui, quod vel hinc colligitur, quia isto casu nullo amplius in B retinaculo opus est ad coercendum elaterem in statu violentæ tensionis. Interim tamen generalis est solutio pro omnibus, perveniturque ad eandem æquationem supra inventam $aa = 2xz$ seu $aaddy = 2xdxds$, nisi quod in summatione statuendum sit $\int aaddy = aady - abds$, pro 3 & 7ma fig. & $\int aaddy = abds$ ♀ $aady$ pro reliquis, designante a ad b rationem sinus totius ad sinum anguli CAD seu obliquitatis directionis virium comprimentium; quo pacto finalis æquatio, e qua constructiones cæteraque omnia facile deducuntur, hæc reperitur: ♀ $dy = \frac{\overline{xx+ab}\,dx}{\sqrt{a^4 - \square\,\overline{xx+ab}}}$. Monendum etiam hoc est, quod linteum ejusdem cum Elatere longitudinis inter puncta A & C suspensum & fluido impletum usque in A C, ab eoque tensum, eandem & his in casibus figuram induat. Quinimo si Elater ABC cohibeatur chorda FG (ut in fig 8) quæ non ipsi elateri, sed extremitatibus rigidorum brachiorum AF, CG, sit annexa; ac deinde ejus loco concipiatur linteum ABC affixum firmis parietibus AF, CG, atque impletum liquore usque in FG, certum est & tunc eandem utriusque curvaturam fore, quippe quæ portio tantum esse debet resecta ex priorum aliqua. Atque ita plene satisfactum puto utilissimo Problemati, ut ei posthac nihil quicquam desit, quam ut experientiis determinentur in quavis materia veræ tensionum & comprehensionum leges. Nam constructionum inventio est generalioris considerationis, nec proprie ad solutionem Problematum particularium pertinet.

TAB. X. Fig. 3. seqq.

Cæterum num modus construendi transcendentes lineas per meras quantitates algebraicas, assumta una sola quantitate transcendente, universalis sit, atque etiam in illis curvis locum habeat, quæ nec a circuli quadratura nec Logarithmicæ descriptione dependent, nullibi discussi; tantum dixi, Logarithmicam non semper adhiberi posse; quanquam nec prius ita clarum sit, ut omni dubitatione careat; scrupulum enim movet hoc, quod nullæ non rectificabiles curvæ continuo bisecari possunt, ut arcus circulares & logarithmi. Novi equidem

dem, quod data quavis Curva Algebraica reperiri possint puncta alicujus transcendentis lineæ per meram Geometriam ordinariam, ex gr. per solas bisectiones inscriptarum; sed quæ sit hujus transcendentis natura sive differentialis æquatio, adeoque data æquatione qualis assumenda Curva Algebraica, cujus inscriptas bisecando illa possit construi, repertu arduum & difficile existimo. Nota, quam dedi pag. 271, qua constet, num Curva Mechanica ope Logarithmicæ construi possit, vera est, sed recte interpretanda: nam si quantitas tdx pluribus constet membris, examinanda sunt non tantum omnia conjunctim, sed & singula seorsim, atque secundum omnes modos possibiles inter se combinata; quoniam hoc casu proprie non una adest æquatio, sed plures; velut in exemplo quod objicitur $ady = x + \frac{aa}{x}, dx$, quam æquationem (posita $y = s + z$) possum resolvere in has duas: $ads = xdx$, & $adz = \frac{aadx}{x}$, quarum hæc cum notam præscriptam habeat, illa absolute integrari possit, constat etiam ex ambabus compositam ope Logarithmicæ construibilem esse. Ad series, quas dedi pro summandis quantitatibus $xxdx : \sqrt{a^4 - x^4}$, & $aadx : \sqrt{a^4 - x^4}$ per interpolationes Wallisianas perveni, easdem tamen etiam obtineri posse per indefinitam potentiam binomii eleganter observavit celeberrimus D. Leibnitius. Iis quæ subjicit hic Vir de numero concurrentium intersectionum in osculis, non habeo quæ reponam; cum non eo dicta putem, ut sententiam meam, cujus veritatem paulatim agnoscere videtur, impugnaret, sed commoda potius explicatione cum sua conciliaret. Ego profecto mentem mutare prius non possum, quam ad instantiam Parabolæ circulum osculantem in alio præterea puncto intersecantis responsum legero, aut calculum pro quatuor intersectionum concursu militantem in speciali aliquo exemplo videro, similem meo qui trium tantum concursum supposuit.

Jam porro ad constructionem accedendum Curvæ accessus & recessus æquabilis, sive Isochronæ, ut Domino Leibnitio appellatur, Paracentricæ, qua etiam Jun. sup. anni Problema jam dudum sopitum resuscitavi: hic illud primo reprehensum video, quod rectificationem curvæ alicujus adhibuerim, quæ & ipsa ad sui constructionem spatii qua-

quadraturam requirit, cum Problema immediate per quadraturam vel etiam rectificationem curvæ ordinariæ confici potuisset. Quod recte quidem, at non dissimulanda fuisset ratio hujus meæ optionis, quam ibid. pag. 277, & postmodum p. 336 expresse addidi. Nempe existimo curvas, quas natura ipsa simplici & expedito motu producere potest, quorumcunque sint generum & graduum, in constructionibus præferendas esse aliis, etiam algebraicis, quas arte vel nullo modo vel difficulter delineamus; cum illud semper in practica effectione operis sit censendum optimum, quod cum summa exactitudine summam quoque facilitatem conjunctam habet. Sed etiamsi quippiam hic peccatum esset, illud tamen seq. etiam Sept. abunde reparatum a me puto, ubi non tantum constructionem hujus Problematis omnium facillimam per rectificationem Curvæ Algebraicæ, quam *Lemniscatam* voco, exhibui, sed & generaliter docui, quænam curvæ Algebraicæ, in tentandis constructionibus Mechanicarum, lineam circularem & parabolicam proxime excipiant; ad quod perquirendum memini Fratrem paulo ante per literas a Domino Leibnitio instigatum fuisse. Quod vero constructiones per quadraturas concernit, quas cæteroquin cum Domino Hugenio non magni facere soleo, ut hinc inde sum professus, non rejiciendas illas puto tum, cum id tantum intenditur, ut in æquatione construenda literæ indeterminatæ cum suis differentialibus separentur a se invicem, quod solum intendebant illustris cum Fratre Hospitalius, cum primum præsens Problema mihi proposuissent; nec enim reduci problema ad quadraturas potest, nisi literæ jam separatæ sint, unoque præstito alterum quoque præstitum habetur. Multo minus autem quadraturæ debuerunt negligi in materia Elasticarum, cum in hypothesi indeterminata Problema aliter confici non potuisset. Sed nec demonstratum video, semper alias constructiones haberi posse: Barrovii sane tempore nullæ aliæ fuere notæ, nisi quæ fierent per quadraturas; nec illas prius fastidire cœperunt Geometræ, quam celeb. D. Leibnitius elegantissimam Catenariæ constructionem per Logarithmicam dedisset. Dixeram, unam tantum dari Isochronam respectu ejusdem centri ejusdemque altitudinis, quod quanquam eo sensu quo dictum fuit excusari forte possit, malo tamen melioribus monitis locum dare, fateorque magis congrue dici dari infinitas. Errorem autem sola peperit festinatio; nec enim ignorabam,

in

in ſummatione differentialium ſummas abſolutas augeri minuive poſſe conſtante quadam quantitate *b*; cum id alias mihi obſervatum eſſe, ex generali ſolutione Elaſticarum ſupra allata & jam etiam Jun. 1694, p. 267, ſcol. 5, prælibata conſtet: & meminiſſe poteſt Lector, inventam mihi ſolutionem fuiſſe, cum prolixum ſatis ſchediaſma pene finiviſſem, atque jam ſcribendo laſſatus eſſem, ubi de ſumma rei certus ad ſingulas Problematis circumſtantias cautius attendere non ſuſtinui. Agnoſco itaque cum acutiſſimo Dno. Leibnitio, quod poſſit aſſignari Iſochrona, quæ per datum quodvis punctum tranſeat: ſed neſcio, cur excipiat puncta rectæ horizontalis per ipſum centrum tranſeuntis, cum ſimiliter nullum eorum ſit, per quod non aliqua ſatisfaciens duci poſſit. Sit enim ubivis in illa datum punctum C (fig. 9) invenientur puncta Iſochronæ convenienter conſtructioni meæ menſis Septemb. hoc pacto: Sumto indefinite puncto Q in curva lemniſcata AQB, ſubtendatur ei ex nodo recta AQ, tertia proportionalis ad rectas AB & AQ (quæ ſit *ze*) applicetur ſemicirculo & jungatur A*e*, in qua ſi abſcindatur A*a* tertia proportionalis ad AB & Lemniſcatæ portionem AQ auctam minutamve conſtante quadam longitudine *b*, quæ media ſit proportionalis inter AB & AC, erit punctum *α* in quadam Iſochrona, quam apparet tranſituram per datum C punctum. Poteſt vero fieri, ut quæ per diverſa horizontis puncta tranſeunt, non ſemper ſint totidem diverſæ lineæ, ſed portiones tantum unius ejusdemque. Sciendum enim, terminos quos ipſi aſſignavi p. 279, §. 3, non eſſe niſi ſecundum quid tales, unamque & eandem Iſochronam ab utraque horizontis parte in infinitum produci poſſe, omnes vero in centro A coire, ac inde ſub horizonte utrinque per infinitos plexus ſeu mæandros ſe diffundere, quales fig. 10, etſi ob ſpatii anguſtiem non debita proportione delineati, conſpiciuntur, adeo ut grave per curvam latum perpetuas circa A librationes ſed uſque & uſque ampliores peragat, & poſt ſingulas oſcillationes horizontalem repetat eamque radat. Cujus rei argumentum eſt, quod & Lemniſcatæ ceu curvæ in ſe redeuntis portio AQ, quæ longitudinem rectæ A*a* in fig. 9 determinare debet, intelligi poteſt non de ipſa tantum ſolitarie accepta, ſed & cum adſumta ſemel pluriesve integra perimetro Lemniſcatæ, quo fit, ut in eadem recta A*e* ſemper plura plurave puncta, qualia *α*, reperiri poſſint. Diſcimus etiam hinc, Iſochronam geometrice non
conſtru-

construibilem esse, cum Lemniscata nequeat esse rectificabilis; statuo enim etiamnum, (ne quid eorum intactum relinquamus, quæ antehac inter nos acta sunt, vid. m. Jan. 1691, p. 21) nullam curvam geometricam in se redeuntem rectificationem admittere; quod quia memini me potuisse demonstrare, valde scire cupio, quales sint instantiæ, quas in contrarium adduci posse scripsit D. Leibnitius m. Sept. 1691, p. 437. Sed & hoc ex dictis consequitur, quod Isochronæ, quæ supra horizontalem assurgunt, non possunt circa centrum A in spiras convolvi, ut conjecit acutissimus D. Hugenius; cum secus partes inferiores cum Isochronis nostræ constructionis communes habere, adeoque horizontalem per A extensam simul & secare & tangere deberent, quod impossibile. Memini tamen me reperisse, quod ejusmodi spiræ circa centrum A prodirent, si ipsum simul poneretur centrum gravium, & quod eo casu curvæ constructio ope duarum spiralium Archimedeæ & Logarithmicæ facile peragi posset.

Sed ut ad reliqua meletematum nostrorum capita transeamus, atque aliquid etiam adjiciamus de *Curva velaria*, quam eandem esse statui cum Catenaria, sciendum, me nunquam mutasse sententiam, sed tantum distinxisse casus. Dixeram m. Maj. 1692, p. 203, art. 1, Velum arcuari in circulum, si quando ventum sic excipiat, ut hic intra sinum ejus stagnare, totamque suam pressionem in velum exerere cogatur; velut sane manifestum fit in bullis saponariis, quæ flatu oris in perfectas sphæras rotundantur. At hæc pro velis marinis hypothesis tantum fuit, quæ, si veritati minus consona, propterea primarium calculi fundamentum non evertit. Et revera aut nullus aer intra veli sinum stagnat, sed omnis ad latera veli evadit; aut si quis stagnat, is non nisi partem pressionis, quam ab aere pone insequente partemque motus sui retinente accipit, in velum transfert, illudque proin aliter non afficit, quam faceret, si juxta cas. §. 10, ipsemet oblique in velum irrueret, ac reliquum motus sui libere continuare posset. Unde re attentius pensiculata non tantum non sententiam muto, sed jam nullus dubito, velum inflatum omni in casu Funiculariæ curvaturam assumere. Nec moror discrimen, quod fortasse intercederet, si velum ex numero finito rectarum compositum intelligeretur; cum nihil sit frequentius in natura, quam ut in casu infinite parvorum quantitatum differentia evanescat; nec magis hoc mirandum, quam miramur, quod evane-

ſcente baſe trianguli evaneſcit crurum differentia. Approbavit autem in fundamentalibus ſolutionem ipſe Frater, nec approbavit tantum, ſed & ſuam fecit, brevisque inventi hiſtoriola hæc eſt: Cum ineunte anno 1691 Fratri Genevam miſiſſem proportionem hanc ſolvendam: $ddx . dx :: dy^3 . \int dy^3$, qua Velariam comprehendi indicabam, ille ex P. Gaſtone Pardies retulit, Velum conſiderari poſſe inſtar funiculi pondere carentis, cui infinitæ lineæ æquidiſtantes & æque graves inſiſtant; adeoque in Priſma Parabolicum curvari juxta id, quod in Actis habetur m. Jun. 1691, p. 288. Sed monitus diverſam eſſe rationem fluidi impellentis, ac ſolidi ponderis juxta eandem directionem trahentis vel prementis, mox ſententiam mutavit, intuensque velum ceu linteum liquore aliquo impletum indagare cœpit, quænam ejus curvatura foret, ſi preſſio fluidi linteo communicaretur ſecundum directionem horizontalem ſive verticalem; harum enim hypotheſium alterutram veram eſſe perſuaſum habebat, & cum ne hoc quidem probarem, exiſtimabat ſaltem lintei hujus, ſi non veli, curvaturam ſe dediſſe; donec ego paulo poſt apertius me explicans hanc fluidorum naturam eſſe perhiberem, ut preſſionem communicent nec ſecundum horizontalem nec verticalem, ſed ſecundum lineam corpori impulſo in quovis impulſus puncto perpendicularem, hac tamen cum differentia, quod ubi fluidum motum ſuum poſt impulſum poteſt proſequi, partem tantum virium in premendo corpore impendat; ſi vero ſtagnat alicubi, nec habet quo evadat, omnes ſuas vires in illud transfundat: hinc velum concipiendum inſtar funis (fig. 11) ab infinitis potentiis æqualibus aut inæqualibus tracti vel impulſi, quæ cum ſunt æquales, manifeſtum eſſe formari circulum, quemadmodum etiam per calculum inveneram, eoque in hypotheſeos aſſumtæ veritate prorſus confirmabar.

TAB. X. Fig. 11.

Interea dum ille ſub finem anni 1691 Pariſios ſe confert, transmuto proportionem hanc $ddx . dx :: dy^3 . \int dy^3$, in æqualitatem $adsddx = dy^3$, indeque ope methodi cujusdam, quam pro ſecundis differentiis ad primas reducendis paulo ante excogitaveram, Funiculariam elicio, mox etiam æquationem tecta ſolutione Fratri Lutetiam mitto, viſurus num & ſua huc pertingeret. Is vero rem ſibi ſucceſſiſſe videns, atque jam factus cupidior ſciendi, quomodo ad hanc æquationem pervenerim, denuo ad Veli contemplationem redit, nec ceſſat, donec animadverteret, artificium in hoc uno conſiſtere, ut ſingulæ impulſuum directiones

ctiones in duas alias, horizontalem puta & verticalem resolvantur. Nec mora, protinus inventum prælo committit, ac m. April. 1692 Ephem. Gallicis curat inseri, & quia se solum Problema absolvisse putabat, me de plenaria resolutione desperasse scribit, nescius quod illam jam præcedente Martio una cum Regulis usum inventi concernentibus Lipsiam misissem. Corrigere etiam postea voluit curvaturam suam lintei liquore adimpleti, novamque D. Marchioni solutionem exhibuit, sed eam etiamnum erroneam & a mea diversam. Hanc enim eandem esse cum Elastica, non minus atque Velariam cum Funicularia, constanter sentio; & quod certum veritatis indicium esse potest, identitatem hanc, quam initio ex speciali natura curvarum prolixiore analysi collegi, nunc absque omni fere calculo duabus lineis ostendo. Factum interim fuit, ut uterque principium pressionis fluidorum ad alia quoque utiliter adhiberemus, ille ad motum musculorum explicandum, ego ad eximendũ mihi scrupulum, quem olim habui circa causam perpendicularis descensus gravium, m. Febr. 1686. Videbam enim ex eodem fonte rationem peti posse, cur materia terreni vorticis juxta directiones æquatori parallelas excussa, in circumferentia vorticis vi sui elateris per lineas circumferentiæ perpendiculares repercuti, ac propterea gravia versus centrum potius quam per easdem directiones repellere debeat. Quanquam autem in hoc negotio nonnulla fuerunt, quæ initio ut vera assumpsimus, demonstrare vero non potuimus, velut illud primarium, quod legem pressionis fluidorum stagnantium concernit, eorum tamen veritatem omnem nunc a priori cognosco. Quorsum etiam pertinet aliud, quod me monere cogit veritatis amor: Supposueram initio, axem æquilibrii transire per concursum rectarum extremitates veli linteive tangentium, & esse curvæ perpendicularem; sed cum postea certis indiciis cognoscerem, ambas hujus hypotheseos partes non posse simul stare, priore repudiata alteri ceu, ut videbatur, verisimiliori inhæsi. Quis enim existimasset, ex infinitis directionibus, quæ omnes curvæ alicui perpendiculares sunt, solum axem æquilibrii seu lineam directionis mediæ talem non esse? At nunc cum evidentia successit conjecturis, omnino contrarium video, cogorque retractare omnes illas Regulas, m. Maj. 1692, p. 204, & m. Jun. 1694, p. 275, quæ ex priore opinione fluxerunt, dum reliquarum directionem hanc atque impulsus vim concernentium ve-

ritas inconcussa manet. Quibus, ut ἀβλεψίαν meam utcunque reparem, addo nunc novum aliquod Curvæ genus determinandæ generaliter huic directioni inserviens, quam ab usu *Lineam mediarum directionum* appello, atque sequenti modo construo, fig. 12. In data quavis Curva AB, quam concipio formatam esse a pressionibus utcunque inæqualibus fluidi alicujus seu præterlabentis seu stagnantis, sunto rectæ AI, BD, ei perpendiculares, tangentes AC, BC, ponaturque AF $= x$, FB $= y$, & AB $= s$; quo facto si ex perpendiculari BD abscindatur BD $= \frac{xdsq + xdyds}{dxq}$ (quod semper & in omni curva duobus circini ductibus absolvo, speciatim autem in Velaria seu Funicularia, cujus centrum G, faciendo tantum BD $=$ GF, in Elastica sumendo BD $= \frac{AIq}{AI + IF}$) dico fore punctum D ad curvam desideratam ED, quæ talis est, ut ducta quavis BD perpendiculari ad AH & abscindente ex illa portionem AB, secante vero curvam ED in D, juncta CD media sit directio portionis AB sive axis æquilibrii, circa quem hinc inde portio AB impulsiones æqualium momentorum sustinet. Cæterum observavit olim acutissimus D. Leibnitius (vid. Ephem. Gall. m. Sept. 1693) quod recta tendentiæ seu directionis mediæ mobilis a pluribus potentiis impulsi transeat per commune centrum gravitatis omnium punctorum tendentiæ particularium; quod verum etiam cum potentiæ sunt infinitæ, at tum cavere debet Lector, ne centrum grav. loci punctorum, seu lineæ per infinita puncta transeuntis, cum centro ipsorum punctorum confundat, quippe quod ob intervallula punctorum plerumque inæqualia ab altero est diversum. Quanquam autem peregregium hoc sit Theorema, nullius in re præsente usus esse poterit, cum supponat, omnes directiones particulares ex uno puncto divergere, quas hic ex integra linea, Evoluta scilicet, emanare concipimus. Alia via est, qua idem certo & expedite licet consequi. Jam enim plane assevero, me omnia demonstrare posse, facileque fidem impetrabo apud Lectorem, si perpenderit mihi & satis esse perspicaciæ, ut sponte agnoscam cum impegero, & satis quoque ingenuitatis ut fatear. Sed non omnia hic vacat agere, mallemque hæc cum affinibus aliis, quæ resistentias fluidorum, velocitates corporum motorum in flui-

TAB. X. Fig. 12.

fluidis &c. concernunt, integro tractatui reservare, si modo valetudo firmatior & sufficiens huic elaborando otium concederetur, nec meæ me conditionis necessitas ignobilioribus plerumque studiis adstringeret. Ut tamen certius appareat, me non vana promittere in hac materia, volo hic in veritatis patrocinium & commodum rei nauticæ etiam symbolam meam conferre ad discussionem quæstionis illius utilissimæ, de velocitatibus navium eodem vento in diversas partes velificantium, quæ sup. annis inter D. Renavium Auctorem Theoriæ de la Manœuvre des Vaisseaux & D. Hugenium agitata fuit, quorum ille velocitates has voluit esse, ut sinus angulorum veli navisque, hic ut sinuum radices: quanquam enim D. Hugenius veritati multo propius accedat, uterque tamen, si præcise loquendum sit, navi obliquius latæ velocitatem justo minorem tribuit, quod palpabile fit consideranti, naves in diversas plagas tendentes non iisdem ab eodem vento viribus impelli (ut tacite supponit Hugenius) cujus rei ratio est, quia navis in tantum se subducit pone insequentis venti impulsui, in quantum propria celeritate juxta directionem venti promovetur, adeo ut ventus non totali sua celeritate, sed parte tantum celeritatis in navem agat, eo minore, quo rectior est navis cursus, h. e. ut posita celeritate venti a, navis rectioris y, obliquioris z, & ratione sinuum angulorum veli navisque $\frac{a}{b}$, ventus ad priorem navem appellat velocitate $a-y$, ad alteram velocitate $a-\frac{bz}{a}$: unde cum vires, quibus naves impelluntur, componantur ex simplici ratione sinuum a & b, ac duplicata velocitatum $a-y$ & $a-\frac{bz}{a}$, atque insuper (in casu maximæ velocitatis navium) resistentiis aquæ, quæ duplicatis navium celeritatibus proportionales sunt, æquentur, erit $yy.zz :: a.b+aa-2ay+yy.$ $aa-2bz+\frac{bbzz}{aa}$, hoc est, quia posito pondere aquæ ad pondus aeris ut p ad a, & superficie proræ ad subtensam veli ut a ad m, reperi olim

maximam velocitatem navis $y = \frac{a\sqrt{m}}{\sqrt{p}+\sqrt{m}}$, fiet inde $z = \frac{aa\sqrt{bm}}{a\sqrt{ap}+a\sqrt{bm}}$, adeo ut emergat $z.y :: \sqrt{b}+\sqrt{\frac{bm}{p}} . \sqrt{a}+\frac{b}{a}\sqrt{\frac{bm}{p}}$, quæ ratio major est ratione Hugeniana $\sqrt{b}$ ad $\sqrt{a}$, & differentiam parit trigesimæ circiter partis totius velocitatis, quod in longiori itinere errorem nimis enormem reddit. Optassem vero, ut aliquando mihi licuisset propius cum desideratissimo D. Hugenio, at nunc eheu vivis erepto, super his conferre, qui tum ob loci commoditatem, tum ad profundam rerum cognitionem atque in mechanismis excogitandis solertiam, multa inventis nostris perficiendis ac in usum rei maritimæ traducendis communicare potuisset.

Restarent nunc nonnulla Fratris schediasmata examinanda, præsertim illud m. Octobri 1694, quod constructionem Isochronæ spectat, meque propius tangit. Verum de re ipsa non multa dicenda habeo, nisi quod nobis hic ova, quod ajunt, post prandium apponit, nihilque novi docet, quod non simplicius quodammodo jam præced. Septembri a me præstitum sit. Dixeram, illum multum fuisse in Problemate, quamdiu autem ejus solutioni præcise incubuerit, non definio: hoc tantum novi, quod D. Marchio, eo tempore quo Fratrem secum habebat, super æquatione $\overline{xdx+ydy}\sqrt{y} = \overline{xdy-ydx}\sqrt{a}$, bis me per literas pulsarit, ipseque Frater post suum e Gallia reditum, cum æquationem denuo mihi proponeret, atque simul Problema, ex quo fluxisset, indicaret, sponte fassus sit, se methodo sua qua Beaunii Problema aliaque difficiliora solverat, hic nihil efficere potuisse; quod utique satis arguit, rem non semel ipsi antea tentatam fuisse. Calculum suæ constructioni præfigit, ne quis eam, ut inquit, ex mea m. Jun. desumptam existimet; quasi quid esset facilius, quam synthesin meam convertere in analysin, ac perspicere ex illa, quænam lineæ pro indeterminatis sint accipiendæ. Miror autem, cur casu potius quam industria me huc pervenisse scribat, cum initio sui schediasmatis de sua solutione sic loquatur, ut innuere velle videatur, se filo certæ methodi ad illam perductum fuisse; nisi forte dicere velit, semet arte posse consequi, quod a me non nisi casu invenitur. Qua ipse arte fuerit usus, nolo curiosi-

us

us inquirere; mihi certe nihil hic casuale, nihil inexpectati accidit, sed hoc ipsum quod inveni quærere intendi, certoque consilio, non temere factum est, quod has potius lineas indeterminatas quam alias adhibuerim. Non nego, fortuito mihi natam fuisse occasionem cogitandi primum de Problemate; at si hoc inventum casuale faciat, nihil non casui debebitur, atque ex gr. observatio identitatis curvæ æquilibrationis cum cycloide a Fratre facta m. Febr. 1695, non industriæ alicui sed casui accepta ferenda est, eo quod ex fortuito aspectu figurarum D. Marchionis suspicio cycloidis ipsi oboriri potuit, qualis mihi nata fuit, priusquam fraternam solutionem legissem. Pergit deinde Frater, ac promittit nobis modum, mihi ut opinabatur ignotum, construendi æquationes differentiales per rectificationes curvarum algebraicarum, quem in eo consistere ait, ut quadratum quantitatis differentialis dividatur in duo alia quadrata, quorum latera, si fieri possit, integrabilia sint (scilicet hoc omnes norunt, etiamsi non dixisset;) at qui hoc semper & ubique fieri possit, non ostendit; quod tamen vel maxime factum oportuisset, ne Lectores meris solutionibus pascerentur, atque etiam existimare possent, casu potius quam industria rem hic nobis successisse. Sicut quoque optandum esset, ut vires methodi suæ, si quam habet, separandi indeterminatas cum suis differentialibus a se invicem ac constituendi per rectificationes, expertus fuisset in resolvenda Isochrona supracentrali, nec non æquatione $xxdx + yydx = aady$, quam ipse proposuit m. Nov. p. 436. Nam modus generalis illa construendi, quem ibidem affert (quique ab illo quem D. Leibnitius jam m. Aug. p. 373 exposuerat, nisi in superfluis non differt) nullibi quam in speculatione locum habet, cum constructiones non versentur circa quantitatum elementa; & quamprimum in praxin transfertur, cessat esse constructio geometrica, & fit mechanismus. Sed nec series, alias satis ingeniosa, quam nobis dedit p. 438, hic in usum verti potest: quod tenendum, ne quis existimet hæc adeo universalia esse, ut nihil amplius hic desiderari possit. Quod si autem constructionibus speculativis, saltem earum æquationum, quæ literas indeterminatas jam separatas habent, acquiescere velimus, plures aliæ elegantes Theoriæ excogitari possunt. Talis est constructio, quæ fieret per Elastra; posita enim generaliter natura curvæ construendæ $ady = tdx$, ubi t datur per x, dico, si qua arte in materiam ea induci possit tensionis

nis lex, ut, dum vires tendentes ſunt ut x, tenſiones ſint ut $a^4 dt : \overline{aa + tt} \sqrt{aa + tt}, dx$, fore, ut lamina inde confecta & inflexa curvaturam optatam ſponte ſit acquiſitura. Ita determinare licet, qualiter filum aliquod gravari conveniat, ut ab extremitatibus ſuſpenſum deſideratam curvam repræſentet. Verbo, huc referri poſſunt omnes illi conſtruendi modi, qui certam aliquam conditionem prærequirunt in materia, qua poſita natura ipſa ſpontaneo motu quæſitum exhibeat.

Hæc vero omnia, ne ſequius accipiantur, unice in veritatis præſidium hic allata moneo, & ut illi, qui hiſtorica inventorum narratione delectantur, ſciant, quid quantumque ſingulis tribuendum ſit, minime vero ut aliorum reperta vel ſugillem & elevem, aut mea contra nimium quantum extollam. Præſtat enim hic ſentire cum Columbo, qui amicis detectionem novi orbis ſibi invidentibus reſpondiſſe fertur, non jactando & exaggerando inventi magnitudinem, ſed quæſtionem de re aliqua frivola ipſis proponendo, qua modeſte innuere voluerit, ipſos eidem inveniendo, ſi advertiſſent, facile pares eſſe potuiſſe, attamen hoc ipſis ante ſe in mentem non veniſſe. Imo vero tantum abeſt, ut exiſtimem, nos multum gloriari poſſe de inventorum difficultate vel ſubtilitate aliqua, ut perſuaſus potius ſim, (puto, Frater & de ſuis fatebitur) nos nihil hic præſtitiſſe, quod non cuivis mediocri ingenio noſtris principiis imbuto pariter in mentem venire potuiſſet. Quemadmodum enim in natura nuſpiam, ita nec in ſcientiis ſaltus datur, ſed omnis noſtra cognitio more quantitatum quaſi creſcit per elementa, atque ita pedetentim augetur, ut ab uno ejus gradu ad gradum proxime ſequentem non niſi ſaltus, ut ſic dicam, requiratur infinite parvus, ut nemo tam ſit hebes, qui ſi modo ordine incedere velit, ac præcedentia intellexerit, non proprio marte pergere & ad ſequentia tranſire poſſit. Quin etiam ſubtiliſſima ſæpe quæ videntur inventa, principia habent tam obvia tamque trivialia, ut non inepte comparari poſſe videantur cum artificiolis illis Præſtigiatorum *(tours de paſſe-paſſe)* quæ ignari tantopere mirantur; qui vero norunt, contemnunt ac rident. Ratio vero, cur non omnia inveniamus omnes, hæc eſt, quod tanta rerum multitudo ſit, ut iis omnibus animum advertendi nulli ſufficiens otium vel occaſio detur; aut etiamſi duo eidem quærendæ rei mentem applicent, fieri plerunque ſolet, ut diverſas vias ineant, naturæ rei non æque accommodas, quas tamen quo ducant, initio prævidere non

non possunt; similes duobus, qui pari quidem sagacitate terras incognitas lustrant, amboque novis spoliis onusti domum redeunt; sed neuter, quæ alterius tantum terra tulit, asportare potest.

Problema: Æquationem $ady = ypdx + by^n qdx$ (ubi *a* & *b* quantitates datas & constantes, *n* potestatem quamvis lit. *y*, *p* & *q* quantitates utcunque datas per *x* denotant) construere, saltem per quadraturas, hoc est, separare in illa literas indeterminatas *x* & *y* cum suis differentialibus a se invicem.

DISCOURS SUR LA CRECHE DE NOTRE SEIGNEUR.
id est:

Dissertatio de Præsepi Christi Salvatoris nostri.

Editio tertia ab Auctore revisa & aucta.

Berolini apud Rob. Rogerum, 1695. in 12. plag. 15.

LIbellus hic antea in Belgio excusus, adscriptum Auctoris nomen non habuit; ac ne nunc quidem is passus est id adjici, postquam Berolini, ubi in Potentissimi Electoris aula suprema Patriciatus & intimi Administri dignitate effulget, nec magis provincias Serenissimo Hero subjectas consiliis adjuvat, quam rem litterariam egregiis doctrinæ ac ingenii monumentis exornat, ut recuderetur concessit. Dignum autem nomine isthoc *Spanhemiano* (quid enim dissimulemus Virum illustrem?) pulcherrimum hunc fœtum omnino censemus; siquidem eo pietatis non minus quam doctrinæ & eloquentiæ, inque Gallici sermonis usu exquisitæ elegantiæ, insigne exemplum præberi intelligimus: cujus proinde omnis forma ut pateat, argumentumque totum expositum reddatur, quantum per instituti rationem licebit, efficiemus; ad lectionem ipsius opusculi, quam commendant Natalitiorum Christi solennia, hoc mente quæ recoluntur in Ecclesia, eruditæ pietatis studiosum ut se conferat monentes.

In Præfatione postquam annotavit, Sermonem hunc primum Latine scriptum, & a se deinceps Gallice conversum fuisse; inficetam nonnullorum opinionem convellit, qui solis Theologis sacrorum argumentorum tractationem vendicant: eorum item, qui eloquentiam haud convenienter iis adhiberi contendunt, sententiam impugnat. Dein Sermonem orditur, quem in conventu domestico a se aliquando recitatum monuerat: & post brevem benevolentiæ quasi captationem, qua auditores suos excitat, ut ex eodem loco, quo de Roma &

ejus Imperatoribus dictum ſit ſæpe, de Chriſto nato etiam velint diſſe-
p. 1. 10. rentem auſcultare, incipit agere de æterna & divina *Infantis* origine, de
qua ne vult ut multum ſcrupuli ſuæ quis menti injiciat, quum vera illa
ſit, tametſi humanæ rationi non exploranda; quumque myſterium ſit,
ne Adamo quidem, Abrahamo, aliisque ſanctiſſimis viris ſatis perſpe-
p. 15. ctum; periculum etiam ſubſit, ne, dum curioſior in illud fiat inquiſitio,
de ejus veritate ſenſim dubitare incipiamus, quod Noetio & Valenti-
p. 18. 19. no contigiſſe hiſtoria doceat eccleſiaſtica. Deinde exaggerat imperve-
ſtigabilem nobis rationem, qua Filius DEI in hominem ſe efformarit:
ſive eum conſideremus ut DEUM de DEO, ſive ut ex DEO hominem,
p. 20. ſive ut DEUM & hominem ſimul; perinde ac explicari nequeat, quo-
modo naturæ adeo diverſæ aduniri potuerint: cujus rei improvida per-
veſtigatio Cerinthum & Samoſatenum, Marcionem & Sabellium ac
p. 25. Eutychen in fœdos errores rapuerit. Habere vero divini Infantis *Ma-
trem* Virginem multum etiam in ſe myſterii, quod explicari non poſſit,
dum filia ſuum patrem, ſerva ſuum herum, ac intacta virgo infantem
p. 28. pepererit. Quibus paria exempla Gentiles quidem in ſua Deorum my-
thologia habeant, natorum absque matre aut patre miracula narrantes,
ſed quæ fabulas redoleant, ſub involucro earum aliud ſignificantes,
adeoque cum conceptione divini Bethlehemitici Infantis nihil com-
p. 30. mercii habentes, qui infans adhuc pater ſit, & ſibi ortum debeat. Ut
p. 33. fruſtra ſint & blaſphemi, qui cum Cerintho Joſephum, vel cum Celſo
Pantherum, aut Papum Sadramve cum Hebræorum magiſtris, patrem
p. 33. ejus ſomniarint. Nec Spiritum Sanctum patrem dici poſſe, quamvis
ex ipſo concepti Infantis hujus; quippe quum de ſua ſubſtantia eum
non formarit, nec magis quam reliquæ duæ Divinitatis perſonæ iſthoc
p. 35. patris nomen gerere poſſit. Contemplandam potius cenſet Infantis di-
vini humiliationem, qui a Virgine paupere abjectaque naſci voluerit,
p. 36. felice tamen, & abundantiæ pacisque ac felicitatis conditrice; de qui-
p. 42. ſeq. bus elogiis Auguſtarum, in nummis quæ ſunt obvia, diſſerit. Mariam
autem iis longe præſtantiorem prædicat, etſi ignoraverit, ſe vas illud
eſſe pretioſum & arcam, quæ non legem ſed legiſlatorem, mannam-
que cœleſtem & virgam Aaronis frugiferam contineret, templumque
p. 46. Salomoneo longe auguſtius exhiberet, virgo perpetua & Filii ſponſa.
p. 51. Ad *præſepe* poſtea ſe confert, & locum tot myſteriis circumdatum con-
p. 52. ſeqq. ſiderat; qui non magna urbs fuit aut clara, ſed humile & vix notum vi-

cinis

cinis oppidulum, quod majorem tamen inde gloriam famamque nactum est, quam illæ Græciæ urbes, quæ vel de Olympionicis apud se natis multum gloriatæ fuerunt, vel Deorum patriam se esse jactarunt, vel ob alias singulares dotes præcelluerunt; vel ipsa etiam Roma, licet nominis fama universum terrarum orbem complevisset. Domum seu locum in ista urbe, qui fuit *stabulum*, nativitati huic plane aptum fuisse ostendit, nec convenientiori agnum DEI immaculatum, qui & ipse simul supremus ovium pastor esset, nasci potuisse. In tugurio autem isto, ejusque stabulo, cunarum vicem, in quibus Infans cœlestis reponeretur, præstitisse *præsepe*, in quo jacere voluit, insigni humilitatis argumento & gentis humanæ solatio, ejus Redemtor. Nec aliam rationem *linteaminum* fuisse, quæ fœnum & laceri panni præbuerint *vagitu* Infantis saluberrimo cohonestati, observat. Ne quid vero argumentorum porro desit, quæ abjectum JESU nascentis statum demonstrent, *testes* ejus etiam huc advocat Auctor, pauperes illos agrestesque ac opiliones, magis tamen idoneos quam Pharisæi, Herodes, Augustus, aut philosophi sive Stoici, sive Academici, sive Peripatetici, sive Epicurei, sive Pythagorei, quibus longe præstare hos pastores docet.

p. 57. p. 59. seq. p. 63. p. 72. seq. p. 81. p. 89. p. 98. p. 101. p. 104. p. 109. p. 110. seq. p. 118. seqq.

Ut vero hæc omnia humilitatis Christi evidentissima argumenta sunt, ita tamen neque majestatis & gloriæ testimonia defuisse ostendit. *Angelos* enim concinentes & natales hos annunciantes, *Magos* ex longinquis profectos oris dona afferentes, & novum *sidus* eos deducens ad præsepe Bethlehemiticum, splendoris & dignitatis plurimum attulisse, nec simile exemplum in omni antiquitate reperiri, affirmat ac copiose declarat; multa de præsagiis Gentilium circa nativitatem infantum, stellarum apparitionibus, & in apotheosi earum fulgore, Magorum item numero, vitæ genere, reliquiis, patria, doctrina, muneribusque quæ obtulerunt, erudite disserens, quæ inde repetere instituti nostri modus prohibet. Venerationem & gaudium cultumque Magorum, queis prosecuti sunt Infantem, eleganti oratione, qua istum allocutos eos fingit & adorasse, conceptis verbis exprimit, ac porro declarat, non sine Judæorum & Gentilium opprobrio: ad quorum utrosque oratione conversa, istis vanam alterius Messiæ expectationem, & de ejus adventu, quem sibi imaginantur, diversas, partim ridiculas, partim impias sententias graviter exprobrat; his nati Salvatoris beneficia monstrat, quæ ad ipsos potissimum pertinere indicat, ambas

p. 128. p. 134. p. 152. p. 137. p. 139. p. 142. p. 148. p. 153. seqq. p. 176. seq. p. 184. seqq.

manus ſacratiſſimo Infante ad Orientis & Occidentis populos extendente.
p. 209. Admonet igitur, ut ſequantur prævios Magos, nec abſurdum
p. 210. exiſtiment DEUM fieri hominem, deſcendere in terram, hominibus
uniri, ſervi forma conſpiciendum ſe præbere, ex hominibus naſci,
p. 213. ſeq. quum talia ipſi de ſuis Diis prodiderint. Qua occaſione nonnulla de
p. 219. Heroibus patre Deo matre homine ortis, Eleuſiniis ſacris & myſteriis,
p. 221. neceſſaria ſacerdotibus fœminis virginitate, pudicitia, innocentia, feli-
p. 228. citate, Hercule filio Jovis, domuncula in qua natus Romulus & Augu-
p. 232. ſtus, lectis Deorum, antris ſacris, Servatoris elogio, Cometis ineun-
p. 236. p. 239. tis ac finientis ſæculi indicibus juxta Servium, DEI cum hominibus
p. 240. 243. commercio eorumque ſimilitudine; titulis Deorum, Jupiter Cretenſis,
p. 247. p. 251. Capitolinus, Hercules Romanus, Genius populi Romani, Ζεὺς πάν-
p. 252. p. 253. δημος, Salus orbis, generis humani, quæ in nummis proſtant; Diis denique omnium gentium, quas per apoſtrophen appoſite alloquitur,
p. 255. ſeqq. ea inſpergit, quæ ad nativitatem Infantis hujus commode applicat; e quibus diſcere licet, non minus incredibilia de ſuis Diis Gentiles ſibi perſuaderi paſſos eſſe, quam nos certa fide credimus de Chriſto, DEO & homine: quod argumentum late etiam perſecutus eſt in libris de Concordia rationis & fidei, nec non de Demonſtratione Evangelica, doctiſſimus Abrincenſium Antiſtes. Tandem ad Chriſtianos converſa oratione, qui divinum Infantem hunc rectius norunt, ad colendam
p. 264. ſeqq. concordiam & humilitatem exercendam hortatur. Poſt tot tyrannorum graviſſimas crudeliſſimasque perſecutiones, ſuperſtitem Chriſtianorum cœtum, apoſtatis & ſacrilegis doctoribus, qui Infantis hujus
p. 266. naturam aliter interpretari fuerint auſi, infectum dolet. Igitur ad re-
p. 269. cte cognoſcendum hunc DEUM & Hominem, ad lætandum ſuper eo,
p. 270. ad mutuam dilectionem & humilitatem colendam cunctos admonet.
p. 271. Eos autem qui ad clavum Reipublicæ ſedent, cultum ut Infanti huic,
p. 272. quem præſtari par eſt, exhibeant, & ſubjectos populos æquis legibus regant, & adverſus injuſtas oppreſſiones tueantur, nec in ſola pompa ac fulgore apparatus magnifici vitæ rationem ponendam exiſtiment,
p. 273. in præſepi jacentis humilis Infantis hujus exemplo admonet. Verbi divini præcones, quos duces ac veluti ſtellas ad ſtabulum iſthoc ducen-
p. 274. tes eſſe debere affirmat, felices prædicat, ſi veritatis, unionis & chari-
p. 279. tatis viam & ipſi inſiſtant, & aliis digne commonſtrent. Omnes denique, quos Sermonis hujus diſertiſſimi auditores habuit, ut cognito

Infan-

Infante hoc, in ſtabulo iſto animæ verum pabulum & ſalutarem potum accipiant, & contemtum mundanarum vanitatum ac voluptatum animo imbibant, rogat; & ad preces inſtigat, quas conceptis iisque exquiſitiſſimis verbis præit, & ad præſepe hoc ſacrum proſtratis Servatorem ut compellent, auctor exiſtit. p. 282.

Inſigni hoc *de Præſepi* Servatoris ſermone, tam diſerte & erudite contexto, ad deſiderium accendimur reliquas etiam nanciſcendi Diſſertationes ſacras, quas & de *Cruce Domini*, *de miraculoſo Linguarum dono ſuper Apoſtolos effuſo* compoſuit, *Clementis* item *Romani epiſtolam* noſtro ævo primum repertam, (quam vetuſtiſſimum antiquitatis Chriſtianæ, juxta Epiſtolas in ſacro codice extantes, monumentum appellat) quam in Gallicam linguam ſe traduxiſſe, & cum aliis hujusmodi ſacris meditationibus conſcripſiſſe, in Præfatione indicat illuſtris Auctor: a cujus excellenti doctrina ad *Callimachum* Annotationes, & ad *Juliani* omnia quæ ſuperſunt Opera diffuſas & eruditas obſervationes, proximo anno prodituras in publicam lucem ſperamus: quibus cunctis & aliis, in litterarum vario genere perficiendis, idoneum ab arduis negotiis publicis otium, & ſuffecturas vires, ſummo Viro vovemus.

EXCERPTA EX LITERIS DN. HERMANNI VAN DER HARDT ad — — — die 16. Nov. anno 1695. datis, de nova editione Actorum Concilii Conſtantienſis, Sereniſſimi Ducis Brunſuicenſis RUDOLPHI AUGUSTI auſpiciis prodituræ.

EX innumeris forulis atque loculis collegerat Sereniſſimus Princeps RUDOLPHUS AUGUSTUS antiqua monumenta, ad Reformationis ætatem præcipue ſpectantia, ut ad pleniorem illius tempeſtatis hiſtoriam genuina poſteritati ſuppeterent præſidia. Quorum indiculos tribus Autographorum tomis exhiberi juſſerat. Cumulatis porro iſtis reliquiis, ut novi indiculorum Tomi emergerent, conſultum Sereniſſimo fuit viſum, poſteritatis commodis utiliorem conſecrare materiam. Quare autor fuit, ut ex magno illhoc antiquorum ac fere deperditorum monumentorum cumulo, *Literaria Reformationis* conficeretur *Hiſtoria*, recenſitis juxta annorum & autorum ſeriem, præcipuorum ſcriptorum argumentis. Quod negotium haud uno videbatur conſtiturum anno, nec uno volumine. Intelligebat

autem Serenissimus, in istis monumentis recensendis Concilii Constantiensis memoriam millies iri renovatum. Quippe quod Concilii Constantiensis fata publicis istis superioris seculi motibus primam dedissent ansam: ut vinculo connexa viderentur insolubili. Unde subnatum Duci consilium, *Constantiensis Concilii Acta*, editis integriora, ex manuscriptis præcipue esse revocanda, & Literariæ isti Reformationis Historiæ instar Prooemii vel & Commentarii præmittenda. Cum igitur excussis manuscriptis, in utraque Bibliotheca, Augusta Wolfenbuttelensi & Rudolphea Brunsuicensi, reconditis, præclari huc pertinentes se offerrent codices, adsciscendi visi sunt & alii in illustribus Bibliothecis servati. Præterea alio adhuc opus esse lumine judicatum, ex *Historia* petendo: quod mera Acta, plenissima licet, ob defectum historiæ, nuda, sterilia, ac inania apparerent, desiderato fructu caritura. Sic ergo *Historiam* Actis & decretis jungere oportuit. Ut adeo in plures Tomos hoc excrescat Opus. *Primus Tomus* erit Historicus. Cujus *Pars I.* exhibebit *Historiam Concilii Constantiensis*, a *Theodorico Urie*, *Theologo Saxonico*, sub Concilio Constantiensi conscriptam, & Sigismundo Imperatori exhibitam. Addetur ejusdem argumenti Historia, autore illustri *Johanne a Wallenrod*, qui Concilii Constantiensis spectator extitit sagacissimus, quando manuscriptum benigne largietur Perillustris ac Generosissimus *Johannes Ernestus a Wallenrod*, Curiæ Provincialis Electoralis Borussiæ Præfectus & Consiliarius supremus, antiquæ prosapiæ & virtutis avitæ decus immortale, cujus beneficii gratia per literas fuit exoratus. *Pars II.* distincte referet Sigismundi Imperatoris consilia, vota, arma, Concilio huic cogendo, muniendo, perficiendoque prudentissime parata felicissimeque adhibita. *Pars III.* sistet Johannis XXIII. Papæ, in Concilio sede moti, artes & fata. *Pars IV.* enarrabit Gregorii XII. & Benedicti XIII. Pontificum machinas, Concilio oppositas, easque fractas. *Pars V.* recensebit Hussi & Hieronymi Pragensis pericula longaque cum Patribus Concilii certamina, flammis composita. *Pars VI.* fata ancipitia duarum Sessionum, IV. & V, de autoritate Concilii & Papæ, ex præcipuis trium horum seculorum scriptoribus delineabit.

Tomus II. Decretalis, Acta hujus Concilii & Decreta amplectetur, ad manuscriptorum antiquissimorum, ex illustribus Bibliothecis, *Rudolphea Brunsuicensi*, *Augusta Wolfenbuttelensi*, *Paulina* *Lipsi-*

Lipsiensi, & *Ducali Gothana*, depromptorum fidem. Quod igitur hactenus non nisi Compendia Actorum hujus Concilii sint edita, quibus nonnulla, ex majoribus codicibus excerpta, adjecit Labbeus, in Appendicem rejecta; conferentur antiquæ & recentiores Compendii editiones, ordo tamen alius, quam in Compendiis hactenus visus, servabitur, ita ut ad manuscriptorum tenorem, Sessiones tum Nationales, tum Generales aut Conciliares, justa serie recenseantur.

Tomus III. comprehendet arduam *Johannis Parvi*, Parisiensis olim Theologi, de jure majestatis quæstionem, in Concilio Constantiensi a *Gersone* propositam, & a toto Concilio diu multumque agitatam, & tandem in illo compositam. Addetur *Johannis a Falkenberg*, Theologi, tractatus ejusdem argumenti, in Concilio Constantiensi notatus. Universa hæc ex magnis voluminibus manuscriptis Augustæ Guelpherbytanæ repetentur.

Tomus IV. continebit variorum doctorum virorum opuscula, sub Concilio Constantiensi publicata, ad pacem & tranquillitatem publicam promovendam.

G. G. L. RELATIO AD INCLYTAM SOCIETATEM LEOPOLdinam Naturæ Curiosorum de novo Antidysenterico Americano magnis successibus comprobato.

Conferantur, quæ in Actis Eruditorum hujus anni mense Januario pag. 12 & 13. ex Petri Pometi Historia generali Simplicium excerpta leguntur.

EDitor hujus relationis propriis meditationibus, quibus varias eruditionis partes promovere laborat, adjungit crebrum per literas commercium cum eruditis intra extraque Germaniam. Itaque cum intellexisset, ante annos aliquot novum remedium Antidysentericum in Gallia fuisse productum, nunciavit hoc celeberrimo nunc p. m. Viro *Joh. Georgio Volcamero*, inclytæ Naturæ Curiosorum Societatis tunc Præsidi, ut in eam rem amplius inquireretur. Cum vero exinde nondum rem in Germania satis increbuisse didicisset, & ex ore Serenissimæ Ducis, ex Gallia reversæ, certissimam medicamenti potestatem multis modis confirmatam fuisse comperisset; dedit operam, ut de toto negotio edoceretur plenius, & quæ nactus est, bono publico extare voluit, quorum summa hæc est: Dn. *Grenier* mercator, navigationi-

tionibus crebris in longinquas oras dans operam, attulerat Parisios remedium compertæ contra dysenteriam, diarrhœam, aliosque id genus ventris fluxus virtutis. Jussu Regis multa sumta sunt experimenta, felicia omnia, atque Rex in literis patentibus, ne unum quidem experimentum ex multis per Nosocomia sumtis, etiam in ægrotis maxime desperatis fefellisse. Orta fuit Grenerio lis cum Medico celeberrimo, qui ipsius consensu medicamentum apud Regem & alibi produxit, & quem inventum & lucrum sibi soli tribuisse accusavit; sed nos hæc præterimus, rem dedisse contenti. Compertum fuit tandem, esse radicem plantæ Americanæ a Pisone in Hist. Nat. Brasil. lib. 4. c. 53, & lib. 5. c. 19. descriptæ, cui nomen Ipecacuanha, ipsumque Pisonem jam hanc ipsam virtutem cognovisse & ex merito celebrasse. Variæ sunt species, quæ colore distinguuntur. Bruna seu fusca magis efficax quam alba, & minus vehemens quam nigra, atque adeo optima ad usum, nuperis Galliæ experimentis deprehensa est; ubi dari solet in substantia, redacta in pulverem. Dosis ordinaria est a drachma semis ad integram, in uno vel altero cochleari vini aut jusculi, vel jejuno stomacho, vel duabus horis post pastum. Operatur per sedes, sed tamen & per vomitum sæpissime, atque ita simul & materiam noxiam ejicit, & viscerum tonum vi astrictoria peculiari restituit, & malignitati resistit.

Autor Relationis adjecit versionem Methodi utendi hoc remedio sed recte dato, quam clarissimus apud Parisinos Medicus Adrianus Helvetius (Joh. Friderici apud Batavos celebris filius) publicavit, qui ante alios hujus medicamenti productione & usu inclaruit. Adjecit tamen Editor etiam nonnullas Grenerii in hanc methodum notas, tum excerpta ex literis patentibus Regiis & approbatione Archiatri Regii aliorumque; inque illis omnibus secutus est, quæ sibi communicata fuere manuscripta, addiditque excerpta ex libro Pisonis, cui prima laus debetur. Hanc autem relationem dedit Bibliopolæ celeberrimi Medici Angli Martini Listeri libellum de morbis quibusdam specialibus nuper editum recudenti, ob similitudinem argumenti adjiciendam. Unum non prætereundum est, moneri merito, eos ægros excipiendos esse, quibus ventris fluxus symptomate ex morbo aliunde lethali obortus est, veluti si gangræna sit in intestinis aut hydrops phthisisve adsit corruptioque partium infimi ventris, ubi fluxus superveniens caloris extinctionem & propinquam mortem indicat.

INDEX

INDEX AUCTORUM
quorum Libri aut Inventa hoc volumine recensentur.

I. *Libri Theologici & ad Historiam Ecclesiasticam spectantes.*

II. *Juridici.*

III. *Medici & Physici.*

IV. *Mathematici.*

Com-

V. *Historici, Geographici, Genealogici, & ad Rem Nummariam spectantes.*

Cozzan-

Selectio-

VI. *Philologici & Miscellanei alii.*

Justi

INDEX RERUM NOTABILIORUM

In hoc Volumine obviarum.

Alæ

Carne

Chri-

Citri

ejusque
portio-

cur

Elli-

Expe-

Flui-

Hepa-

Licht-

hori-

Notæ

Partum

Pessa-

 sancti-

Refle-

Scien-

de bello

Spino-

ERRATA ET ADDENDA.

Pag. 37. l. 8. pro *Seipe*, lege *Slipe*. P. 243. l. 19. pro *plus boni vel mali*, lege: *plus boni quam mali*. Pag. 492. lin. 26. post verbum *incognita* adde: *prout hoc in specie circa praesens exemplum in hyperbola aquilatera, cujus dimensio analoga est parabolicae, nova & hactenus incognita ratione fieri potest, ut assignentur spatia, quae datam lineae ad lineam rationem inter se habent; multaque inveniet alia praeclara* &c. Pag. 385. lin. pen. pro *Martio* lege *Aprili*. Pag. 537. lin. 6. pro *anni* lege *annorum*. P. 540. lin. 7. a fin. post ABC, adde, *firmatus in puncto medio, aut nixus aliquo repagulo & trabatur in extremitatibus A & C*. P. 541. l. 12. + l. 8. P. 542. l. 3. a fin. & p. 543. l. 11. & p. 544. l. 3. pro *etiam* lege *mense*. P. 544. l. 15. lege *tertiaque*. Ibid. l. 6. a fin. dele, &c. P. 545. l. l. 3. lege *nos*. P. 549. corrige numerum paginae. P. 550. l. 1. pro $d\sqrt{bm}$, lege $b\sqrt{bm}$. Ibid. l. 7. pro *ad* l. *ob*. P. 551. l. 21. l. construendi.